





De Febribus









DE FEBRIBUS

LIBRI TRES

Authore

DUNCANO LIDDE-
LIO SCOTO.



HAMBURGI,

Ex Bibliopolio FROBENIANO.

ANNO CIↃ. IↃ. CX.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



SERENISSIMO

HENRICO FRIDERICO

SCOTIÆ VALLIÆQVE PRINCIPI.



Uemadmodum bona valetudine ſanitateque inculpata nil præſtantius, nihilquè jucundius aut ſuavius homini contingere queat; ita Arte medica nulla humanarum diſciplinarum dignior præſtantiorq; cenſeri debet, ſed una omnium merito princeps: ut cujus beneficio humanum genus infinitis pene morbis oppreſſum aut expoſitum, ſalubre firmumquè conſervari, à morborum injuriȳs vindi-

(:) cari

cari, & quo ad homini maximè licet felix & beatum constare possit. Ex illis infinitis prope morbis vitæ nostræ infensissimis hostibus, nulli febribus frequentiores sunt; cum vix accidat ut inter paucos ægrotantes non aliquis febre affectus occurrat; nulli item periculosiores: Nam complures earum morbi acutissimi sunt, aut acutis prope omnibus & perniciosis connexi, à quibus maximum vitæ periculum impendet. Præterea nec ut febris ullus alius affectus tam varius & multiplex est, neque etjam ita universo corpori communis. Nam reliquorum morborum plerique unam partem unamquè actionem tantum lædunt, vitalem, scilicet, naturalem, aut animalem, febris vero has omnes sed alias magis alias minus, idq; non solum sua

vehemen-

vehementia aut malignitate, ſed etiam ſymptomatum multitudine & magnitudine. Quare cunctorum medicorū conſenſu ea omnium Medicinæ partium difficilima eſt in qua de febribus agitur; cujus rei cauſa etiā aliqua exiſtit, quod à veteribus nonnulla minus dilucide pertractata ſint, à recentioribus non pauca excogitata, & ab illis inprimis qui ignavi ingenij eſſe putant alieni laboris adminiculis tantum inniti, aut majorum inventis ita adhærere, ut nihil quicquam interim de ſe promant, nihilq; ſuo Marte moliantur: unde tanta opinionum varietas. Nam in nullius affectus conſideratione magis deſudarunt & ingenij vires exercuerunt; cum univerſam febrium naturam cognoſcere medico ſumme neceſſarium ſit, cæteris

etiam hominibus admodum utile: illi ut legitima methodo & ratione curet; his ut præcaveant, & febrem curanti medico facile obtemperent. Quibus rationibus & ego impulsus, ante annos complures in usum studiosorum medicinæ Academiæ Juliæ exercitationes nonnullas de febribus conscripsi & in publicum emisi: quarum post Artis nostræ Medicæ evulgationem, cum nonnulli novam editionem urgerent, aliqui viri graves & eruditissimi de febribus opus magis absolutum & elimatum à me flagitarent; etsi meæ tenuitatis mihi conscius sum & in pluribus mihi ipsi non satisfacio; decrevi tamen & huic petitioni morem gerere. Quapropter quæcunque de febribus à me prius concinnata fuerunt, retexui, multa mutavi, plu-

rima adjeci, varias & discrepantes medicorum opiniones examinavi: & in hoc opusculo omni studio conatus fui universam febrium doctrinam, nimirum essentiam, causas, differentias, signa & curationem non modo febrium omnium communem, sed etiam in specie singularum propriam, succincte perspicua methodo explicare, & ad captum tyronum accommodare; quæ omnia eruditißimorum in hoc genere virorum judicio lubens submitto. Quia vero ingenua justaquè omnium propè scriptorum observatio fuit, ut principibus aut præcipuæ authoritatis viris studiorum suorum fructus consecrarent, quo erga illos grati animi debitæquè observantiæ monumentum ponerent, vel splendidiore titulo labores suos posterita-

tis memoriæ tutius commendarent; fretus tuæ Celsitudinis solita benignitate erga literas literarumquè cultores, Serenißime PRINCEPS, Heros Inclyte, ausus fui, ut priores meas de Arte Medica lucubrationes Serenißimo & Invictißimo Regi parenti tuo, ita has novas de febribus tuæ Celsitudini nuncupare, aut sub umbra augustißimi nominis tui in lucem emittere.

Primum quidem quod literas & literarum studiosos singulari amore & studio prosequaris: Deinde ut apud Serenißimum Regem patrem tuum Scholarum & Academiarum patrocinium suscipias, pietatis & sapientiæ studia promoveas, juves & tuearis. Qua quidem voluntate & studio nil vel animi tui vis prudentius, aut for-

tuna præstantius nobiliusq́ habere potest, atque cum illam animi tui præstantiam heroicamq́ indolem considero, vehementer miror Dei in regnis & rebuspublicis conservandis providentiam, qua regibus principibusq́ animum suis facultatibus correspondentem insinuavit; cujus rei appositissimum habes exemplar, Serenissimum Magnæ Britanniæ Regem JACOBUM *patrem tuum, in cujus animo conjuncta reperies cum amplissima potentia eximiam eruditionem & sapientiam, omniumq́ virtutum splendorem; ac erga tam exteros quam subditos summam beneficentiam & benignitatem: quæ omnia ita indies imitaris, ut non minus animo quam corpore parentem referas. Ac ille vere Princeps nobilitatis censeri debet,*

cui præclarum alioqui genus heroicaquè natura doctrina illustratur: æqualis aut certe proximus qui tametsi hac destitutus sit, aut modica instructus, tamen eos qui præditi sunt amat, ipsasq; literas ac pietatis & sapientiæ studia, scholasquè publicas singulari cura & munificentia fovet promovetq́;: quod Majores tui probe intellexerunt, qui non solum generosissimos suos liberos bonis literis & regia doctrina erudiri voluerunt, sed etiam magnis sumptibus passim scholas publicas aperuerunt; illustresq́; Academias seminaria Ecclesiæ & Reipublicæ refertas varia doctrina & multitudine eruditissimorum virorum: ubi non modo subditorum sed etiam exterarum regionum juventus ingenij

cultum & eruditionem præclaram capesseret. Ex quibus quæ injuria temporis in Scotia jacent & supplices opem & patrocinium tuum implorant, olim innumeri multa eruditione præstantes viri prodierunt, qui per universam fere Europam pietatis & sapientiæ studia disseminarunt. Quo nomine cunctis Britanniæ populis nunc gratulor, literisquè gaudeo, quæ in posterum te patronum & tutorem habituræ sunt. Erit hoc DEO *quoque gratum, ac tibi honorificentissimum apud cives, exterosquè populos, ac etiam posteros, si in isto primo ætatis flore, exemplo & Serenissimi parentis tui, & aliorum sapientissimorum optimorumquè Regum majorum tuorum ostenderis, & spem non dubiam*

dubiam præbueris te patrocinium rei literariæ studiorumq́ue pietatis & sapientiæ una cum reliqua hæreditatis succeßione suscepturum. Qua optima spe fretus Celsitudini tuæ has meas lucubrationes offerre & dedicare non dubitavi: submisse orans, ut eas clementi animo serenaq́ue fronte suscipere non dedignetur, dum sua amplitudine digniores comparavero. Interim Æternum DEUM *ardentibus votis oro, primum, ut ipsum Sereniβimum Regem, quo uno nititur omnis omnium subditorum salus, una cum universa regio domo diutißime salvum & incolumem conservet, à malis omnibus protegat, ac ipsi posterisq́ue regnorum solium stabiliat. Deinde ut Tuæ Celsitudinis mentem, studia, cunctas actiones, totamq́ue vitam sua gratia*

& bene-


& benedictione ita gubernet, ut spem ab omnibus bonis de se conceptam, eximiis in Ecclesiam & rempublicam meritis, cunctisq; heroicis virtutibus superet.

Tuæ Celsitudinis

obsequentissimus

DVNCANVS Liddelius
Aberdonensis Medicinæ Doctor.





INDEX CAPITUM HVjus Operis.

LIBER PRIMVS CONTINET Capita duodecim.

LIBER SECVNDVS COMPLEctitur Capita quatuordecim.

LIBER TERTIUS COMPREHENDIT Capita decem.

III. De



DE



De Febribus. Cap. I.

Liber Primus.

DE ESSENTIA ET SUBIECto febris.

Caput I.

AFFECTUM illum corporis, quem latini *febrem* nominant ab antiquo vocabulo *februo*, id est, ferveo, Græci πυρετὸν ἀπὸ τοῦ πυρέττω interdum πυρεξίαν, id est, habitum seu dispositionem igneam appellare consueverunt. Hipp. vero 1. Epidem. *febrem ardentem* πῦρ simpliciter vocat. Ex ipsa ergo nominis notione colligitur, febrem naturæ igneæ esse, & consistere in calore fervido sive igneo; idem quoq; confirmare videtur communis omnium opinio. Omnes enim cum ingenti totius corporis calore detinentur, se febricitare dicunt. Ut igitur febris essentia facilius cognoscatur, requiritur, ut caloris naturam & differentias perpendamus. Calor autem in humano corpore duplex reperitur. Unus suavis & moderatus, functionibus idoneus, qui naturalis propriusq; dicitur. Alius immoderatus, mordax,

Etymologia febris.

Caloris differentia.

I.

acris, suâ naturâ functionibus minus accommodatus, qui non naturalis & igneus vocatur. Hi duo calores specie non differunt, ut quidam arbitratur, sed vel intensione secundum majus & minus, vel ratione subjecti, sive diversorum utentium respectu. Nam ratione subjecti aut diversorum utentium, duplex calor naturalis in animatis consideratur: Unus qui comes & instrumentum animæ est, cujus participatione vita ab Aristotele definitur, extinctione mors: & insitus sive innatus propriè dicitur, quia id quod nascitur & natum est conservat, fovet & auget. Innascitur quidem ex perfectissima seminis & sanguinis materni portione omnibus partibus, sed efficacissime in corde consistit. Unde cor fons & origo nativi caloris dicitur. Alter calor naturalis à corde per arterias potissimum diffunditur in totum corpus: ut facultas vitalis deferatur, & caloris nativi symmetria in omnibus partibus conservetur, unde calor influens dicitur. Nam partes omnes suo innato calore insitisq; facultatibus vivunt, quorum si permanens esset essentia, nullo ad vitam indigerent; sed quia nutrimento opus habent, & conservatione caloris innati in sua temperie, proinde à jecore per venas alimentum suscipiunt, à corde per arterias spiritum cum sanguine, & vim conserva-

tricem

tricem caloris insiti. Uterque calor specie unus, suaque natura moderatus est, suavis, functionibus accommodatus: præter naturam affectus mordax, igneus, naturæ actionibus minus idoneus, qualis calor in omni febre consideratur. Febris non uno modo ab omnibus describitur, nam à Gal. *8. & 9. Meth.* dicitur *intemperies calida in totum corpus diffusa*, & *lib. de Differ. morb. calor præter naturam totum corpus occupans.* Sed *Comm. 16. Aph. 1. & Comm. libr. 1. morb. Acut. con. 18. conversio caliditatis nativæ in igneam.* Recentiores non solum de essentia ipsius febris, sed etiam de subjecto & actionibus læsis discrepant. Alii enim statuunt febrem esse ipsum calidum innatum secundum substantiam in igneum conversum. Alii non secundum substantiam, sed secundum qualitatem. Aut febrem ex sententia Galeni esse calorem nativum, deductum ad tantam intensionem, ut in naturam extraneam abeat. Contrà Fernelius insitum calorem nec secundum substantiam nec qualitatem in febre augeri; sed febrilem calore à naturali tota essentia differre, & non intensione, licet à corde, ubi fons caloris innati, in totum corpus effundatur. Sunt qui febrem secundum essentiam, calore præter naturam definiendam non esse putant,

Variæ authorum opiniones de febris natura & subjecto.

tant, sed intemperie calida. Calor enim præter naturam non tàm morbum quàm morbi causam designat, & effective non essentialiter illis morbus videtur: Deinde quidam febrem calidam tantum intemperiem esse volunt, alii calidam & siccam. Similiter de primo febris subjecto dissentiunt. Alii enim ipsum calidum innatum subjectum febris constituunt, alii cor tantum. Quidam totum corpus aut principaliora membra. Nec multò aliter de actionibus læsis discrepant. Alii enim omnes actiones corporis affici statuunt. Nonnulli non omnes, &c: Quæ omnia nobis discutienda veniunt, ut ad perfectam febris cognitionem perveniamus.

De febris natura, deq; calore febrili.

Ac *primùm* quando febris à Galeno definitur *conversio nativæ caliditatis in igneam*, in substantiarum numero eam non reponit, sed ut ibidem passimque alibi, intemperiem calidam aut calorem præter naturam statuit. quæ duo pro eodem à Galeno accipiuntur; licet propriè febris intemperies calida sit, non absolutè calor præter naturam. Dicitur enim febris conversio nativæ caliditatis, non calidi innati, quia in febre qualitas nativi calidi, non autem ipsum calidum nativum secundum substantiam augetur, sed potius minuitur. Nam ut febris existat, necesse est, qualitatem caloris nativi ita accendi, ut in extraneam propè naturam abeat.

unde

unde febris calor extraneus & præternaturalis vocatur. Nam calor nativus temperatus est in sua natura: ad alienam naturam deducitur, si intemperatus, acris sive igneus reddatur. Quare quando febris dicitur conversio nativæ caliditatis in igneam, separat primùm Gal. febrem à caliditate, quæ in humoribus calidis aut putrescentibus & similibus est. Hæc enim febris causa esse potest, non tamen ipsa febris erit, sed effectivè quatenus cordis calorem in igneum convertit. (Nam nativa caliditas non per se, sed aliunde à causis calefacientibus accenditur:) Nec caliditas humorum calidorum aut putrescentium in totum corpus diffundi poterit, nisi calor nativus cordis afficiatur, & in igneum convertatur. Deinde in febre duos distinctos calores non constituit Galenus, sed unum quidem specie, verum intensione & efficacia diversum. Omnis enim calor specie unus est; proinde in eadem materia duplex esse nequit, ut statuit Fernelius. Verum per conversionem nativæ caliditatis in igneam non est intelligendum, caliditatem nativam continuò in igneam converti: nunquam quidem in febri ad tantum excessum pervenit calor nativus, ut igneus planè fiat, alioquin febricitantes non viverent; Attamen non consistit febris in continuo calefieri, ut quidam opinantur, nam febris

tant, sed intemperie calida. Calor enim præter naturam non tàm morbum quàm morbi causam designat, & effective non essentialiter illis morbus videtur: Deinde quidam febrem calidam tantum intemperiem esse volunt, alii calidam & siccam. Similiter de primo febris subjecto dissentiunt. Alii enim ipsum calidum innatum subjectum febris constituunt, alii cor tantum. Quidam totum corpus aut principaliora membra. Nec multò aliter de actionibus læsis discrepant. Alii enim omnes actiones corporis affici statuunt. Nonnulli non omnes, &c: Quæ omnia nobis discutienda veniunt, ut ad perfectam febris cognitionem perveniamus.

De febris natura, deq; calore febrili. Ac *primùm* quando febris à Galeno definitur *conversio nativæ caliditatis in igneam*, in substantiarum numero eam non reponit, sed ut ibidem passimque alibi, intemperiem calidam aut calorem præter naturam statuit. quæ duo pro eodem à Galeno accipiuntur; licet propriè febris intemperies calida sit, non absolutè calor præter naturam. Dicitur enim febris conversio nativæ caliditatis, non calidi innati, quia in febre qualitas nativi calidi, non autem ipsum calidum nativum secundum substantiam augetur, sed potius minuitur. Nam ut febris existat, necesse est, qualitatem caloris nativi ita accendi, ut in extraneam propè naturam abeat. unde

unde febris calor extraneus & præternaturalis vocatur. Nam calor nativus temperatus est in sua natura: ad alienam naturam deducitur, si intemperatus, acris sive igneus reddatur. Quare quando febris dicitur conversio nativæ caliditatis in igneam, separat primùm Gal. febrem à caliditate, quæ in humoribus calidis aut putrescentibus & similibus est. Hæc enim febris causa esse potest, non tamen ipsa febris erit, sed effectivè quatenus cordis calorem in igneum convertit. (Nam nativa caliditas non per se, sed aliunde à causis calefacientibus accenditur:) Nec caliditas humorum calidorum aut putrescentium in totum corpus diffundi poterit, nisi calor nativus cordis afficiatur, & in igneum convertatur. Deinde in febre duos distinctos calores non constituit Galenus, sed unum quidem specie, verum intensione & efficacia diversum. Omnis enim calor specie unus est; proinde in eadem materia duplex esse nequit, ut statuit Fernelius. Verum per conversionem nativæ caliditatis in igneam non est intelligendum, caliditatem nativam continuò in igneam converti: nunquam quidem in febri ad tantum excessum pervenit calor nativus, ut igneus planè fiat, alioquin febricitantes non viverent; Attamen non consistit febris in continuo calefieri, ut quidam opinantur, nam febris

hectica quia intemperies æqualis, necessariũ est eam in calefacto esse, deinde in synocho homotono calor eodem modo perdurat, in intermittentibus dum declinat, calor igneus ad naturalem se convertit. Igitur rectius statuitur per conversionem illam, Galenum intellexisse gradum præternaturalem, calori nativo superadditum esse, non calorem nativum sublatum esse; nec continuo converti in igneum; neq; febrem ex duplici calore propriè constare, sed unum esse genitum ex calore nativo deducto ad tantam intemperiem, ut vitæ muneribus officiat. Nam ut gignatur febris, sufficit tantùm, ut nativa caliditas intensior penes gradum evadat, naturæque limites transscendat, non autem igneus omninò fiat, aut naturam suam prorsus omittat: nam quamdiu vivit homo, tamdiu nativo calore regitur; si totus in igneam naturam converteretur, non viveret. Quare caliditas febrilis mediæ quodammodo naturæ esse videtur inter propriè naturalem & plane igneam. Nam in febribus caloris gradus & secundum naturam & præter naturam reperitur, magis autem & minus pro magnitudine febris. Quare consistit febris essentia in calore nativo deducto ad tantam intemperantiam, ut in extraneam naturam sive igneam abeat, functionesq; lædat, quo sensu in-

ſu intemperies calida propriè dicitur; ſicca non neceſſariò, niſi in hectica, aut in quibus calor vehementer intenditur, ſive per concomitantiam; nam immoderato calori ſuccedit ſiccitas, quæ quamvis interdum, non tamen ſemper actiones lædit. Quare recte definitur febris per intemperiem calidam, ſive per calorem præter naturam. *Secundò* ad ſubjectum febris quod attinet, cum febris qualitas corporis phyſici ſit, ſine ſubjecto, in quo ſubſiſtit, definiri & intelligi perfecte nequit. Quanquam autem febris converſio nativi caloris in igneum ſit, tamen proprium febris ſubjectum non eſt ipſum calidum nativum; ſed partes, quæ innato calido reguntur, & in quibus calidum ipſum nativum ſubſiſtit, non ut pars à parte aliqua corporis diſtincta, peculiarem aliquam actionem habens, ut alibi capite *de calido innato* dictum eſt. Conſiſtit autem calor nativus in omnibus partibus: Proinde ſubjectum febris erit totum corpus omneſque partes, quatenus innato calore reguntur, licet in febre non omnes pari modo afficiantur. Verùm quia fons & principium caloris nativi eſt cor, à quo ſpiritus vitalis & calor influens per arterias in totum corpus diffunditur; igitur febris non erit, niſi in corde velut fonte calor nativ⁹ primum accendatur, accenſo a calore in corde, neceſſariò toti corpori com-

De ſubjecto febris.

municatur, & per arterias in totum diffunditur, nisi impediatur. Nam teste Gal. libr. *de Marasmo* cap. 1. totius corporis affectus fieri nequit, nisi animalis principium, cor, affectum fuerit. Incipit febris primo in corde. & qua intemperie cor, eadem ex consequente cæteræ partes, aut maximè principales afficiuntur, licet primùm cor, deinde cum corde cæteræ partes, quatenus calore cordis foventur, aut calore influente fruuntur. Quare febris non erit solius cordis intemperies, cujus symptoma tantum est diffusus per universum corpus calor febrilis, ut nonnulli arbitrantur: Nec ipsa febris intemperies calida totius, causa vero febris calor in corde accensus. Nam causa febris propriè est omne quod nativum calorem accendit sive in igneum convertit. Residet autem calor nativus in substantia omnium partium, sed efficacissimè in substantia cordis, ac cor cæteræq; partes mediante hoc calore innato agunt, ut suprà diximus. Utitur autem pars quævis spiritu influente & sanguine ad conservationem caloris nativi; & prout substantia cordis, item substantia spirituum & sanguinis in corde afficitur, ita quoque calor innatus alteratur, sive in igneum convertitur, primum in corde, deinde in cæteris partibus. Ergo ubi cor intemperie in habitu laborat, necesse est totum cor-

pus

pus ſimili intemperie affici: Ubi in habitudine, cæteras quoq; partes pari ratione communicato calore, mediante ſpiritu & ſanguine per arterias & venas. Ex quibus colligitur, quod ſubjectum febris ſit totum corpus, aut ſaltem principalia membra, ſed ſubjectum ubi primum calor nativus accenditur, propriè cor: niſi enim accenderetur in corde, deinde communicaretur cæteris partibus, non eſſet febris. Subſtantia virium cordis ut aliarum partium authore Galeno 11. Meth. completur ex ſpiritu, ex carnea ſpecie & ex ſolidis: Conſervantur autem vires cordis ſpiritu & ſanguine; nam in corde ſpiritus cum ſanguine determinantur, ut partes ſine quibus non vivat, nec vires vitales exercere queat. Proinde quando ſpiritus aut humores in corde accenduntur, cor intemperatum redditur, & calor nativus in igneum convertitur. Verum ipſa accenſio in ſpiritibus aut humoribus per ſe propriè febris non eſt, ſed intemperies, quæ ex ſpirituum accenſione promanat, cujus merito primum ipſum cor intemperie calida, non in habitu ſed in habitudine afficitur, ut infrà dicemus. Itaq; primo febris tribuitur cordi à calore accenſo in ſpiritibus, aut humoribus, aut ſolida cordis ſubſtantia. Spiritibus vero & humoribus in corde propter ipſum cor, aut quatenus cordi in-

serviunt, ut necessaria instrumenta, sive partes ministrantes, quibus vires cordis conservantur, & per arterias venasq; à corde in totum corpus calor vitalis distribuitur. Nam satis est, ut cordi, quod propriè vivit, febris tribuatur, aut in re vivente reperiatur, licet subjectivè in ipsius solida substantia tantum non necessario subsistat; sed in iis etiam quæ necessarium usum præstant. Verum ut febris fiat non necesse est omnes, sed sufficit unam aliquam ita accendi, ut calor nativus cordis in igneum convertatur: Ex quibus colligitur, quo sensu à Galeno febris dicatur conversio caloris nativi in igneum; deinde quod eodem sensu proprie definiri queat *intemperies calida, sive calor præter naturam in corde accensus, ac mediante spiritu & sanguine per arterias & venas in totum corpus diffusus, nisi impediatur, actiones manifestè lædens.* Dico, *mediante spiritu & sanguine per arterias & venas*, quod febrilis calor accidens sit, quod sua natura de subjecto in subjectum migrare nequit, & proinde media requirat, quibus à corde, ubi primum accenditur, universo corpori communicari debeat: deinde vias per quas media deferantur. Cum autem calor nativus qui in febre accenditur, à corde mediante spiritu & sanguine in totum corpus deferatur, primum per arterias, quæ spiritibus & sanguine tenuiore calidioreq;

Definitio febris,

refer-

refertissimæ sunt, & à corde immediatè originem ducunt, deinde per venas ob consensum mutuamq́; connexionem cum arteriis: necesse erit calorem febrilem à corde per easdem vias procedere. Unde Gal. *libr. 1. Crisium cap. 7.* febrem vocat *passionem venosi generis*. Defertur quidem calor febrilis à corde mediante spiritu & sanguine *nisi impediatur*. Impeditur autem tribus modis, *Primò*, initio accessionis febrilis, concursu sanguinis & spirituum ad interiores partes. *Deinde* in Epialis febribus ob multitudinem humorum crudorum distributorum in corpus, cujus portio tenuior primo calefit, deinde crassior. *Tertiò* in lypiriis, ubi ingens viscerum calor est ex erysipelate &c: qui cucurbitæ modo sanguinem cum spiritu ad se allicit. Verum si nihil prohibeat, calor febrilis in totum corpus necessario effunditur, & licet prohibeatur ad partes exteriores deferri, tamen partibus præcipuis sive interioribus communicatur. Igitur sufficit febrilem calorem pluribus aut præcipuis partibus communicari, & functiones earum manifeste lædere.

Tripliciter impeditur effusio caloris febrilis.

DE SYMPTOMATIBUS ET *causis febris in genere.*

CAPUT II.

IN omni febre requiritur non solum ut calor præter naturam à corde in totum corpus aut præcipuas partes procedat, sed simul ut ita præter naturam auctus sit, ut actiones humanas manifestè offendat: quemadmodum scribit Galenus 8. Meth. cap. 1. quod (com. 15. Aph. 1.) per igneum calorem denotare videtur. Lædere autem potest febris cunctas corporis nostri actiones, præcipuè magna vehemensq́; : Verùm omnis febris non necessariò, nec eodem modo. Nam quædam febres interdum aliquid corrigunt, & ablatas nonnullas actiones restituunt, (ut cum Hipp. statuit Gal. com. 5: 2. Aph. 5: & 26. Aph. 2.) sed ex accidente magis quàm ex sua natura; propriè verò & primò ipsa febris functiones naturales & communes lædit, quorum instrumentum præcipuum est temperamentum, quod ad partes similares propriè pertinet, cum actiones animales apta organi compositione magis indigeant. Febris enim quà intemperies calida, propriè similaribus partibus non organicis primò tribuitur: Ergo actiones similarium partium primò lædit, sed pro natura partis cu-

Quæ actiones læduntur in febribus,

jusq;

jusque, nam aliæ actiones ab eadem intemperie facilius aut difficilius offenduntur.

Symptomata febris

Quia autem ab uno quatenus unum unus effectus immediatè proficiſcitur, à febre quatenus intemperies calida, primò calefactio partium omnium oritur. Sed quia calor immodicus temporis progreſſu humidum depaſcit, ex conſequenti exſiccatio, humorum colliquatio, coloris corporis & excrementorum mutatio, ſitis, vigilia & ſimilia. Verùm quia primùm in corde febris accenditur, auctoq; calore cor majori perſpiratu indiget: Igitur in febribus, pulſus & reſpiratio neceſſario mutatur, pro modo caloris. Symptomata maxima communia omnium febrium ſunt, pulſus & reſpirationis mutatio, ſitis, vigiliæ, item inappetentia, dolor capitis: magis ſpeciales ſunt delirium, ſomnus profundus, vertigo, inquietudo, linguæ ariditas, ſcabricies, nigredo, rigor & frigus extremitatum, ſudor copioſus, fluxus alvi, vomitus, nauſea, æſtus immodicus, guſtus depravatus, ſyncope, præcordiorum tenſio, anhelitus difficultas, quæ magna ex parte febribus putridis superveniunt, & morem febris aut motum humorum declarant. Nam in quam partem humor cauſa febris incumbit, & impetum facit, pro partis conditione ſymptomata inducit. Cauſa febrium ut ex ſupra dictis colligitur.

De causis febrium.
Opiniones medicorum de causis febriũ.
Paracelsi opinio.

ligitur, est quicquid calorem nativum in igneum convertit, sive intemperiem calidam in corde excitat. Verum de causis febrium discrepant medici. Paracelsus *libr. 1. Paramir. cap. 6.* artis errore febrem à calore dictam esse arbitratur: cum à causa & materia nominari debuisset, non à signo. Nam causam morbi non aliter à morbo distinguit, quàm sulphur accensum à non accenso. Materia febrium *1. Paramir. cap. 6. & libro de Pestilitate* dicit esse *nitrum cum sulphure.* Quare febrem definit *morbum nitri sulphuris incensi.* Sed *libro 2. de Tartaro 1. tr.* causam ponit feces sive putredinem tartari ob oppilationem & defectum separationis, dum aër internum corporis elementum ex vaporibus generatis ex fecibus tartari putrescentibus inficitur; quæ infectio causa paroxismi, sive tremoris & motus aëris infecti est. Nomine igitur febris solas putridas intelligere videtur, quæ paroxismos habent, ut infrà libro sequenti de causis putridarum latius demonstrabimus. Deinde scribit Galenus *1. de febr. differ. cap. 5.* Athenæi sectatores asseverâsse, omne genus febrium ex humorum putredine fieri: Contrà testatur Trallianus, aliquos asseverâsse, nullam febrem à putredine humorum oriri, ac humores in venis nunquam putrescere, sed solum exardescere aut effervescere,

vescere,

vescere, & effervescentes febrem generare. Verum cum Galeno plerique rectius statu-unt, quasdam à sola effervescentia spiritu-um, humorum, aut solidæ substantiæ cordis, alias à putredine humorum ortum habere. Nam non necesse est, omnem febrem causam conjunctam habere, quæ eam genuit actuq; fovet: sola enim febris, quæ putrida dicitur, sine humorum putredine consistere nequit, hectica vero & diaria sublata causa eas accendente subsistere solent, & sine ulla humorum putredine fiunt. Quemadmodum in aliis partibus, ita in corde calidam intemperiem quinque propriè excitant, ut in Pathologicis, capite *de causis morborum* demonstratum est, quarum quatuor externis & procatarcticis magis annumerantur. *Primum* motus immodicus corporis, ut vehemens exercitium, lassitudo; vel animi, ut ira, curæ, vigiliæ, quatenus calorem in corde accendunt. Motus quidem corporis immodicus in musculis & articulis calorem adauget, sed si ultra non progrediatur, ac prius solvatur, quàm totum animalis corpus invaserit, præter lassitudinem nil relinquit. At si in totum extendatur, calorquè nativus in corde accensus fuerit, febrem necessariò inducit. Eadem ratio est in ira, quæ velut fervor quidam est cum vehementi

Causa febris quinq;.

motu

motu caloris in corde. Nam ob immodicum illum motum & fervorem interdum ſpiritus & ſanguis in corde accenditur & effervеſcit. *Deinde*, excitant febrem contactus & vicinia rei calidæ, ut aëris ambientis, balnei ferventis, ignis, medicamentorum acrium &c: quatenus per continuam alterationem, vicinis partibus calorem ita communicant, ut tandem ad cor diſpoſitio pertingat. *Tertiò*, ſuppreſſio expirationis calidæ, præcipue fuliginis modo acris & copioſæ intra corpus, ob conſtipationem pororum cutis aut meatuum obturationem à refrigerantibus, adſtringentibus &c. Calor enim præter naturam in loco ubi calida expiratio colligitur, continua generatione augetur, & ſi copioſus reddatur, per arterias neceſſario cordi communicatur. *Quartò*, pari modo permiſtio ſubſtantiæ alicujus calidæ intra corpus aſſumptæ, calorem præter naturam accendit, ut alimenta aut medicamenta actu aut poteſtate calida, acriſq́; qualitatis, veluti allium, cæpa, aromata, vina potentia, &c. Internis verò cauſis magis annumeratur putredo. Putredo enim humorum ſive in vaſis, ſive extra vaſa, præcipue in inflammationibus viſcerum aut partium externarum prope grandes arterias, calorem ſuum cordi facile communicat, & pro natura humoris putreſcentis, pro modo

&

& situ putredinis, diversas febris species gignit, ut suo loco latiùs dicemus. Sub internis causis quoq; continentur humores acres & effervescentes, item plethora, & obstructiones viscerum, quatenus eventilationem caloris prohibent aut putredinem gignunt, de quibus omnibus latius in progressu dicemus. Hæ causæ si validæ fuerint, in quovis subjecto febrem accendere possunt: sin minus, in eo qui febri magis oportunus est. Magis autem oportunus est, qui naturaliter plurimo calore acri & fuliginoso abundat, proinde juvenes maximè febribus oportuni sunt, minùs senes, deindè pueri. Ex naturis verò calida sicca constitutio febribus maximè obnoxia est, deinde calida humida; potissimum ex humorum putredine: minus verò oportuna est frigida humida & frigida sicca constitutio.

DE DIFFERENTIIS febrium.

CAPUT III.

Differentiæ febrium variæ à Medicis recensentur, quæ omnes vel ab essentia febris desumuntur, & specificæ vocantur, quia species constituunt sive ἄλλο faciunt; vel ab iis quæ essentiam consequuntur, & accidentariæ vocantur, quia non *Differentia febrium.*

non ἄλλο ſed ἀλλοῖον faciunt, & ſpecies con-
ſtitutas tantum variant,non autem alias no-
vas propriè conſtituunt. Eſſentia autem fe-
bris conſiſtit in calore præter naturam,ergo
differentiæ febris authore Galeno *libr. 1. de
differ. febr. cap. 1.* accipiuntur ex ipſo calore
præter naturam, & ex modo caloris ejuſ-
dem, & ex materia ſive ſubjecto, in quo
præter naturam calor accenditur. Quæ o-
mnes differentiæ ad eaſdem ſpecies conſti-
tuendas concurrunt. Verum maximè pro-
priæ & manifeſtæ ſunt illæ differentiæ, quæ
à materia ſumuntur, in qua calor præter
naturam accenditur. Nam febris ut acci-
dens phyſicum,ex appoſitione ſubjecti defi-
nitur,& propriiſſimè dividitur: licet unum
primum ſubjectum non habeat,ſed tria jux-
ta opinionem Galeni. Nam cum febris ſit
calor nativus in igneum converſus, qui du-
plex ſtatuitur, unus inſitus, reſidens in ipſa
ſolida ſubſtantia cordis, alius influens, con-
ſiſtens in ſpiritibus & humoribus primariò
cordis, deinde cæterarum partium: Subje-
ctum ergo febris erit cor communiter ſum-
ptum, ſub quo continetur ſolida ipſius ſub-
ſtantia, ubi reſidet vis vitalis calorq; inna-
tus; deinde ſpiritus & humores ipſius ven-
triculis contenti,quatenus cordi inſerviunt,
caloremq; à corde deferunt; quibus accen-
ſis neceſſario calor vitalis influens ac etiam
inſitus

Differentiæ eſſentiales febris.

CAP. III.

insitus membrorum accenditur. Unde tria prima genera febrium colliguntur, unum in spiritibus, alterum in humoribus, tertium in solida substantia cordis. Verum accensio caloris nativi in spiritibus & humoribus febris proprie non videtur, sed intemperies calida substantiæ cordis, quæ ex spirituum vel humorum accensione promanat; à quibus cor intemperie calida non in habitu, sed habitudine tantum, afficitur, ut suprà diximus. Quare nonnulli duo genera febrium ponunt, unum in habitu, quando intemperies per totam solidam substantiam cordis diffusa est; alterum in habitudine, quando superficies cordis tantum afficitur: tamen quia spiritus & humores in sinubus cordis usum præstant, & facultatem habent deferendi calorem à corde influentem ad membra, ac proindè caloris illius subjectum sunt, quo partes omnes vivificantur. Itaq; accensio caloris nativi in spiritibus aut humorib. cordis à Gal. non ita improprie febris appellatur, & ratione subjecti tria prima genera febrium constituuntur. In universum febris omnis vel simplex est, quæ simplicem naturam similemque caloris formam obtinet; vel composita ex pluribus simplicibus. Ex diversitate subjecti, in quo calor nativus accenditur, febris simplex triplex statuitur, *una* in qua spiritus in corde accenditur,

Primæ differentiæ & genera febrium

quæ *ephemera* sive *diaria* dicitur, *altera* quando humores putrescentes calorem nativum in corde augent, quæ *putrida* ob id vocatur; *tertia* ubi calor febrilis ipsam totam solidam cordis substantiam invasit & occupavit, & insitum calorem in igneum convertit, quæ, quia stabilis & firma, *hectica* appellatur. Nam hectica calorem insitum cordis, diaria vero & putrida magis influentem calorem in igneum convertunt. Incipit autem calor præter naturam aliàs ex aliis partibus: atq; una cum patiente afficit duas reliquas, sed cum substantia spirituum sit tenuissima, faciliusq; alteretur, substantia solida contra; humores medio modo se habeant: Igitur facilimè spiritus accenduntur, difficilimè solidæ partes, & ab humoribus aut solidis partibus ad spiritus facilima est caliditatis transsumptio, non contrà. Humores enim per febrem calefacti spiritus promptius calefaciunt, quàm spiritus humores. Item solidæ partes accensæ & humores & spiritus promptius calefaciunt, quàm ab his calefiant. Quare si febrilis calor ex uno horum inceperit, in eoq; permanserit, unius speciei erit: si non permanserit, sed alia affecerit, eadem specie non manebit, verum insignioris appellationem inducit. Nam quando spiritus primùm accenduntur, diaria propriè dicitur: Verum si deinde humores

 Cap. III.

mores ita accendantur, ut putrescere incipiant, non tum diaria sed putrida erit: similiter si solida cordis substantia, hectica. Verum contra, quando humores primum accenduntur, ut putrescant, etsi spiritus una promptè calefiant, non tamen diaria sed putrida dicetur, sicut quando cordis substantia primum accenditur, licet spiritus & humores promptè calefecerit, non diaria aut putrida erit, sed tantum hectica, nisi humores putrescant & putredo perseveret: nam hoc modo tantùm putrida cum hectica complicatur. Nunquam autem diaria cum putrida aut hectica, sed à diaria in putridam vel hecticam fit transitus. Dividitur propriè febris in simplicem, cujus tres primæ species sunt, ut jam diximus, & compositam. Componuntur non solum hectica cum putrida, sed putrida inter se, ut infrà apparebit. Nam putridarum variæ sunt species pro natura humoris putrescentis. Accenduntur quidem humores omnes in febribus, aut per effervescentiam, aut per putredinem: Quando autem per effervescentiam sanguis tantùm ebullit, febris accenditur, quæ à Galeno *9. Meth. cap. 2.* ephemeris annumeratur, & *diaria extensa* dicitur, ac *synochus simplex*. Ubi verò per putrefactionem humoris alicujus calor in corde accenditur, *febris putrida* propriè vocatur. *Febris*

putridæ

Putridarum feb. differentia & species

autem *putrida* non solum pro natura humoris putrescentis, sed etiam pro modo situq; putredinis, plurimis modis distinguitur: licet omnes ejusmodi differentiæ essentiales per omnia non videantur. Ac *primùm* putredo alia simpliciter consideratur, alia cum malignitate quadam conjuncta, unde febres pestilentiales. *Deinde* putrescunt humores vel conclusi intra vasa, id est, venas & arterias; vel extra vasa: & extra vasa dupliciter, vel quia humores putrescentes ex vasis in habitum corporis expelluntur, vel quia intra viscus aliquod aut substantiam aut cavitatem ejus extra venas continentur. Ubi humores putrescentes intra vasa concluduntur, *febris continua* communiter dicta oritur, quia continuè calor putridus cordi communicatur, proinde ad infebricitationem non devenit, priusquam ex toto soluta fuerit. Ubi humores putrescentes extra venas in habitum corporis expelluntur, *febris intermittens* gignitur, quæ non continuè, sed per intervalla, calorem putridum in cor diffundit, & ideo ad infebricitationem sæpius devenit, priusquam terminetur. Ubi vero putrescens materia intra substantiam visceris aut cavitatem colligitur, functiones partis illius sensibiliter lædens, & simul cordi putridam fuliginem communicans, oritur febris, quæ *symptomati-*

ea, dicitur; quia alium morbum propriè consequitur, ex quo oritur. Putridæ autem continuæ duplices sunt, aliæ enim putredinem continenter sine ulla remissione cordi impertiunt, ut *synochus putrida*, aliæ quæ non continenter eadem forma, sed cum aliqua remissione, quæ *simpliciter continua* vocantur, ut latiùs infrà explicabimus. Præterea ipsa putredo, quatenus febrem accendit, vel uniformis & simplex est, orta ab uno tantum fomite, ex humore determinato putrescente, secundum naturæ suæ proprietatem: Vel varia multiplexq; est, à diversis causis distinctaque putrefactione, quarum quælibet suam naturam obtinet: unde febris putrida, alia simplex, à simplici putredine, quæ simplicem typum obtinet; alia composita, quæ compositum typum. Simplex autem febris sive continua sive intermittens, pro conditióne humoris putrescentis distinguitur. Nam quilibet humor putrescens suæ naturæ proprietatem in febribus obtinet. Bilis enim flava putrescens tertio die, melancholia quarto die, pituita quotidie suas accessiones habet: & naturam suam febris exactè servat, si putrescens humor purus fuerit, sin aliis commixtus, à natura sua nonnihil degenerat. Unde febris alia *exquisita*, & in suo genere *sincera* vocatur, à deter-

minati humoris putredine: ut tertiana continua & intermittens, à bile flava putreſcente: quotidiana à pituita: quartana à melancholia. Alia *notha* & *ſpuria* appellatur, ex non uno ſolo ſimplici humore putreſcente, ſed aliis ſimul permixtis; ut tertiana à bile quidem, ſed una cum pituita aut melancholia putreſcente, &c: Ex his ſimplicibus febribus, compoſitæ oriuntur. Componuntur autem febres ut typi, & vel ejusdem ſpeciei inter ſe, ut duæ tertianæ, duæ quartanæ, &c: vel diverſæ ſpeciei, ut tertiana intermittens cum quotidiana intermittente &c: vel diverſi generis, ut tertiana intermittens cum quotidiana continua, unde *hemitritæus* &c: quemadmodum latius infra de febribus putridis dicetur. Atq; hoc modo febris in ſpecies dividi poterit. Verum differentiæ illæ, quæ ſumuntur ab ipſis humoribus putreſcentibus, item à modo & motu putredinis, minus eſſentiales videntur. Propriiſſimæ autem ſunt illæ differentiæ, quæ à ſubjecto ſumuntur, in quo calor præter naturam accenditur, hæ enim ſpecies febris conſtituunt. Quæ verò à calore aut caloris febrilis motu ſumuntur, his dignoſcendis potiſſimum inſerviunt. Nam calor motusq; caloris ſubjectum deſignant, & per ſe novam ſpeciem non conſtituunt. Febres autem ex proprietate caloris juxta Gal.

Differentiæ febrium à calore præter naturam.

&

& Hipp. aliæ manu mordaces ſunt, ſive tangentibus moleſtæ: aliæ mites & tactu minus moleſtæ. Deinde ex motu caloris, aliæ non mordaces quidem ſunt, ſed increſcentes ſive pòſt inſurgentes, quæ initio admota manu moleſtæ non ſunt, ſed longo tempore detenta manu ſenſum mordacium afferunt: aliæ contrà acutæ ſunt velocisq; motus, quæ à manu ſtatim ſuperantur. Tertiò ratione quantitatis caloris aliæ confeſtim exardentes ſive æſtuoſæ ſunt, aliæ ſemper puſillæ & ſiccæ: Item quædam ſalſuginoſæ vocantur, non quia à guſtu ſalſæ judicantur, ſed quia morſum talem tangentibus afferunt, qualis à muria aut ſalſis corporibus incutitur: aliæ humidæ, quæ calorem madidum aut humidum non vaporoſum aut ſiccum obtinent, aliquæ πεμφιγώδεις dicuntur, quas bullantes, flatulentas & aſpectu graves vertunt: Nam quid per *pemphigodes* ſignificetur, diſcrepant interpretes: nonnulli ad vaporoſas & humidas febres referunt, aliqui ad eas, quæ puſtulas excitant; pleriq; ad eas, quæ quaſi flatum nunc vaporoſum, nunc ſiccum manu repræſentant, ſive quæ ſcintillarum exſilientium imaginem tangentibus offerunt. Adduntur his differentiæ à calore, quæ naturam humoris peccantis arguunt, veluti febres aliæ rubræ ſunt, aliæ pallidæ, aut citrinæ, aliæ lividæ, &c.

III.

Hæ differentiæ quidem à calore febrili sumuntur, id est, ab essentia febris, verum novas species à superioribus distinctas non constituit, sed ad eas dignoscendas utiles tantum sunt. Nam calor mitis perpetuòquè suavis sive vaporosus, aut qui primum acutus, postea manu superatur: magnum signum est febrium ephemerarum: sicut calor mordax tactuiq; molestus, putridarum: at non mordax primò, sed increscens pusillus & aridus, hecticæ: Calor enim ephemeræ, quia in spirituosa substantia facilè dispergitur, suavior & vaporosior est; in hectica, contrà: Nam primùm tangenti debilior est, post acredinem ostendit, & eò magis, quò plus tangendo immoramur: tamen si quantitatem consideres, debilior semper est pusilla simul & sicca: Calor quidem putridarum fuliginosus est, ac, nisi initiis paroxismorum, mordax molestusq; semper est & æquabilis, sed pro natura humoris putrescentis magis minusquè acris vehemensq;. Nam febris rubra, cui calor multus, valde vaporosus, sed non ita acris & vehemens, synochum arguit: febris pallida aut citrina, cui calor valde fumosus acris & vehemens sive ardens est, biliosam febrim designat: continuam, si sine intermissione cum lingua nigra, arida, &c. Febres verò acres quidem sed minus vehementes & molestæ, si humidæ, sub-

ſubalbæ & inæquales, pituitoſæ erunt; ſi lividæ aut ſubnigræ aut ad tactum aridæ, melancholicæ: Peculiariter verò febres humidæ vocantur, in quibus corpus perpetuo ſudore reſolvitur, quales ſunt *Elodes*, & quæ à veteribus teſte Galeno *libro contra Lycum Typhodes* vocantur. Febres πεμφιγώδεις bullantes & aſpectu terribiles, quæ ſcintillarum exſilientium imaginem manui repræſentãt, peſtilentes putantur. Reliquæ febrium differentiæ, accidentales magis ſunt, & novas ſpecies non conſtituunt, ſed priores tantum variant, quarum præcipuæ ſumuntur, à modo, quo ſubjectum corpus à febre informatur, cæteræ vel à cauſis febrem accendentibus, vel ab his, quæ febrem propriè conſequuntur in ſubjecto. Ac *primum* pro modo quo febris in corpore ſuſcipitur, alia in σχέσει ſive habitudine conſiſtit, & in affectu facile ſolubili, perinde ut calefactum in ſole lignum, cujus generis ſunt ephemera & putrida, quæ intemperies inæquales ſunt. Alia in habitu conſiſtit, ſive in affectu, qui difficulter ſolvitur, & quaſi lignum eſt, quod ab igne ita excalefactum eſt, ut jam accendatur & fumum edat, veluti febris hectica intemperies æqualis. Item alia eſt affectus primarius, qui nullum alium morbum propriè conſequitur, ut tertiana aut quartana: alia ſecundarius, qui ab alio priori affectu oritur,

Differentiæ accidentales triplices potiſsimum.

I. Differ. à modo quo ſuſcipitur febris

oritur, potissimum verò inflammationem alicujus partis consequitur, ut in phreniti-de, pleuritide, angina, &c: quæ febres symptomaticæ ob id ab Avicenna dicuntur. Proinde hæ differentiæ cum essentialibus coincidunt, easdemque species constituunt ut suprà.

II. Differ: à causis.

Deinde causæ febris aliæ externæ, aliæ internæ sunt ab externis, præcipue ratione loci & aëris ambientis, unde febres aliæ *Endemiæ*, aliæ *Epidemiæ*, aliæ *sporadicæ* dici poterunt. Verùm à causis internis, aliæ ab effervescentia humorum, aliæ à putredine oriuntur: quæ pro modo, situ & motu putredinis, & conditione humoris putrescentis differunt, quæ differentiæ essentiales propriè non sunt, licet essentialibus annumerari queant, sed eo, quo diximus, modo.

Tempora febrium.

Præterea ex motu causarum morbificarum, tota duratio febris, in quatuor tempora sive partes dividitur, nimirum in *principium*, *augmentum*, *statum* & *declinationem*. Motiones autem causarum morbificarum duplices in febribus deprehenduntur, aliæ universales totius decursus morbi, aliæ particulares, certæ alicujus partis. Igitur tempora febrium alia universalia erunt, quæ totam durationem febris definiunt & indicant: alia particularia, quæ certam morbi periodum sive partem. Nam ex ipso modo causarum morbifica-

rum,

rum, ut de febribus putridis dictum est, aliæ febres continue à principio usque ad finem affligunt, sine ulla intermissione sivè infebricitatione, quæ continuæ vocantur. Aliæ non continue, sed per intervalla certis quibusdam periodis tantùm affligunt, & ad integritatem sive infebricitationem deveniunt, ut febres intermittentes. Harum causa ut priorum in perpetuo motu non est, sed certis periodis quiescit, deinde movetur. Continuæ autem febres aliæ à principio ad finem continenter, sine ulla incompressa annotatione in tempore, sive sine omni remissione novaq; accessione infestant, proinde unica tantum accessione absolvuntur, ut synochus, febris hectica, & ephemera: quæ omnes non solum continuæ, sed etiam continentes dici possunt, quæ typo carent: licet febris ab effervescentia aut putredine sanguinis in majoribus vasis synochus speciali nomine dicatur. Aliæ non continenter, sed cum remissione aliqua certis quibusdam periodis affligunt, licet à principio usq; ad finem ad integritatem non deveniant, ut quæ simpliciter continuæ vocantur, veluti tertiana, quartana continua, hemitritæus, &c. ut suprà dictum est. Febres igitur quæ certis quibusdam periodis non moventur, & nec remissiones nec intermissiones habent, in quatuor universalia tempora tan-

tùm

tum dividuntur. Cæteræ, quæ typum habent, præter quatuor universalia tempora, in particularia. Nam tota duratio morbi certis quibusdam periodis distinguitur, & quot periodi, tot particularia tempora. Verum in intermittentibus, periodus dividitur in accessionem & intermissionem, & accessio quælibet quatuor particularia tempora continet. Sed de his latius infrà de febribus putridis. *Tandem* differentiæ, quæ sumuntur ab iis, quæ febrem consequuntur, variæ sunt. Consequuntur autem febrem quamlibet, omnemquè morbum propriè, magnitudo, duratio, mos & eventus ejusdem. A magnitudine autem febris cujusque, alia vehemens sive magna dicitur in sua specie; alia parva. Ratione durationis sive decursus, alia brevis; quæ quatuor universalia tempora celeriter percurrit; alia longa, quæ tardè. Febris autem simul magna & brevis, quæ celeriter & cum vehementia ad statum movetur, acuta propriè dicitur, ut Causus, pestis, &c. Acutarum febrium complures sunt differentiæ pro modo celeritatis. Nam alia peracuta, alia simpliciter acuta; alia acuta ἐκ μεταπτώσεως dicitur; & peracuta alia exquisitè, alia non exquisitè peracuta, &c. ut in Pathol. determinavimus. Tertio à more morbi, alia febris maligna maliquè moris,

III. Differ. à consequentib.

1. à magnitudine febris

2. à duratione.

Differentia acutarum febrium.

3. Differ. à more.

ut

ut pestilens; alia benigna dicitur, ut diaria. Cognoscitur verò mos morbi ex symptomatibus supervenientibus. Ex symptomatibus autem supervenientibus, aliæ febres colliquantes, aliæ assodes sive fastidiosæ, aliæ typhodes, aliæ syncopales, aliæ cardiacæ, aliæ lypiriæ, aliæ epialæ, aliæ elodes, &c. dicuntur. *Postremò*, terminus febris est aut ad salutem, aut mortem, idq; simpliciter, aut mediante alio; proindè ratione eventus alia salutaris est & curabilis, ut ephemera; alia lethalis & incurabilis, ut pestilens, & hectica absoluta. Deinde terminatur febris, aut κρίσει, ut febres acutæ potissimum: aut λύσει, ut diuturnæ maximè: κρίσει autem, aut per manifestam excretionem, nimirum per sudores, hæmorrhagiam, fluxum alvi, vomitum, sudores, urinas. Vel per tanslationem materiæ ad partem ignobilem, scilicet aut ad cutem, unde icterus, exanthemata, ecthymata, sub quibus continentur variolæ, morbilli, petechiæ, &c: aut ad emunctoria, unde bubones & carbunculi, &c: ut in peste: aut ad articulos, unde arthritis. Hæ differentiæ ad naturam febris intelligendam febriumq; curationem ritè perficiendam utiles potissimum sunt.

4. Differ. ab eventu.

De

DE SIGNIS FEBRIUM.

CAPUT IV.

Signa diagnostica febris.



MNIUM febrium communissimum signum est calor auctus supra nativi caloris modum, & per totum corpus diffusus, nisi prohibeatur: & licet prohibeatur ad exteriora ferri, in interioribus tamen manifestatur: pro conditione autem caloris ipsius, febres distinguuntur & dignoscuntur, ut ex suprà dictis abunde constat. Quia verò aucto calore in corde, necessitas eventandi calorem nativum, & fuligines expellendi augetur, pulsus & respiratio mutatur. Quare in febribus pulsus consideratio requiritur. Ex pulsu febris dignoscitur, si propriam naturam servarit, & cor cæteraque consentiant. Propriè omnis febris, quantum in ipsa est, pulsus magnitudinem, celeritatem, & frequentiam mutat, nimirum si nullus affectus concurrat, vitio vel facultatis, vel instrumentorum, nullaq; temperamentorum repugnantia. In hecticis amplius mutatur celeritas, quàm in diariis, deinde frequentia, sed in diariis (quæ refrigerantia exigunt) distentio major & simul celerior est contractione: contra in putridis, quæ fuliginosorum expulsionem requirunt, brevior est interna quies, & celerior contractio: Verùm in initio

Pulsus febricitantium.

Cap. IV.

tio accessionis febrium putridarum, contractionis celeritas potissimum augetur, sive systole multò velocior est, quàm diastole; in statu uterq; motus celer est. Nam ingens incrementum suscipit distensionis celeritas, & contractionis celeritas fere, ut ab initio, similis permanet, adeò ut tum pulsus celerrimus videatur: à summo vigore sensim celeritas contractionis minuitur, & in declinatione dissolvitur. Hæ differentiæ pulsuum per se febribus conveniunt ratione caloris præternaturalis; cæteræ alios affectus magis sequuntur, ut facultatis aut instrumentorum vitium. Quare semper distinguere oportet signa caloris aut necessitatis urgentis, à signis affectuum concurrentium, ratione facultatis & instrumenti; nam hæc tria in pulsu observanda veniunt. Ubi igitur cùm febre concurrit affectus aliquis ratione facultatis & instrumentorum, mixta orietur mutatio in pulsu. Requirit quidem magnus pulsus magnam necessitatem sive calorem supra naturæ modum, verùm præter calorem, firmam facultatem & molle instrumentum distensioni idoneum: quæ duo in hecticis potissimum desiderantur. Quare in hecticis magnus pulsus propriè non est, sed calor potissimum, & ex consequente frequens. Nam in omni febre aucto calore, si magnitudo necessitati non sa-

celer

tisfecerit, celeritas augetur, & si celeritas non satisfaciat, frequentia augetur. Itaq; si calor solus increverit, ut in naturali statu maneant facultas & instrumenta, cùm mutatio ita magna non est, pulsus magnitudo tantum augetur: cùm major; etiam celeritas: cùm insignis; jam simul frequentia. Proindè in febribus, si pulsus ad magnitudinem declinet, plus quàm ad celeritatem & frequentiam, non ita copiosus erit cordis calor: contrà si celeritas magnitudinem superaverit, copiosior: magis adhuc copiosus, si unà frequentia. Pulsus celerrimus & creberrimus non item maximus nunquam accidit, nisi facultas debilis sit, aut arteria durior. Pulsus verò creberrimus, sed non ita celer nec magnus, calorem copiosum, sed facultatis debilitatem vel instrumentorū duritiem, arguit; imbecillitati adjunctus est pulsus languidus; duritiei durus pariter & vibratus: Durus pulsus citra vibrationem; & summè frequens imbecillitatem facultatis junctam multo calore denotat. Deinde mutatur pulsus febricitantium, si in corde temperamentorum repugnantia fuerit, quæ dupliciter accidit, vel si alia sit intemperies cordis, alia arteriarum; vel alia substantia cordis, alia contentorum in sinubus: si cor justo calidius, arteriæ frigidiores sint vel per se, vel quia humores continent frigidos, nondum putrescentes, cor singulis arteriis pul-

sum

fum majorem, celeriorem, & vehementiorem habebit, quod intellige, si eodem tempore altera manu cor, altera arterias tangas, unde accidit, ut arterię non parvum pulsum qui frigidæ est intemperiei, nec magnum qui calidæ, sed inter utrumq; medium moderatumq; edant; & arteriæ cordi propinquiores in initiis accessionum & lypiriis, non solùm citiùs incipient, sed etiam motũ reddent celeriorem & majorem, quàm arteriæ à corde remotiores. Si cordis corpus justò frigidius sit, contenta calidiora, quod interdum tàm in Diaria quàm putrida accidere poterit, & ex æquo cor & contenta à natura deflexerint, pulsus magnitudine nil à naturali differunt, nec manifestè celeritate & frequentia, nisi utriusq; mutatio magna sit, languidiores tamen erunt, quando cor frigidius. Ubi multùm evariant & potissimùm humores in febribus putridis, in contractionę pulsus tantò celeriores erunt; sed vicissim tantò frequentiores & languidiores, quantò magis cor refrigeratũ est. Similiter si cor justò calidius sit, & humores contenti frigidi, vel contrà; pulsus fiunt moderatis similes, qui optimos etiam medicos fallunt, quales in maxima pestilentia interdum acciderunt, in iis, qui præ cæteris perierunt: Sin corpus cordis multò calidius fuerit quam contenta, ut in hectica potissimùm, non necesse est statim pulsus justò majores esse,

Cap. IV.

nec frequentiores, sed celeriores. Unde teste Galeno *lib.3. de præsag. ex pulſ.* multi præstantissimi medici jure censuerunt, celeritatem febricitantium pulsibus perpetuam esse. Quare in dignotione febrium ex pulsibus hæc omnia accuratissimè definienda erunt. Comitantur febres varia symptomata, ut sitis, vigiliæ, &c. de quibus suprà. Dignoscitur febris species non solùm ex qualitate caloris, ut suprà de differentiis febrium, deinde ex pulsu, sed etiam ex motu caloris febrilis, sive continenter, ut synochus, sive certis periodis moveatur, & accessiones, remissiones aut intermissiones habeat quotidie, aut alternis diebus, aut quarto die. Deinde ex accessionum duratione & modo, item ex accessionum initio, ejusq; symptomatibus, rigore, horrore, &c. Tempora verò universalia febrium dignoscuntur ex symptomatum magnitudine & incremento, & ex signis concoctionis in urinis, &c. Tantùm de signis diagnosticis in genere dixisse sufficiat. Quemadmodum

Prognoſtica. in cæteris morbis, ita in febribus præcognoscere convenit non solùm eventum morbi, an ad salutem, vel mortem, sed etiam modum eventus; an paulatim & subitò, cum crisi aut sine crisi; præterea tempus eventus. Signa horum omnium sumuntur ex causis proximis, scilicet ex ipso morbo &

natura

natura ægri, quæ duo inter se pugnant. Proinde ex comparatione virium utriusq; præsagire oportet, cujus sit futura victoria, deindè quomodo, tertiò quando. Febris autem vehementia æstimatur ex ipsius speciei magnitudine, more & motu. Robur naturæ ex omnibus functionibus, ut cordis ex pulsu; virtutis animalis ex suis functionibus & respiratione, naturalis, ex signis concoctionis in excrementis: Universæ ex iis, quæ ad totum corpus singulasq; partes pertinent. Si igitur ex mutua comparatione, vires ægri tàm validæ deprehendantur, ut febrem superaturæ sint, evadet æger, ut in ephemera: deindè in intermittentibus, quæ sua natura tàm validæ non sunt, nec adeò vehementes & acutæ, nec adeò malignæ, ut vires prosternant. Si contrà febris sua natura tàm valida sit (ut hectica absoluta) aut acuta, (ut interdum causus) aut maligna, (ut pestis) ut vires ægri prorsus superatura videatur, morietur æger. Citiùs verò aut tardiùs pro violentia morbi & debilitate virium, ut alibi de Præsagiis latiùs demonstratum est, & suo loco in specie dicemus.

DE CURATIONE FEBRIUM in genere.

CAPUT V.

Superest, ut curationem febrium in genere attingamus; & primùm opera proponamus, deinde instrumenta, per quæ absolvitur curatio. Indicatio sive faciendorum insinuatio in febribus sumitur quidem à rebus naturalibus, non naturalibus, & præternaturalibus. Verum *prima* indicatio curativa in febri quà febris, à morbo scilicet ab intemperie calida sumi debet, quæ ablationem per contraria præscribit. *Secunda* verò indicatio à causa, quando adest, actuq; febrem fovet. *Tertia* à viribus ægri quando urgent. Febris autem quia intemperies calida per contrarium excessum, nimirum per ea quæ refrigerant, ad naturalem temperiem propriè reducitur & curatur. Igitur indicat febris in genere refrigerantia, humectantia verò non omnis per se, sed per concomitantiam potissimum. Peculiariter tamen hectica, quia intemperies calida & sicca, per se refrigerantia & humectantia indicat, similiter febris ardens, &c. Initio causæ ratio habenda est, quando adest & actu morbum fovet: si verò desit, ut in diariis potissimùm, tantùm refrigerantibus & humectantibus insisten-

Indicationes.

1 Indicatio à febre.

2 Indicatio à causa febris.

ſiſtendum erit. Semper autem ubi febris in generatione eſt, cauſa, quæ eam accendit, ſubmoveri primùm debet, qua ſublata tollitur affectio. Ubi verò pars febris genita, pars in gignendo adhuc eſt, utrique conſulendum, ſubmovendo, quæ eam accendit, cauſam, deinde extinguendo, quæ ab hac accenſa eſt, febrem. Cauſæ autem febris variæ ſunt, ut diximus, & non omnes uno modo tolluntur: Nam meatuum conſtipatio & ſuppreſſio calidi effluvii, relaxantibus, digerentibus & ſimilibus; putredo evacuantibus, concoquentibus, contemperantibus, attenuantibus, incidentibus, aperientibus; obſtructiones vaſorum pro qualitate humoris putreſcentis, nam obſtructiones à craſſis, lentis, frigidis humoribus, validiora, calidiora, attenuantia, incidentia; contrà à biliosò humore, frigidiora poſtulat; plethora, venę ſectione; cacochymia, purgatione tollitur: cæteræq; cauſæ pro ſua natura & modo, ut infrà in ſpecie dicetur. Sublata cauſa tollitur intemperies genita, per refrigerantia. Ut acitò tutoq; curem9, reſpicere oportet *primùm* caloris febrilis quantitatẽ ſive gradũ & ſubjectũ: *deinde* temperamentũ corporis, cęterasq; res [redacted] naturales: *tertiò* res non naturales, præcipuè aërẽ ambientẽ. Nam *primum* calor febrilis quò intenſior, eò validiora refrigerãtia exigit, quò mitior, eò debiliora, & in pari

Modus curandi febrem.

 receſſu.

V.

cessu. *Deinde* subjectum caloris quò tenuius (ut in diaria,) eò facilius alteratur,& mitioribus corrigitur, quò crassius, eò validiora requirit, si vires ferre queant, sin minus, (ut in hectica,) debilioribus utendum, quàm subjecti aut intemperiei ratio exigit, ut tutò potius quàm citò curemus. Norma autem refrigerationis sit naturale temperamentum, sive naturalis status caloris nativi, cùm febris sit recessus caloris nativi à naturali statu: & refrigerandus est æger, donec ad naturalem statum redeat. Naturalis autem temperies in aliis calidior, in aliis frigidior: Quare corpora secundum naturam calidiora, ut juvenum, in quibus est minor recessus à naturali statu, mitiora: corpora verò secundum naturam frigidiora, ut senum, in quibus major recessus, validiora refrigerantia exigunt, non tamen confertim & subitò, nam tutiùs calefacimus, quàm refrigeramus. Eadem ratio in cæteris rebus naturalibus. *Observandæ* quoq; sunt res non naturales, præcipuè aër. Si aëris ambientis constitutio calida sit, quia coindicat morbo, & rationem habet lædentis, validiora refrigerantia indicat. Sin frigida, quia contrà indicat, & rationem habet curantis, mitiora postulat. Similis est ratio in cæteris rebus non naturalibus: qualis consideratio est in refrigeratione, talis in humectatione;

Nam

Nam pueri cæterique natura humidi magis humectantia requirunt. In omni curatione vires ægri intueri convenit, nam tria sunt prima indicantia; ipsa febris, causa febrem accendens quando adest, & vires, sine quibus non fit curatio. Conservantur vires reficientibus, quæ morbo & causæ morbificæ contraria, sed temperamento, ætati & consuetudini similia esse debent, ut alibi *de Meth. medendi & Diæta* demonstratum est. Febris quidem & causa febrem accendens à suis contrariis tolluntur: Verùm ipsa contraria non semper eadem sunt, sed accidit non raro, ut quod causæ contrarium est, febrem foveat, & contrà. Ubi autem utriq; idem contrarium est, aut indicationes consentiunt, tùm sine discrimine refrigerare & humectare convenit, ut in febribus biliosis. Sin indicationes dissentiant, ut in febribus ab humore pituitoso, melancholico, dirigenda erit operatio ad id, quod maximè urget, & potentioris indicationis major ratio habenda, non neglectâ tamen alterâ, ut in curatione putridarum latiùs dicetur. In diariis indicatio à morbo plerumq; sufficit, non à causâ, quia plerumq; desiit, nec à viribus. In hectica verò sumitur indicatio non minor â viribus, quàm à morbo, sed non à causâ. In putridis ab his omnibus interdum, pro modo febris. Materia auxilio-

III. Indicatio à viribus.

Collatio indicationum.

V.

Materia auxiliorum. *Diata.*

rum sive instrumenta harum operationum sunt, Diæta, Chirurgia, & Pharmacia. *Diæta* febricitantium ratione febris frigida humidaq; esse debet, præcipuè laborantium hecticâ, deinde febre ardente, sed habitâ ratione naturæ, ætatis, regionis & consuetudinis. Nam pueris potissimum humida victus ratio convenit, & iis qui tali victu uti consueverunt. Respectu causæ, si actu febrem foveat, ut in putridis febrique contràindicaverit, à frigidâ & humidâ diætâ discedere oportet, ut in curatione quotidianæ apparebit. Nos hìc de diætâ curaq; febricitantium in genere tantùm dicemus, ratione febris potissimum. Consistit autem victus ratio febricitantium in sex rebus non naturalibus ita commoderatis, ut primùm refrigerare, deinde humectare queant, vel per se, vel mediante alio. *Aer* ambiens primò si non naturâ frigidus humidusquè sit, arte præparandus erit, potissimùm æstate media, in febribus ardentibus, cubiculo perfuso aqua frigida, aut strato foliis violarum, salicis, vitis, lactucæ, nymphææ, papaveris, sempervivi, rosis, &c. Aër enim frigidus humidusquè totum quidem corpus alterat, sed thoracem & cor potissimùm, quando respiratione attrahitur. *Cibus* verò & *potus* maximè ventrem, vicinasq; partes, ad quas potissimùm penetrat,

Aer.

Cibus & potus.

trat, primùm afficit; deindè subsequentes. Qualitas autem cibi & potus frigida humidaq́; esse debet, ut diximus: deindè facilis concoctionis: & si utilis alimenti magna indigentia non sit, ut in hecticis, cibus exiguam vim nutriendi habeat, ne multum sanguinis gignat, & calorem ex consequente augeat. Convenit igitur cremor ptisanæ, aut avenæ, panis lotus cum jusculo pulli, gallinæ, &c. alterato interdum lactucâ, endiviâ, acetosâ & similibus. Item lac amygdalarum cum sem. 4. frigid, pisces saxatiles, carnes pullorum, gallinæ, perdicum, avium montanarum, vituli, &c. Potus sit aqua hordei aliquando cum pauco aceto, aqua panata saccharo dulcorata. Conceditur assuetis interdum vinum, si febris vehemens non sit, sed aquosum aut valde dilutum, cerevisia benè cocta, defœcata, sed tenuior. Probatur *possettum* Britannis usitatum, quod nil aliud est quàm cerevisia aut vinum dilutum sero lactis. Quantitas autem alimenti sit pro virium indigentia, si morbus permittere videatur. Norma autem victus sit status ipsius febris, quo tempore tenuissimo victu utendum est, in comparatione ad alia tempora. Cæteris verò temporibus tantum exhibendum, quantum sufficiat, ut æger vigorem morbi superare queat. Igitur in exquisitè peracutis febribus

bus tenuissimo victu aut inedia: in minùs acutis, pleniori victu utendum erit, semper magis in excessu, quàm defectu peccandum. Verùm si magna sit alimenti indigentia, & vires debiles, ut in hectica, parùm sæpequè nutriendum. Tempus cibationis in febribus continuis, sit tempus minoris afflictionis; in intermittentibus, ipsa declinatio, aut post declinationem, aut longè ante initium futuri paroxismi, nisi necessitas magna exigat. *Tertiò* somni & vigiliarum magna vis est: somnus enim magis humectat, vigiliæ exsiccant. Deinde somnus exteriores partes magis refrigerat, retracto spiritu cum sanguine, ac proinde calore ad interiora: contrà vigiliæ interiores partes. Proindè initio accessionum, quando calor ad interiora refugit, vigilias imperamus, in declinatione aut fine augmenti, somnum potissimùm. In omnibus continuis, nisi adsit visceris inflammatio, somnus paulò longior confert, maximè in ardentibus & hectica. Visceris verò inflammatio per somnum magis augetur. *Quartò* motus ut suprà dictum est, calefacit. ergò quies febricitantibus magis convenit. Præterea tranquillitas animi imperanda erit, omnesque perturbationes, præcipuè verò ira fugienda. *Tandem* excretorum & retentorum præter naturam ratio habenda erit, nam si ea, quæ naturaliter expel-

Somnus & vigiliæ.

Motus & quies.

Animi affectus.

Excreta & retenta.

expelli debent, ut excrementa alvi, urinæ, ſudores, &c. non expelluntur, expirationes calidæ augentur; ſimiliter ſi expellantur humores frigidi, retineantur calidi, calor intenditur. Quare excrementa alvi promoveantur clyſtere, aut lenitivis; Urinæ, diureticis &c. His aliisq; obſervatis, ſi tanta vis febris ſit, ut ſolâ victus ratione curari nequeat, ad alia remedia procedendum erit. Et *primò* ſi cauſa febrim accendens adhuc præſens ſit, ſubmovenda: Veluti, ſi malum à plenitudine, vena ſecanda. Tollitur quidem plenitudo ſenſim lenteq; tenuiſſimâ victus ratione, aut inediâ & frictionibus; verùm ſi morbus magnus à plenitudine urgeat, ut febris continua, aut inflammatio viſceris, plenitudo venæ ſectione ſolvenda repente erit, ut corpus periculo ſubtrahamus; cùm in mora periculum ſit. *Deindè* plethora quæ alieno morbo comes tantùm aſſiſtit, ut quæ comitatur febrem intermittentem, venæ apertione utiliter detrahitur. *Præterea* utimur venæ ſectione revulſionis gratia, quando ſanguis in partem irruens inflammationem minatur, item in hæmorrhagia & ſimilibus. *Secatur* quoq; vena, in initio febrium putridarum, ſi vires, ætas, cæteraq; conſentiant, non ſolùm ad demoliendam plethoram, ſed etiam gratia eventationis, ut concoctio melius procedat, pu-

Phlebotomia.

tredo

tredo restinguatur &c. ut latiùs dicemus in curatione febrium putridarum. In diariis rarius sectio venæ desideratur, & potissimum in synocho non putri, in hectica nunquam. *Si* adsit cacochymia febrem fovens & augens, pro modo situq; humoris peccantis, purgatio instituenda erit. Nam si in prima regione sit humorum impuritas, levioribus utendum; si in secunda aut tertia, validioribus, aut per intervalla & vices; veluti si in intestinis, clystere detergente: si cum nausea sursum obrepat, vomitu evacuari debet: citra nauseam, infuso rhabarbari, fol. senæ, agarici & similibus. Si cacochymia intra vasa fuerit, & humorum cruditas, primùm digerentibus, concoquentibus, putredinem restinguentibus utendum, nisi materia turgeat, ut alibi *cap. de purgandi ratione* dictum est. Nam ad eos humores, qui in vasis peccant, præparatio necessaria est: & non solùm concoquentibus, sed etiam præparantibus, quæ vias ad alvum reserant, pro natura humoris peccantis obstructiones aperiunt, & crassos humores extenuant, ut oxysacchara, syr. acetosus, oxymel &c. de quibus in specie suo loco dicemus. Præterea malignitas humorum corrigatur alexipharmacis ex acetosa, citro, scordio, theriaca &c. acrimoniā humorum contemperantibus, syr. violarum, nymphææ &c. dandaq;

Purgantia.

daq; opera, ut corpus relaxetur, & perspiratus comparetur balneis dulcibus, si nihil impediat, medicamentis rarefacientibus & relaxantibus, ut camomillo, meliloto, anetho &c. Sublatis causis, quæ febrem fovent, ipsa febris refrigerantibus & humectantibus tutò curatur, nimirum potionibus ex syrupis, julepis, violarum, rosarum, cichorei, endiviæ, syr. acetosi, oxysaccharæ simplicis &c. & si adsit suspicio malignitatis, syrupo granatorum, acetositatis citri, limonum, corticum citri, &c. cum aquis aut decoctis appropriatis, additis guttis aliquot spiritus vitrioli rectificati. Similiter utendum erit confectionibus ex conservis violarum, rosarum, endiviæ, acetosæ, cichorei, buglossæ &c. cum speciebus diatrionsantalon, diarrhodon, diamargaritonis frig. aromatici rosati &c. Commendatur à Gal. 9. *Meth.* in vigore febrium, præmissis universalibus, potiò aquæ frigidæ, si æger assuetus sit; modo cum febre conjuncta non sit obstructio, humorum cruditas, debilitas ventriculi, inflammatio viscerum &c. ut ibidem admonet Galenus. *Extrinsecus* ad confortandum & restinguendum calorem febrilem, adhibemus olea, unguenta & epithemata refrigerantia, ut si magna vis caloris sit in jecore, linimenta ex cerato santalino, ung. refrigerantis Gal. oleo rosato, &c.

Medicamenta febrem extinguentia

Topica.

Epi-

Epithemata ex aqua rosarum, endiviæ, epaticæ, &c. cum aceto rosaceo, spec. pro epithemate jecoris, cerati santalini &c. Adhibeantur hæc omnia jecori, post communes evacuationes tantùm, alioquin materiam impingunt. Si cordis calor urgeat, aut virium debilitas, cordi admoveantur epithemata, sed minùs frigida quàm jecori, ex aqua rosarum, acetosæ, buglossæ &c. cum speciebus pro epithemate cordis, Diamargar. frig. croco &c. si vehemens calor, addito aceto rosaceo, camphora, aliisquè, ut infrà latiùs dicetur. Atq; hæc in genere tantùm dixisse sufficiat. In specie verò de curatione cujusque febris & symptomatum febres consequentium, suo loco pluribus agemus.

DE FEBRIS EPHEMERAE ESsentia, causis & differentiis.

Caput VI.

Cum inter species febrium, *Ephemera* omnium simplicissima, brevissima & curatu facilima sit, consultissimum esse ducimus, ab ea initium facere. Inditum autem huic febrium generi, *Ephemeræ* sive *Diariæ* nomen, non ab essentia ejusdem, sed convenienti nomine destituti, ab eo quod sæpissimè fit, clarioris doctrinæ gratia.

tia.

tia. Vocatur autem ἐφήμερον unius diei opus, unde Arist. 5. *de hist. Animal.* animal illud, quod eodem, quo nascitur die, decedit, ἐφήμερον appellavit: Item κολχικὸν Dioscorides ἐφήμερον nominavit, quia eodem die, quo assumitur, hominem interficit: pari ratione febris, quæ in spiritibus primò residet, ab eo, quod ut plurimum fit, Ephemera dicitur. Nam plerumque febris ista, ultra unum diem naturalem, sive 24. horas non prorogatur, rarissimè ad plures dies extenditur, & potissimùm ubi dependet ab obstructione aliaq; causa permanente: Nam spiritus cum tenuissimi sint, facileq; dissipabiles, citò facileq; incalescunt, & citò ad naturalem temperiem redeunt, aut calidiores facti, facilè exhalant, novique in corde citò gignuntur, non affecti à calore præter naturam, nisi à causa aliqua foveantur, quæ non sinit calefactos præter naturam spiritus refrigerari, sed sanguinem simul calefacit, unde ephemera extensiva, & synochus simplex non putrida. Definiri poterit *ephemera calor præter naturam accensus in spiritibus, aliquando simul cum sanguine, sed sine putredine, & à corde per arterias & venas in totum corpus diffusus, actiones manifestè lædens.* Consistit ephemera in calore præter naturam influente à corde per arterias potissimùm, aliquando in sanguine concalefacto, sed nondum putri,

Ephemer nomen.

Definitio ephemeræ.

Subiectum ephemeræ.

& primò ſpiritus vitalis, qui in corde & arteriis continetur, accenditur, deindè ſpiritus naturalis, ac etiam animales, ad quos procreandos vitales aſſiduè concurrunt: niſi enim calor non naturalis ſpiritus cordis occupaverit, & calor nativus cordis in igneum converſus fuerit, febris dici nequit; licet cauſa accendens febrem aliàs ab ipſo ſpiritu incipere queat, ita tamen ut mox cæteros invadat, donec diſpoſitio ad cor & ſpiritus vitales pertingat. Nam aliquando à naturali ſpiritu incipit calor non naturalis, ex ebrietate, ſatietate, inedia, &c. aliquando ab animali ex vigiliis, curis, cogitationibus, &c. non raro immediatè à vitali, ex ira, mœrore, &c. Accenſo calore nativo in cordis ſpiritibus, ſive calore cordis in igneum mutato, neceſſariò in totum corpus per arterias & venas effunditur, ut ſuprà demonſtratum eſt. Omnis autem calor febrilis acris igneusvé eſt, at calor ephemeræ, quia in tenui ſubſtantia reſidet, cæterarum reſpectu levis eſt, facileque diſſipatur, quò enim materia, quæ accenditur, craſſior denſiorvè eſt, eò calorem vehementiorem acrioremvè concipit. Reſidet calor febris ephemeræ in ſpiritibus, plerumque ſolis, aliquando in ſanguine tantùm concalefacto, nondum verò putri. Nam quando ſpiritus primò accenduntur, deindè ſolida

lida cordis substantia, ita ut constituatur in calefacto esse, aut humores in ventriculis cordis, ut putrescere incipiant, tùm diaria non permanet, sed è diaria in hecticam aut putridam transitus erit. Verùm quando sanguis tantum concalefit, sine ulla putredine, febris à natura diariæ non degenerabit, & valdè acris non erit, licet ad plures dies extendatur. Nam magna ephemeræ latitudo est, & non necesse, dum in putridam aut hecticam transit, novum quoddam genus imaginari, quod neutrius extremorum formam exhibeat, & indivisibile consistat, sed sufficiunt tria illa prima febrium genera. Omnis ergò febris orta à sanguine tantùm supercalefacto, quia putridæ & hecticæ respectu levis adhuc est, ad aliud genus, quàm ephemeræ, referri nequit. Itaque *ephemera duplex* erit. *Una* simpliciter dicta, quæ consistit in spiritibus tantùm, & horis viginti quatuor sive die naturali plerumque finitur; raro ad secundum, rarissimè ad tertium diem extenditur. *Altera* quæ consistit in sanguine concalefacto, & ad plures dies prorogatur, quæ *synochus simplex* & sine putredine propriè dicitur, à barbaris *synocha inflativa*. Dico propriè, quia communiter omnis ephemera plurium dierum, ephemera synocha dicitur, licet non semper consistat in

Differentia ephemeræ ratione subiecti.

VI.

sanguine concalefacto, ut infrà dicemus. Utraq, febris uno circuitu continetur, & calorem levem mitemque habet, ut hectica acrem cum squalore; putrida acrem cum vaporum copia. Verùm distinguuntur non solùm temporis diuturnitate, sed etiam quantitate caloris, & magnitudine causarum. Nam calor diariæ, qui consistit in sanguine, acrior est, quàm qui in spiritibus, & magnam vaporum copiam edit. Sed calor & vapores in synocho simplici minus acres sunt, quàm in febre putrida. Deinde diaria simpliciter dicta & synochus easdem causas habent, sed vehementiores multò synochus; leviores diaria exquisita. Immediata causa ephemeræ est effervescentia solum spirituum & sanguinis in corde; effervescunt autem sive accenduntur *primò* à causis calefacientibus spiritus in corde; *Deinde* si à causa actu foveatur, quæ non finit spiritus refrigerari, ad plures dies prorogatur, & si adsit plethora, plerumque sanguis sensim incalescit, unde synochus sine putredine oritur. Igitur diaria omnis vel in spiritibus tantùm consistit, vel in sanguine tantùm concalefacto, cæteriq; tres succi febrem non excitant, nisi putrescant. Nam melancholia & pituita non accenduntur sine putredine. De bile flavâ dubitatur. Nam Fernelius ex nimia bilis concitatione synochum

Causa ephemera.

notham

Cap. VI.

notham oriri putavit. Verùm cum plerique ictèrici, quibus bilis redundat & concitatur, febre careant, credibile non est, à bile sine ulla putredine febrem oriri, aut citra omnẽ putredinem ita concitari posse, ut per se simpliciter febrem concitet: Non tamen existimandum est cum Athenæo, omnem febrem à putredine oriri, nec perpetuò causam aliquam conjunctam habere. Febris quidem putrida sine causa continua, quæ eam genuit, actuq; fovet, consistere nequit. At hectica & Diaria sublata causa febrem accendente, tam diu durant, quamdiu calor, quem spiritus & solidæ partes conceperunt. Origo autem febrium ephemerarum est à causa procatarctica; procatarcticas autem sive externas causas vocamus, non quæ extrinsecus semper adveniunt: (nam quædam intrinsecus promanant, ut excreta & retenta præter naturam: nonnulla à nobis excitantur, ut motus, quies, affectus animi &c.) sed quæ omnibus extrinsecus patent, & inter ea non numerantur, quæ corpus nostrum constituunt, quarum aliæ necessariæ sunt, ut sex res non naturales; aliæ fortuitæ. Peculiariter verò ephemeram excitant omnes causæ aliis febribus communes, excepta putredine, de quibus supra dictum est, & infrà latiùs dicetur. Nam ex putredine spirituum diaria fieri non videtur, ut Valesius arbitra-

An diaria fiat ex putredine spirituũ.

bitratur; cum putredo ab obſtructione ex humiditate excrementitia fiat, & quietem exigat; ſpiritus verò tenuiſſimus ſit, naturæquè igneæ, & facilè diffletur; & prius obruatur, ſuffocetur aut extinguatur, quàm putreſcere queat. Inquinantur quidem ſpiritus in corde, & accenduntur interdum à putridis vaporibus, aut malignis tetris exhalationibus; ſed febris tum putrida aut peſtilens propriè erit, quia acris aut maligna, non diaria, quæ levis & benigna ſemper eſt. In ſpecie diariam excitant, ſecundum Galenum, ira, vehementes curæ, ſolicitudo, triſtitia, vigiliæ, laſſitudo, quæ ad motum improbum referuntur. Secundò, æſtus à calore ſolis, ignis, balnei ferventioris, & ſimilium. Item adenum & inguinum tumores, ut bubones, à quibus per continuam alterationem vicinis partibus calor communicatur, donec ad cor diſpoſitio pertingat, quæ omnia ad viciniam & contactum rei calidæ reduci poterunt. Nam ſi viſcus nobile aut pars cordi propinqua inflammatione laboret, è qua ad ipſum cor putridus vapor aſcendat, ut in angina & pleuritide, non diaria ſed putrida febris generatur: ſin pars à corde ita remota ſit, ut præter continuam alterationem aut ſolam caliditatem nullus vapor putridus ad ipſum pertingat,

 CAP. VI.

gat, diaria non putrida ſuſcitabitur. Tertiò diariam excitat pororum cutis & meatuum anguſtia, quatenus tranſſpirationem fuliginoſorum vaporum impedit; anguſtia autem illa eſt vel conſtipatio aut obſtructio exilium meatuum, aut parvarum venarum & arteriarum, à craſſis viſcoſis ſuccis, vel meatuum conniventia & ſubſidentia ex immoderata corporis denſatione, à frigore, medicamentis frigidis adſtringentibus, ut balneis frigidis, aluminoſis, &c. aut ex cutis nimia exſiccatione ab uſtione, immodica frictione, &c. Ab his denſata cute aut obſtructis poris calidi vapores intra corpus coërcentur, febrisq; accenditur diaria, ſi morboſus apparatus in corpore non præfuerit; putrida, ſi præfuerit. Præterea crapula ciborũq; in ventriculo cruditas ſive ea ſit à nimia copia, ſive à qualitate, ut à vino meraciori, ſive à pravorum ciborum eſu, ubi in nidorolentam aut fumoſam qualitatem corrumpuntur, ephemeram accendere ſolet, & ſimul in ventriculo affectum phlegmoni ſimilem. Item catharrus acris, alimenta & medicamenta actu vel poteſtate calida, quæ omnia ad permixtionem rei calidæ referuntur. His cauſis adduntur ab Avicenna aliisq;, timor, gaudium, animi tranquillitas, ſomnus & quies immodica, dolor, fames, ſitis, ſyncope,

 nauſea

nausea, immodicæ evacuationes, asperitas cutis &c. has omnes causas Avicenn. ad tria genera reducere videtur: *Primò* ad perturbationes animi vel corporis, sub quibus ira, vigiliæ, sitis &c. *Secundò* ad affectus corporis, sub quibus constipatio, obstructio, bubo. *Tertiò* ad ea quæ extrinsecus obveniunt, ut æstus, frigus &c. Origo quidem ephemerarum est à causa aliqua procatarctica, & potissimùm diariarum, quæ uno die terminantur, quæ verò plurium sunt dierum, aut in aliam febrem degenerant, ab interna aliqua causa foventur, licet initium habeant à causa evidenti & recenti. Omnes hæ causæ pari modo in omnibus febrem non accendunt, sed aliæ magis per se, ut æstus, alimenta calida, suppressio calidi effluvii, inflammationes àdenum, ira, lassitudo: aliæ interveniente una aut pluribus mutationibus, ut quies, somnus, animi tranquillitas, &c. ut suprà dictum est. *Omnium* oportunissimi sunt ad hanc febrem, qui temperamento calido siccoq; præditi sunt, & multas acresq; fuligines colligunt: tales enim ab æstu, motu improbo animi vel corporis, prava victus ratione & similibus facilè incalescunt, & à constipatione pororum cutis, fuligines coacervati facilè effervescunt, brevique spiritus inflammant, ac communicato calore ipsi cordi diariam simpliciter dictam exci-

Qui oportuni sunt ad diariam.

Cap. VI.

excitant. Diariam verò extensivam, sive synochum communiter dictam gignunt hæ eædem causæ, si vehementiores fuerint, aut actu febrem ita foveant, ut non sinant spiritus calefactos eo temporis spacio refrigerari, præcipuè magna constipatio, cruditas, catarrhus, bubo. Synochum verò simpliciter propriè dictam, si sanguis concalefiat à validâ meatuum obstructione, cum plethorâ. Quòd si corpus cacochymicum fuerit, plerumq; ephemera in putridam degenerare solet; nam nisi vitiosus succus penitùs transspiret, necesse est ut putrescat: Si enim à spiritibus ad cordis substantiam fiat caliditatis transsumptio, in hecticam degenerabit, ut alibi dictum est. Nam corpus calidum & siccum si inedia utatur, ephemera aliquando in hecticam transit: per inediam enim non solum bilis concitatur, & materia acrior redditur, sed etiam calor innatus, qui nunquam otiosus est, cùm non inveniat commodum objectum, agit in sanguinem solidasq; partes. Deinde ephemera si à prohibita transspiratione oriatur, & utamur, quæ obstructiones non aperiunt, non solùm febris prorogatur, sed etiam successu temporis necesse est humores putrefieri, & ephemeram in putridam degenerare, maximè quando adest cacochymia aut plethora, quò ad vires. *Differentiæ* ephemerarum sumuntur

Quomodo diaria in hecticam aut putridam degenerat.

Differentiæ ephemerarũ.

tur à subjecto, à duratione, & à causis ephemeram accendentibus. *A subjecto* alia ephemera consistit in spiritibus tantum, quæ ephemera simpliciter dicitur, alia in sanguine concalefacto, quæ synochus propriè vocatur, ut suprà dictum est. Deinde *à duratione*, alia exquisita simplexq́; est, quæ ultra unum diem non prorogatur: alia minus exquisita, quæ ad plures dies extenditur, unde ephemera extensiva dicitur, & communiter quidem synochus simplex aut sine putredine. Verùm propriè juxta Galen. & Aëtium omnis ephemera plurium dierum synochus simplex non est, sed illa tantum, quæ consistit in sanguine concalefacto, cum magnâ benignorum vaporum copia, à valida meatuum obstructione, potissimum in corpore juvenili & plethorico. Nam ubi diaria ex constipatione vasorum circa cutem oritur, si exigua fuerit probeq́; curetur, ultra unum diem non producitur, & diaria exquisitè vocatur, eadem in similibus ratio est: at si non ritè curetur, in ephemeram plurium dierum interdum transmutatur, potissimùm in corpore cacochymico, dum multùm fuerint voraces, item in plethora, quò ad vires. Idem evenire solet in ephemera à bubone, crapula, ac catharro: sed hæ febres propriissimè synochæ non sunt; licet ita communiter dicantur. At si magna consti-

patio

patio meatuum causa febris fuerit, aut valida obstructio vasorum, & humores vehementer impacti in corpore plethorico calido, ephemera plurium dierum oritur, quæ synochus simplex dicitur, barbaris synocha inflativa, & à synochis putridis tota essentia sua distinguitur, licet utraq; una accessione contineatur, de quibus latiùs infrà in specie dicetur. *Postremò* differentiæ ephemerarum sumptæ à causis, ex suprà dictis facilè intelliguntur, verùm causæ illæ in diaria plurium dierum, post generationem febris interdum manent, ut quæ fiunt à glandularum inflammatione, cutis & meatuum constipatione, crapula, catarrho: In cæteris post genitam febrem plerumq; recedunt, & febrem actu non fovent, proindè nihil propriè indicant.

DE SIGNIS EPHEMERAE.

Caput VII.

Ephemeræ dignoscuntur præcipuè ex causis evidentibus prægressis, deindè ex effectis & symptomatibus: In specie verò præcipua signa diagnostica ex quinq; potissimum desumuntur, nimirũ ex causis febrẽ accendentib⁹. 2. ex qualitate caloris febrilis. 3. ex pulsu. 4. ex urina. 5. ex forma ipsius febris & partium ejusdẽ. *Inseparabile* sed non planè propriũ ephemerarum signũ est

Signa diagnostica.

Signa diaria sumpta à causa.

est, à causa aliqua manifesta, quæ eam præcessit, incipere: licet, ut suprà dictum est, ephemera plurium dierum à causa interna nonnunquam foveatur. Incipere autem à causa manifesta, commune est febrium ephemerarum, non tamen ita proprium, ut nequeat aliis febribus contingere; nam hectica aut putrida aliquando à procatarctica incipit, licet non immediatè à causa manifestâ adhuc recenti, ut ephemera. *Secundò* calor ephemeræ tàm acris non est, ut aliarum febrium, sed suavior, mitiorquè, licet in omni diariâ confestim ad manus injectionem calor major non percipiatur, quàm naturaliter esse debeat, præcipuè in constipatione à frigore, & ab adstringentibus: tamen calor ille citò à manu superatur, quo signo etiam ab hecticâ distinguitur. Residet enim calor ille in materia tenui, minusquè acri &, teste Avicenna, se habet ut caliditas corporis laborantis, aut temulenti: edit autem synochus simplex propriè dicta potissimùm magnam benignorum vaporum copiam, non acrium, ut febris putrida, sed calorem magis acrem habet, quàm ephemera simplex. *Tertiò* efficacissima signa febris, teste Galeno, *1. ad Glauc. cap. 2.* consistunt in pulsibus & urinis, cum febris primò cordis, deindè arteriarum & venarum sit affectus, & à corde pulsus, sed venosi

Signa à calore.

Signa à pulsu.

generis

generis excrementum sit urina. De distinctione febrium ex pulsibus suprà latiùs dictum est: nam omnes ephemeræ secundum Galenum, pulsus in magnitudinem, vehementiam & velocitatem, quantum in ipsis est, immutant, si nil aliud concurrat: proprie verò ad magnitudinem & celeritatem effatu dignam pulsus accedit, ad frequentiam non item: deindè cum diariæ putredine careant, necessitas nulla urget expellendi fuliginosa excrementa, sed febrilem calorem eventandi; proinde in ephemerâ contractionis usus non augetur, sed dilationis, & interna quies brevior, exterior parum aut nihil à naturali statu mutatur, atque ita diastole velocior est, quàm systole, quia diastole magis ad refrigerationem, systole ad expulsionem fuliginum constituta est. Præterea inseparabile signum ephemeræ est æqualis & incompressus ascensus & in caliditate & pulsibus, sed non planè proprium, item cessante accessione pulsum ad naturalem statum penitùs redire. Si signa ex pulsibus dubia videantur, confugiendum est ad respirationem, cum unum eundemque finem habeant. *Quartò* quia febrilis calor in spiritibus propriè accensus est, & humores, qui in venis continentur, omni putredine carent, urinæ venosi generis excrementum, naturalibus similes erunt, aut parum ab his muta-

Signa ex urinu.

mutatæ, benè coloratæ, ruffæ, aut nonnihil tinctæ, præcipuè in synocho, ac prima die statim concoctæ, licet nonnullis harum nebula, aliis Eneorema, plerisq; optima hypostasis insit, nisi ephemera in putridam degenerare inceperit. *Tandem* signa sumpta ab accessionis forma, & partibus ejusdem varia sunt. Primùm facilitas tolerandi accessionem magnum signum ephemeræ est, incipit propriè sine horrore, rigore, frigore, nisi adsit irritatio aliqua à bile, inedia & similibus. Incrementum æquale est; vigor non immoderatus, nec intolerabilis, & sine pravis symptomatibus; declinatio brevis, cum sudore, madore, vapore, quam sequitur perfecta febris solutio & cessatio, intra 24. horas, rarò ultra secundum diem, rarissimè ultra tertium, & potissimùm in synocho simplici propriè dicta: ut peculiari capite dicetur.

Signa ab accessionis forma.

Etsi causæ diariæ recentes & manifestę sunt, tamen quia aliquando post febris generationem prætereunt, aliquando permanent, utile ęst, utrasq; cognoscere; præsentes quidem, quales sunt meatuum constipatio, cruditas, &c. ut removeantur, ne actu febrem foveant: præteritas verò, ut perturbationes animi & corporis, æstum &c. ut curatio meliùs procedat, & affectus omnes præter naturam in corpore removeantur. Signa horum sumuntur potissimùm ab effectis, nimirùm à calo-

Signa causarum.

calore, pulſu, urina, ex habitu corporis, & ſimilibus. Nam iræ & furoris ſigna ſunt: calor major & è profundo celeriùs erumpens, pulſus magnus, urina calidior quàm acrior, nulla oculorum cavitas, nec decoloratio. Triſtitiæ verò & ſolicitudinis, calor cutis moderatior, ſicciorq;, pulſus minor, urina acrior quàm calidior, corporis extenuatio, oculorum cavitas & decoloratio inconſueta cum ſiccitate. Vigiliarum eadem propemodum ſigna ſunt, ſed facies vigilantibus ſubtumida eſt, oculorum motus ligatur, ut palpebras vix attollant, ipſi oculi pallidi cum multa humiditate. Æſtus ſigna ſunt, cutis ſiccior, calidior, capitis dolor & ardor, pulſus & reſpiratio magna, calor primo ſtatim manꝰ occurſu acrior, ſed pòſt mitis, contrà quàm in diaria ex adſtrictione cutis. Nàm in adſtrictione cutis, caliditas primò minor eſt, ſed paulò pòſt acrior ſentitur, cutis ſiccior, corpus tumidius, pulſus magnꝰ, urinæ minus tinctæ, Obſtructionis meatuū ſimilia quidem ſigna ſunt, ut adſtrictionis cutis, verùm in obſtructione adeſt ſenſus majoris gravitatis, urinę magis tinctę, pulſus rariores, nullus ſudor, & potiſſimū, ſi magna ſit redundantia à craſſis humorib. Nam ubi ex crapula aut cruditate ephemera oritur, ac ex corruptione alimentorum in nidoroſam qualitatem adſunt ructus nidorolenti, æſtus, fervor, morſus circa orificium ventriculi,

Signa diariæ ab ira.

A triſtitia.

A vigiliis.

Ab æſtu.

Ab adſtrictione.

Ab obſtructione.

A crapula & cruditatibus.

A bubone.

dolor capitis plerumq; &c. Bubo quidem cæteræq; adenum inflammationes sub sensum cadunt. Ephemeræ verò, quæ ex bubonibus fiunt, calorem magnum, ad statum usq; potissimùm, sed minimè mordacem habent; à quo vapor calidus ex profundo prodit: pulsus in his magni, celeres & frequentes sunt, facies rubicunda, urinæ subalbidæ. Oportet autem has febres distinguere ab illis, quæ ex inflammatione visceris alicujus, aut ex pestilenti febre, aut putredine humorum in magnis vasis oriuntur, Nam in bubone, putrida fuligo in loco bubonis circumscripta est, & partes proximæ, una post aliam, calefiunt, donec dispositio ad cor pertingat. Contrà in febribus putridis, in quibus non tantùm partes vicinæ accenduntur, sed etiam fumus à putrescentibus humoribus aut visceribus ortus per vasa ad cor defertur. Deinde bubones, unde ephemeræ, sunt & à causa magis manifestâ, & febrem antecedunt: at cæteræ bubones malignæ sunt, teste Hipp. 55. *Aphor.* 4. & febrem consequuntur.

A lassitudine.

Quibus ex lassitudine diaria evenit, cutis siccior est, quàm in alia ephemera, ante vigorem potissimùm, pòst verò plerumq; calidus vapor ex intimo corporis effertur, nisi refrigeratis, aut à sole exustis, cum lassitudine. Nam his quidem pulsus exigui potissimùm sunt,

cæteris

Cap. VII.

cæteris magni. Fomes caloris febrilis, situsquè partis, in quâ potissimùm accenditur, dignoscitur ex causis procatarcticis. Nam si ab irâ, cæterisq; affectibus, erit fomes in corde: si à vigiliis, curis, laboribus, à cerebro primùm calor cordi communicatur: si à crapula, cruditatibus, re venereâ, & similibus, ab hepate: cæteræ causæ facilè dignoscuntur. Oportet autem non solùm genus hoc febrium dignoscere, sed etiam particulares ejus differentias à diversis causis ortas; singulæ enim ferè particularem quandam curationem exigunt. Ephemera simplex proprieq; dicta, nisi quid erratum sit, culpa ægri, medici aut adstantium, nullusq; alius affectus supervenerit, horis 24. terminatur, solvitur sine omni perturbatione, ita ut ejus solutio crisis non appelletur, nisi impropriè, discutitur facilè, quia in spiritibus consistit, qui valde tenues sunt, deindè licet citò finiatur, morbus tamen acutus dici nequit, quia parvus. Si post 24. horas ad integritatem non pervenerit, nec facilè toleretur, demonstrat aut simplicem diariam non esse, aut in aliam febrem converti. Convertitur aliquando in synochum sine putredine, ubi perseverat in corpore juvenili, plethorico, verno tempore, &c. In putridam, si incidat in corpus cacochymicum cum obstructionibus vasorum; In hecticam, si

Prognostica.

incidat in corpus calidum, ſiccum, raræ texturæ, exſangue &c. Permutatio autem ephemeræ in alias febres dignoſcitur ex modo declinationis ejuſdem. Nam ſi declinatio ephemeræ fiat citra ſudorem, omnemque aliam evacuationem, item ſi longa, difficilis; pulſusq; reddantur frequentiores, inæquales &c. unà cum aliis ſymptomatibus, ut ſunt dolor capitis, corporis gravitas, urinæ tinctæ aut crudæ &c. in febrem hecticam vel putridam transmutabitur. In quam autem febrem fiat tranſitus, ex propriis illius ſignis non difficile erit cognoſcere. Diaria quæ ex aduſtione, cruditate, laſſitudine, vigiliis, aut animi perturbatione, bubone ex evidenti cauſa, nunquam ad tertium diem prorogatur, niſi in aliquo peccatum ſit circa ægrotantem. At quibus conſtipatio cauſa eſt, iis ultra diem tertium porrigi acceſſio ſolet, & ſi non rectè curentur, metus eſt, ne in aliam febrem degenerare incipiat. Bonum eſt in hac febre, ægrum ad ea, quæ offeruntur, benè ſe habere, & ſi malum à crapula & cruditatibus potiſſimùm, alvum laxam eſſe. Omnium graviſſimæ ſunt ephemeræ, à crapula, cruditatibus, aut conſtipatione meatuum, quæ non ſolùm qualitatem, ſed etiam materiam vitioſam in corpore retinent, & novam ſuggerunt: cæteræ, quæ intemperiē ſolam excitant, niſi incidant in corpus ſiccum

cum, debile, minùs graves sunt. Pessima in biliosis naturis est cruditas, facileq; febrem accendit, quod cibi in fumosam naturam citò corrumpantur. Verùm si alvus lubrica sit, fumosa corruptio minùs nocet. Febris ab obstructione ex paucis tenuibus succis citò terminatur; ex multis crassis, intra diariæ fines contineri nequit.

DE CVRATIONE EPHEMERÆ.

Caput VIII.

Cap. VIII.

COgnitio Diariæ majorem postulat diligentiam, quàm curatio. Nam si probè non dignoscatur, & aliquid nos lateat, error aliquis contingere solet in curatione, victusq; ratione, unde in putridā aut hecticam degenerare solet, licet sua natura brevissima sit, & curatu facilima. Indicatio curativa sumitur potissimùm ab ipso morbo, non à causa in ephemera simplici, quia desiit, nisi febris adhuc in fieri tantùm sit, aut ephemera plurium dierum, à constipatione cutis & meatuum, à cruditate, bubone & similibus. In his causa tollenda erit, ne febrem ulterius foveat; in illis quia desiit, nihil desiderat; nec etiam symptomata, quia levia, & sublatâ febre facile evanescūt. Nam ephemera propriè dicta, q̄a in levi affectione tantum consistit, & in tenuissimâ substantiâ *Indicationes.*

resídet, cujus calor ſponte & citra medici auxilium evaneſcit, proinde rarò auxiliis ullis indiget, ſufficitq; præcavere, ne in febrem plurium dierum abeat: item ne in putridam aut hecticam degeneret; ſublatis cauſis præſentibus, & adhibitâ convenienti diætâ. A viribus autem, quia integræ ſunt, plerumq; nulla ſumitur indicatio; & propriè aut primâ ratione in hac febre nihil indicant, ſed ſecundariò & ex accidente tantùm. Ipſa ephemera indicat propriè refrigerantia, ſecundariò humectantia, ut ſiccitatis præſentis vel imminentis ratio habeatur. Norma refrigerationis ſit illa, quam ſuperiori diſputatione propoſuimus. Virtus quando urget (quod in diaria rariſſimè accidit) indicat conſervantia; cauſa contraria, pro modo & ratione cauſæ. Nam repletio evacuantia, conſtipatio cutis relaxantia, obſtructio aperientia: In ſummâ tentare ſemper oportet contrarium afferre ei, quod moleſtat; ut labori, quietem; vigiliis, ſomnum; iræ, furori, triſtitiæ, eam animi jucunditatem, quæ ex ſermonibus, actionibus, ſpectaculis, & id genus aliis percipitur &c. Nam cauſa febris, ſi adhuc manet, initio ſubmovenda eſt, ne febrem ulterius faciat; ſi jam receſſit, nil deſiderat, ſed tantùm febrim, quæ reſtat, contrario curare decet. Ad materias auxiliorum quod attinet,

Cap. VIII.

net, in diaria ſimplici, ut diximus, ſola diæta ſufficere videtur, in cæteris cum diætâ pharmacia & chirurgia requiritur. *Materia auxiliorum.* Diæta autem in ephemera ſit ~~calida~~ humida, ſed habita ratione naturæ, ætatis, conſuetudi- frigidâ nis & ſimilium. Conſiſtit diæta in cura *Diæta.* ſex rerum non naturalium, quemadmodum ſuprà dictum eſt. ſed alia atq; alia pro ratione cauſæ. Omnium autem laborantium ephemerâ, communis victus eſto cibus boni ſucci, concoctu facilis, qui exiguis meatibus non inhæreat, ut ptiſana, hordei halica, potiſſimum cum modico aceto diſtributionis cauſa, pulticula ex avenato aut hordeato, panato; panatella: piſces ſaxatiles, carnes pullorum, gallinæ &c. Verùm febricitantium ex labore cibus ſit benè nutriens, ut carnes pullorum, panis non lotus, &c. ſimiliter ex inedia. At ex refrigeratione alimentum ſit nutriens modiceq; calefaciens: ex vigiliis, curis, ſolicitudinibus, quod humectat, ſomnumq; inducit, ut lac amygdalarum cum ſemine papaveris &c. ex ira, uſtione, refrigeratione, quod humectat, ut cremor ptiſanæ, lac amygdalarum, cum ſeminibus frigidis. Verùm laborantibus ſynochâ, item ex bubone ante inflammationis ſolutionem, ex magna obſtructione, catarrho acri, ex vigiliis, cum dolore capitis, ex ira & furore, aut ſi metus ſit hecticæ, vi-

num omninò interdicendum eſt, dandaque aqua hordei aut cerevisia tenuis, cæteris vinum concedi poterit pro conſuetudine, præcipuè fatigatis, triſtibus, curis & ſolicitudinibus vexatis. Si malum ſit ab obſtructione, & ex craſſis frigidis humoribus, extenuantibus & incidentibus erit utendũ, ut ſyr. acetoſo, oxymelite, mulſa &c. Verùm mulſa & mel bilioſis naturis adverſa eſt, & facile in bilem vertitur. Quibus autem temperatura calidior ſicciorq; facta eſt, metusque hecticæ, eos convenit, circa primum acceſſionis inſultũ nutrire, nec declinationem ſpectare; multò minus diatriton Methodicorum indicere. Quantitas alimenti exiſtimatur ex indigentia, item ex viribus, ætate, conſuetudine ægri &c. Veteres ſimplicem diariam, diæta refrigerante & humectante, balneis dulcibus, mollibus frictionibus & unguentis relaxantibus, poros aperientibus potiſſimùm curarunt, quæ in declinatione præcipuè conveniunt, ſed aliter atq; aliter, pro modo generationis febris. Nam mos veteribus fuit, frequenter balneare, adhibitis frictionibus & inunctionibus, ut præſcribit Galenus *lib. 2. de ſanit. tu.* & alibi. Verùm hodie pauci per valetudinem frequenter lavare ſolent; multi nunquam, nulli ferè frictionibus & inunctionibus utuntur more veterum. Non conſuetis igitur pro balneo utile erit ſudores

res

res in lecto provocare, aut crura lavare cum aqua tepida decocti chamomil. anethini, malvæ, meliloti & similium: ac in vapore aquæ calidæ sedere, præmissâ molli frictione, aliquando inunctione & fomentis relaxantibus. Per *balneum* simpliciter dictum, apud veteres intelligitur aquæ dulcis. Veteribus autem quatuor balnei partes erant, nimirùm aër balnei, deinde triplex solium, scilicet aquæ calidioris, frigidioris & intermediæ, ubi deterguntur sudores. Verùm in ephemera convenit in omnibus balnei partibus media quædam solii caliditas, aliquando aër balnei tantùm, sed rariùs, & in diaria à densitate aut adstrictione cutis potissimùm. Aër quidem balnei calefaciendi humectandiq; vim habet, & penetrandi, proinde relaxandi, humores concretos liquandi, sed si diutiùs in eo æger moretur, exsiccandi. Aqua calida semper madefacit, sed si adhibeatur, primò calefacit, deindè expirantibus calidis vaporibus, refrigerat; aqua moderatè calida refrigeratos calefacit, calefactos refrigerat, poros relaxat; frigida quidem relaxat & humectat, sed simul repellit, constipat, & perspiratum prohibet, ut alibi de diæta demonstratum est. In omni diaria convenit balneum dulce, sed aliud atque aliud pro modo causæ, si nihil impediat. Prohibet autem magna

Balneorum partes & usus

 obstru-

obſtructio, cruditas, ſatietas, nauſea, catarrhus à frigore, alvi fluxus, aut nimia conſtipatio, vel viſceris debilitas. Cæteris quidem convenit balneum, ſed pro conſuetudine, aſſuetis enim magis, aliis minùs. *Frictiones* in ephemeris debent molles brevesq; eſſe, quæ vim aperiendi & relaxandi habent, idque in initio balnei potiſſimùm, aut ante fomentationes. *Inunctiones* duobus modis fiunt, duplicisq; finis gratia. Inungimus enim aliquando ægrum cum molli frictione, manibus oleo inunctis, initio balnei præcipuè, ut poros aperiamus: aliquando ſine frictione oleum adhibemus tantùm, aut infundimus in fine balnei, aut poſt deterſionem ſudoris, ne vires concidant, ob nimiam pororum apertionem. Ex quibus apparet, balnea, frictiones, inunctiones, fomentationes, &c. omnibus eodem modo non convenire. Diaria extenſiva, & potiſſimùm, quæ cauſæ præſentis ablationem exigit, aliis adminiculis indiget; In omnibus commune conſilium eſt, ut corpus fluxile & undique tranſſpirabile reddatur, ut iram, triſtitiam, uſtionem, laſſitudinem, aliasquè cauſas externas æger fugiat, curamq; ſex rerum non naturalium diligentiſſimè habeat. Unicuiq; autem cauſæ contrarium remedium adhibere oportet, labori quietem, vigiliis ſomnum &c. ſemperq; omnis redundan-

dantia primùm evacuanda erit, ut si alvus resistat, *clystere emolliente ex decocti herbarum emollientium lib. 1. additis cassiæ extractæ pro clysteribus ℥i mellis rosati vel mercurialis, olei lini, chamomillini, violarum, cujusq; ℥i. salis ℥i.* Vel exhibeatur *elect. lenitivi, vel diacatholici, vel cassiæ extractæ uncia una, vel in forma boli, vel decocto flor. & fructuum*, vel detur *dilutum fol. senæ, rhabarbari & agarici*, aliaq; pro natura & constitutione ægri. Si adsit plethora aut non transspirent humores ob meatuum obturationem, vena secanda pro viribus ægri, & obturationis magnitudine; item consuetæ evacuationes promovendæ, ut detracta multitudine meatus rarefieri, fuliginosi vapores pauciores fieri, meliusque transspirare queant: Detractâ igitur multitudine, meatus reserandi, balneis, inunctionibus, frictionibus, aliisq; medicamentis pro modo febris. *Nam* febricitantibus ex ira, curis, vigiliis, nec multis frictionibus, nec lavationibus opus habent, sed initiò paululum molliter fricandi sunt, multoq; oleo ungendi, cui nulla adstringendi vis inest, ut oleo amygdalarum dulcium, lini &c. tandemq; in declinatione pro consuetudine tantùm lavandi. *Deinde* ex ardore febricitantes, statim initiò refrigerationem, crebrioremq; lavationem desiderant, non autem oleum copiosum, nec crebram frictionem. Oleum

Curatio diariæ in specie. 1. ex ira, vigiliis, &c.

2. ex ardore.

tantùm adhibendum, non affricandum, caput ſtatim inungendum oleo roſaceo refrigerato &c. ad declinationem usq;, atq; ita in balneum ducendi, conceſſo tamen levi vapore dulcium temperatarumq́; aquarum: nutriendiq́; frigidis & humidis, ut ptiſana, lacte amygdalino, & ſimilibus. *Eadem* propemodum ratio eſt in defatigatis: ſed defatigati in balneo dulcium aquarum diutius verſari debent; deindè copioſo oleo dulci molliter fricari. *Febricitantes* ex ſuppreſſione fuliginoſorum vaporum à frigore, poſt vigorem aut ſedeant contecti in vapore aquæ dulcis, aut in balneũ magis calidum ducendi ſunt, caput & ante & poſt balneum illinendum oleis calefacientibus, ut nardino, irino, & ſimilibus. Eadem penè curatio eſt, ſi contingat febris, ex denſitate cutis ab adſtringentibus: Verùm poſt vigorem, in balneum aquarum temperatarum ducendi erunt; & primò in aëris balneo aliquando immorari debent, deinde affuſo oleo dulci molliter fricari. *Si* malum ex catarrho, & catarrhus à frigore, initiò utile eſt caput oleo irino & nardino inungere; ſed à balneo abſtinere ante catarrhi concoctionem. Sin catarrhus ſit ex ardore aut à capite calefacto, ſi conſuetudo ferat, ſtatim in balneum dulcium temperatarumq́; aquarum ducere & caput refrigerantibus humectare. *Sin* ex inedia fiat, ægrum in

3. ex defatigatione.

Curatio ex conſtipatione pororum aut denſitate cutis.

Curatio ex catarrho.

Ex inedia.

in balneum ducere convenit, & in solio tepido immorari, & plurimo oleo dulcissimo perfundi, si balneis assuetus sit, molissimeq; fricare, & post balneum refici, deinde in solium calidius collocare, atq; hinc nutriri alimentis boni succi. *Quando* ex adenum inflammatione oritur ephemera, si redundantia sanguinis fuerit, antequam materia in parte inflammata putrescat, oportet venam secare, tenuiq; diæta uti; parti, ante phlebotomiam potissimùm, modice repellentia imponere, ut *oxyrrhodonum*; postea relaxantia & resolventia, ut *oleum chamomill. fœnugraci* & similium; & si discuti nequeat, suppurantia; ut fomentum *ex hydraleo*, cataplasma ex *radic. lilior. albor. althea* & similibus: cessante inflammatione circa declinationem, tantum ægrum lavare convenit. *Si* diaria ex cruditatibus oriatur, considera an ob cruditatem alvus fluat, an supprimatur. Si fluat & corrupta tantùm evacuata esse apparuerint, lavandi sunt & nutriendi in febris declinatione. Juvari autem poterit materiæ evacuatio levi purgatione, ut *bolo ex cassia ℥ j. rhabarbari ʒ j.* Vel *infuso, fol. sena ʒ iiij. rhabarbari ʒ j. scænanthi gr. iiij. in decocto flor. & fruct. myrobalan. &c.* addita *syr. rosati sol. vel mannæ ℥ j.* Si evacuatio plus justo procedat, satis erit citra balneum nutrire, ventriculumquè confortare: Nutriantur

Curatio ex adenum inflammatione.

Ex cruditatibus.

pane

pane infuso succo granatorum vel cydoniorum, vel panatella cum saccharo &c. Pro ventriculo confortando detur per intervalla uncia dimidia hujus conditi, Accipe

Conser. ros. rubr. ℥ *j.*
spec. rosatæ novellæ, ℈ *ij.*
diarrhod. Abb. ʒ s.
coralli rubri præp. ℈ *j.*
cum miva cydoniorum,

fiat conditum. Si fluxus cessaverit, conceduntur pisces saxatiles, carnes pullorum, gallinæ, &c. Prospicimus autem ventriculo, si ampliùs non fluat, fovendo oleo absinthii, nardino: Sin fluat, oleo cydoniorum, mastichino, & interdum admoto cerato stomachico &c. Quod si appetitus languerit, dandum erit medicamentum oxyporium, id est, concoctorium & citò pervadens, quale est, compositum ex cydoniis cum melle, miva cydoniorum, diacydonium simplex, &c. *Quando* verò alvus supprimitur ob cruditatem, plerumq; febris augetur & prolongatur, majusq; malum timetur: In talibus oportet materiam superfluam tantum educere, & si quid in ventre contineatur, per superiora vomitu cum aqua tepida, aut oxymelite cum aqua hordei, vel decocto raphani, attriplicis &c. si in intestinis, per inferiora clysteribus emollientibus, detergentibus, aut medicamento leniente, diætâ tenuissimâ

Curatio diariæ plurium dierum

Cap. VIII.

issimâ uti: Post vomitum præcordia fovere, deinde quiescere. Evacuatâ alvo statim nutrire, & si benè dormierit, postridie lavare, ventriculum roborare oleo nardino; sin protrahatur febris, tertio die etiam lavare, mediocriter nutrire cibo oxyporio. Præterea in diaria ex obstructione meatuum si prolongetur, & periculum sit, ne in putridam abeat, vel quia ab initio non probè curata est, vel quia humores redundantes non perfectè transspirant, primò omnium redundantiam evacuare oportet, nimirùm cacochymiam purgatione, plethoram venæ sectione, si vires, ætas, cæteraq; consentiant. Detrahendus autem sanguis pro obturationis magnitudine & viribus, quo vasa ex transspiratione juxta naturam humoribus dominentur. Magnitudo verò obturationis æstimatur ex magnitudine febris: detractâ redundantiâ tùm demum poros & meatus rarefacere & aperire convenit, foris oleis rarefacientibus, ut oleo chamomel. aneth. amygdal. & medicamentis extergentibus, ex farina fabarum, ervi, hordei, mulsa aquosa &c. ascendendo ad radices aristolochiæ, iridis, tandem ad saponem, nitrum, mel cum aqua &c. Intus verò extenuantibus incidentibus utendum erit, nimirùm oxymelite simplici, decocto apii, fæniculi, hyssopi, pulegii, &c. si obstructio sit à crassis,

visco-

viscosisq; humoribus, cum densitate cutis, ut constipatione pororum: alioqui syrupo acetoso, oxysacchara, decocto Adianthi, graminis, sem. frig. &c. post tertium diem non apparentibus signis cruditatis aut putredinis, si consuetudo ferat, consultum erit ægrũ lavare, sed horâ minimè suspectâ. Suspecta autem est, in qua febris accessit, & primùm oleo temperato inungere, molliterq; fricare, deinde detergentia adhibere. Ex his facilè erit colligere curationem cæterarum differentiarum diariæ, quam pluribus Galenus 8. *Meth.* proponit, omnium copiosissimè Avicenna.

DE SYNOCHI NON PVTRIS natura, causa, signis, & curatione.

CAPUT IX.

FEBRIS in solidâ cordis substantiâ non firmata, quæ ad complures dies porrigitur, & priusquam ex toto fuerit soluta, ad infebricitationem non pervenit, vel *συνεχὴς continua*, vel *σύνοχος continens* est. Συνεχὴς autem propriè est *febris, quæ plures accessiones habet, & in singulis, fervorem sensibilem quandam remissionem, licet ad perfectam infebricitationem non deveniat, priusquam ex toto soluta fuerit*; hæc semper ex genere putri-

Συνεχὴς quid.

CAP. IX.

putridarum est, de qua suo loco dicetur. Σύνοχος verò *febris illa propriè est, quæ unam accessionem obtinet, nullamq; fervoris remissionem, priusquam ex toto soluta fuerit.* Nam omnes febres, quarum accessio ab initio ad finem perpetuò manens, sine ulla remissione, in multos dies porrigitur, συνεχεῖς medici vocant, non illi quidem Græco nomine usi, sed (ut scribit Galenus 9. *Meth.*) solæcismum potiùs committendum rati, quàm formam sine nomine linquendam. Ejusmodi febres duplices sunt; aliæ omni putredine putredinisquè nota carent, aliæ manifesta putredinis humorum in venis signa obtinent, hæ *synochi cum putredine*, de quibus infrà de putridis febribus; Illæ ex ephemerarum genere propriè sunt, & *synochi sine putredine* vocantur, à Barbaris *synochæ inflativæ*, quòd sensum quendam inflationis ægri percipiant.

Σύνοχος.

Synochus duplex.

Communiter omnis ephemera extensiva, sive plurium dierum synochus sine putredine appellatur; Propriè verò & exquisitè, secundum Galenum & Aëtium, non omnis diaria plurium dierum synochus est, sed ut priùs demonstravimus, illa febris continens, quæ oritur à spiritibus & sanguine concalefacto, à fuliginum retentione, ob transspirationem impeditam, præcipuè in corpore plethorico. Nam proxima causa

Synochus non putris quid?

Causa synochi non putris

causa synochi sine putredine est æstus sive effervescentia sanguinis ac spirituum in majoribus vasis: effervescunt ex retentione calidorum fuliginosorumvè vaporum, ob eorum transspirationem impeditam & suppressam intra corpus. Impeditur autem ob constipationem meatuum aut adstrictionem à copia sanguinis, à medicamentis densantibus, adstringentibus, à frigore, balneis frigidis, aluminosis, &c. Aut propter obstructionem ab humoribus impactis, sanguinisq; nimia redundantia in venis. Oritur sanguinis redundantia ætate juvenili, verno tempore potissimùm, ex liberaliore victu, ciborumq; calidorum boniqúe succi immoderato usu, vel ex suppressione consuetæ alicujus evacuationis, vel sensilis, præcipuè sanguinis per uterum, nares, hæmorrhoides; vel insensilis, per habitum corporis. Propter has causas effervescente sanguine cum spiritibus, intra venas magna vaporum calidorum copia excitatur, quæ ob ipsam nimiam copiam, & angustiam meatuum cutis, non transspirant, sed quæ proxima sunt magis magisq; accendunt, deinde sensum quendam inflationis in habitu corporis excitant. Nam calidum, nisi diffletur, majorem calorem assiduò concipit, constipatio autem adstrictione meatuum, & densatio cutis, si recens parvaq; similiter obstru-

obſtructio ſi levis, à tenuibus paucis ſuccis impactis, & legitimè curetur, ſimplicem diariam tantùm efficit, ſucceditque citò febris remiſſio, à levibus remediis ex ferventium vaporum tranſſpiratione. At ſi conſtipatio cutis magna ſit, vel obſtructio valida ex craſſis viſcidis copioſis ſuccis impactis ita vehementer, ut validius, quod eos eximat, requirant, intra Diariæ fines febris contineri nequit. Cùm enim à ferventibus humoribus vapor plurimus attollatur, exiguus verò foràs effluat, hunc, qui relictus eſt, febrem ſervare, ſimulq́; , quæ proxima ſunt, accendere neceſſe eſt: Servatur quidem febris ob ſanguinis fervorem, ſed ut plurimùm non ultra quartum diem, rariſſimè ad ſeptimum, intra quos, ſi cauſa levior fuerit, febris deſinit; ſin magna, in putridam mutatur, quòd ſanguis tantum fervorem citra putredinem diutiùs perferre nequeat. Atque hæ ſunt cauſæ ſynochi non putris, â quibus ſpiritus primùm accenditur, deindè ſenſim [illegible]guis incaleſcit. Cùm autem in omni ſyn[illegible]o propriè dictâ, ex efferveſcentia humor[illegible], magna vaporum copia attollatur, quæ tota non exſpirat, & ea, quæ proxima ſunt, accendat: ex proportione illius, quod accenditur, ad id quod tranſſpirat; ſive ex incremento & decremento caloris febrilis, in tres ſpecies ſynochus dividitur.

Nam *primò* quando à principio ad finem calor similis perseverat, & id, quod accenditur, ei, quod transspirat, omninò par videatur, ut nec minui, nec augeri in toto decursu calor sentiatur, ejusmodi febres Græci ὁμοτόνους, & ἀκμαστικοὺς appellant: sin illorum duorum proportio inæqualis fuerit, calor similis non permanebit. Nam si id, quod accenditur, vincat, necesse erit calorem febrilem continuo incremento sensim invalescere: sin id, quod transspirat, vincat, febrem statim à summo quasi vigore incipere, sensimquè minui, priores ἐπακμαστικοὺς & ἀναβατικοὺς: posteriores παρακμαστικοὺς vocant: omnes hæ febres uno circuitu continentur sine ulla repetitione, novaquè accessione, quemadmodum synochus putrida, in qua massa sanguinis non solùm effervescit, sed etiam putrescit. Synocho maximè oportuni sunt adolescentes, juvenesquè natura calidi, humidi, succipleni, sanguine affluentes, si denso corpore fuerint, præcipuè vere, deindè hyeme; item temperati cum bono corporis habitu, quando intemperanter, & in ocio vivunt, multoquè vino & cibis boni succi se impleverunt, unde sanguis multus calidusquè colligitur, qui non citò putrescit. Quare gracilibus, qui raro sunt corporis habitu, ætate vel natura frigidis, ista febris acci-

Qui maximè oportuni synochus.

accidere non consuevit, sed natura, vel acquisititio temperamento calidis, qui multo bono sanguine abundant, aut excrementis calidis, si denso corporis habitu fuerint, quod obstructio aut constipatio meatuum citra putredinem febrem excitare non valeat, nisi id, quod transspirat, & calidum & copiosum sit.

Præcedunt ipsam febrem lassitudo spontanea, gravitas circa frontem & tempora, nariu pruritus, somnus prolixior, insomnia rerum rubrarum, victus liberalior, exercitii diuturnior intermissio &c.

Præsentis febris signa sunt pleraq; diariæ communia, calor enim febrilis valde mordax non sentitur, licet acrior nonnihil videatur, quàm in simplici ephemerâ, proinde urinæ in colore & consistentia à naturali modo non multum recedunt, plerumque concoctæ sunt, sed crassæ, & rubicundiores, pulsus magnus, celer, vehemens, plenus & æqualis ut plurimum est, tempora pulsant, totum corpus maximè facies quasi inflammatione sive rubore suffunditur, venæ copiâ distentæ turgent, caput dolet, cutis squalida non est sed mollis, non ita acri, ut in putridis, sed blando calore cum halituoso vapore perfusa, sensus inflationis in habitu corporis percipitur, ægerq; se turgescere putat, & durior adstrictiorq;

Signa synochi non putris.

ctiorq; videtur, moles corporis manet, adest etiam corporis magna jactatio, somnus sæpe profundus, interdum veternosus, aliquando gravis vigilia.

Prognostica. Post diariam simplicem brevissima existimatur synochus non putris, solvitur autem ut plurimum hæmorrhagiâ aut sudore intra quartum diem, &, quod longissimum est, septimum; vel in synochum putridam transmutatur, si magna sit plethora, periculum adfert anginæ, pleuritidis, phrenitidis, suffocationis, aut alterius gravioris affectus; nisi phlebotomia, aliisvè remediis maturè subveniatur, aut ipsa natura, robore virium, per hæmorrhagiam, sudores aut exanthemata ægrum à præsenti exitio vindicet. Securissima est febris paracmastica, deinde acmastica; gravissima epacmastica, & in putridam non rarò terminatur. In synocho non putri eadem propemodum curatio locum habet, ut in diaria plurium dierum, ex angustia meàtuum, nam ipsa febris refrigerantia indicat, causa verò, ut plenitudo, sanguinis detractionem; meatuum angustia, relaxantia, incidentia &c. Quare Scopi curationis erunt, primùm plethoram evacuare, deinde meatus rarefacere, crassa extenuare, viscida incidere, ut vapores calidi pauciores intra corpus coacerventur, ipsumquè corpus & humores melius transspirent;

Item

Item calorem febrilem extinguere; tandem partes debiles reficere & roborare. Quare diæta frigida esse debet, ut in diaria, sed quia morbus exquisitè peracutus est, victus exquisitè tenuissimus convenit; detur igitur, ad quartum diem usq; aut vigorem, ptisana aut cremor hordei vel avenæ, item panatella cum saccharo, aut panis triticeus lotus, coctus in emulsione quatuor seminum frigidorum, vel in jure carnium condito lactucâ, porculacâ, endiviâ, acetosâ, aut succo granatorum, limonum: ubi magna est ebullitio sanguinis, ipseque sanguis ob tenuitatem inflammationi idoneus est, Avicenna præcipit modice incrassantia exhibere, ut lentes ex aceto, aut aliquid Rhois obsoniorum, vel similis adstringentis, cibis miscere. Post vigorem conceditur victus plenior: tempus dandi cibi sit hora minimè suspecta, sed cùm synochus à principio ad finem similis sit, æquè toleratur cibus quâvis hora, modò virtus exigat, eligenda tamen est hora consueta tempore sanitatis. Potus sit aqua hordei aut aqua panata, dulcorata saccharo, addito interdum succo vel syrupo limonum, aut granatorum, interdum guttis aliquot spiritus vitrioli rectificati, conceditur cerevisia tenuis, possettum Britannis usitatum, nunquam vinum nisi valde dilutum, & assuetis tantum. In cæteris

Diæta.

rebus non naturalibus, procedendum, ut dictum est in curâ ephemeræ, aut febris in genere. Deinde evacuatur plenitudo venæ sectione, si vires, ætas, cæteraq; consentiant. Sectâ venâ basilicâ, aut medianâ, tantum sanguinis detrahendum est, quantum vires ferunt. Veteres detractionem præcipiunt ad animi deliquium, verùm tutius videtur sectionem repetere, quàm tantum sanguinis simul educere, ut vires prosternantur, cùm ipsa natura, quam imitatur ars, in laudabili crisi, ad animi deliquium sanguinem evacuare nunquam soleat. Festinare oportet ad sanguinis detractionem, ut corpus transspiret, & ægros periculo eripiamus, alioqui ad summum periculum pervenient, nam nisi virium robore, fluxu sanguinis narium, aut sudore copioso, à certa pernicie redimantur, periculum erit, ne suffocentur, aut in alium gravissimum affectum incidant. Ante phlebotomiam si alvus non respondeat, & multa impuritas in prima regione corporis fuerit, convenit alvum balano, aut clystere emolliente subducere, ne venæ exinanitæ pravis excrementis repleantur: veluti sit clyster

ex malvæ,
violariæ ana m. j.
Mercurialis,

lactucæ

lactucæ ana m. s.
hordei p. j.
fiat decoctio. In cujus libra una dissolve
cassiæ extractæ pro clyst. ℥ j.
sacchari rubri,
olei violarum,
lini ana ℥ ß.
salis ʒ j.
fiat Enema. Si æger renuat, & periculum in mora non sit, detur *cassiæ extractæ, vel diacatholici ℥ j. in forma boli, vel dissoluta in decocto florum & fructuum unciis quatuor.* Si ciborum cruditas in ventriculo sit, ejus concoctionem expectare oportet, aut vomitu rejicere, nisi in mora periculum videatur, viresq; oppressæ phlebotomiam urgeant.

Animadvertendum autem est, an fluxum aliquem sanguinis moliatur natura. Nam si metus sit instantis fluxus sanguinis, præcipuè mensium aut hæmorrhoidum, minus sanguinis detrahere convenit, tantumquè relinquere, quantum per alias vias evacuandum putas; sin natura cæperit hæmorrhagiam tentare, satius erit totum negocium naturæ committere, & si non satisfecerit, juvare; si immodica, sistere. Secanda autem erit vena jecoraria potissimùm, nisi alius affectus superveniat (ut angina, pleuritis) & initio morbi potissimùm, li-

cet etiam posteà, si omissa fuerit, & vires ferant, vel septimo die utiliter secari queat: sin vires non ferant, aut æger renuat, scarificatione crurum sanguis minui poterit. Galenus duo præcipua hujus febris remedia statuit, *phlebotomiam*, & *aquæ frigidæ potionem*. Si omissa sit venæ sectio, aut recuset æger, ad frigidæ potum confugiunt veteres, sed non in omnibus sine discrimine, nec quovis morbi tempore. Datur autem aqua dulcis, optimæ qualitatis, gelida, quantum ægro bibere libeat, aut quantum unâ respiratione haurire queat, non in principio, nec in augmento febris, sed in vigore apparentibus signis coctionis. Datur autem utiliter his, qui per sanitatem frigidæ assueti sunt, visceraq; firma habent, & succipleni sunt, valida existente febre, & constante virtute. Nam talibus oportuno tempore exhibita partes solidas corroborat, ut humores concoquere, bonos retinere, malos per vomitum, alvum, aut sudores rejicere possint. Læduntur verò aquæ frigidæ potu plerumq;, qui assueti non sunt, qui parum sanguinis aut carnis habent, aut tumorem præter naturam in visceribus, aut sunt referti crassis viscidisquè succis, item quibus ventriculus, gula, & nervorum genus debilia sunt. Nam ex his nonnulli intempestiva frigidæ potione paulò pòst in hydropem, spirandi difficultatem, tremo-

Aquæ frigidæ potus.

tremorem, convulsionem, lethargum, aliumque gravissimum affectum inciderunt. Frigidæ loco non assuetis imperantur Julepi, ex syrupis endiviæ, acetosæ, violarum, nenupharis, acetositatis citri, granatorum, oxysaccharæ &c, cum aquis endiviæ, acetosæ, lactucæ, aqua hordei, succo granatorum, limonum &c. veluti: accipe *Alterantia.*

syrupi granatorum,
de cichorio simpl.
acetositatis citri,
vel limonum ana ℥ j.
aquæ endiviæ,
cichorei ana ℥ ij.
acetosæ,
lactucæ ana ℥ j.
spiritus vitrioli ad gratam aciditatem,

fiat Julep. Si aquæ destillatæ crudiores videantur, leviter bulliant cum modico specierum diatrionsantalon, vel diamargariti frigidi; Post detractam sanguinis debitam quantitatem, plerumq; corpus ita refrigeratur, ut aut nullis aut perpaucis refrigerantibus opus habeat. A venæ sectione post duas horas exhibere convenit aquam hordei saccharatam, deinde modicum hordeati aut panatellæ, deindè post horas aliquot quietem somnumquè imperare, & si adsint vigiliæ, exhibere lac amygdalatum,

℞ *amygd. dulcium mundat.* ℥ s.
sem. papaver. albi ʒ ij.
sem. quat. frig. ana ʒ j. s.
aquæ hordei ℥ vj.
lactucæ ℥ iiij.

fiat emulſio, dulcoretur ſaccharo, aut manus Chriſti perlati q. ſ. atque ita ad tertium usque diem tenui diæta utendum, potiſſimùm in robuſtis, ubi brevi vigor expectatur, quarto die, ſi nil impediat, veteres conſueverunt in balneum aquæ tepidæ ægros ducere, ac conſtipationes meatuum aperire, ut ſuprà in diaria ex conſtipatione meatuum. Si alvus reſiſtat, mollibus clyſteribus incitare convenit, aut medicamentis blandè evacuantibus, ut

Evacuantia.

elect. diacathol. vel lenitivi vel extracti caſſiæ ℥ j.

Vel

℞ *cichorei,*
endiviæ,
acetoſæ ana m. s.
florum violarum,
bugloſſæ ana p. j.
tamarindorum ℥ s.
prunorum damaſ. num. v.

fiat decoctio,
de qua accipe ℥ v. *cui infunde rhabarbar.* ʒ ij.

ſpicæ

ſpicæ g. vj.
ſtent aliquot horis in infuſione, colaturæ expreſſæ adde mannæ vel ſyrupi roſati ſolutivi ℥ j.

fiat hauſtus. Si febris protrahatur, purgandi ſæpius ſunt, ne ſeroſa aut bilioſa excrementa putreſcant, ſi craſſities aliqua ſit in humoribus, attenuanda & incidenda erit; ſyr. acetoſo, de Bizantiis, capill. ven. aſcendendo ad oxymel. & ſyr. de radic. &c. Attenuata materia, ſi urinis & ſudoribus non evacuetur, leni pharmaco ſubducatur ex diluto foliorum ſenæ ℥ iij. acharici trochiſ. rhabarb. ana ℨ j. in decocto agrimoniæ, cap. ven. endi. paſſul. &c. Poſt evacuationes utile eſt ſudores & urinas movere, frictiones totius corporis inſtituere, incipiendo à tibiis, ac obturationes meatuum cutis aperire, unde febris augetur, metusquè putredinis, ut ſuprà in diaria. Adleniendum calorem, & vires confortandas, dentur rotulæ aut tabulæ manus Chriſti perlati, diamarg. frig. diatrionſan. diarrhod. aut condita ex conſerva violar. cichor. bugloſſ. acetoſellæ, cum ſpeciebus diamargar. frigid. diatrionſan. elect. de gemmis frigidis, interdum cum ſolutione margaritarum & corallorum, aliquando cum rob ribes, berber. &c. Extrinſecus ad temperandum calorem cordi & hepati epithe- *Confortantia* *Topica.*

epithemata admoveri poterunt. Cordi:

ex aquæ rosf. ℥ v.
acetosæ,
viol.
bugl. ana ℥ ij.
aecti rosacei ℥ j.
specierum cord. pro epithem. vel diamar. ʒ j.
sant. citrini ℈ ij.
camphoræ gr. v.
corallorum ℈ s.

fiat epithema. Pro jecore,

℞ *aquæ endiv.* ℔ s.
rosar.
lactu.
acetosæ ana ℥ j. s.
santal. omnium ana ℈ ij. s.
spodii ex ebore ʒ s.
aceti rosacei ℥ j.

fiat epithema. Si diaria in hecticam vel putridam degenerare cæperit, curetur ut hectica, vel putrida, de quibus nunc dicemus, initio facto ab hectica, exemplo Galeni *in libris Febrium & method. Meded.* ubi post ephemeram subjungit hecticam.



DE

DE NATVRA ET CAVSIS febris Hecticæ & Marasmi.

CAPUT X.



Ebris hectica nomen habere videtur, vel quia ita radices egit, ut nullo modo aut difficilimè extingui queat, ut ἕξις sive habitus quidam: vel quod solidas partes occupet, & in iis firmata sit, quas ἕξεις sive habitus communiter vocant, ad differentiam spirituum & humorum. Nam ut Galen. 8. *Method.* in aliis febribus intemperies est κατὰ σχέσιν in solidis membris, in hac καθ' ἕξιν: In illis cor ita afficitur, ut calefactum in sole lignum; In hac sese habet, ut lignum ab igne ita calefactum, ut accendatur & fumum edat. Quare ut gignatur febris hectica, requiritur, ut calor præternaturalis ipsam cordis substantiam, partesq; ejus similares prorsus occupet, aut ut partes illæ cordis, in quibus fundatur calidum nativum, ita accendatur, ut sensim substantialis earum humiditas absumatur; accenso autem calore in cordis substantia, ubi fons caloris nativi, necessariò cæteris solidis totius corporis partibus simili ratione communicatur. Definiri igitur poterit febris hectica, *intemperies calida sicca, sive calor præter naturam continenter continuus accensus & firmatus in solida substantia primùm cordis,* Nomen. Definitio.

deindè

deindè cæterarum partium, substantialem earum humiditatem lente consumens, & actiones vitales & naturales potissimùm lædens. Dico, *calorem accensum in solida substantia cordis,* non excludendo intemperiem in spiritibus & humoribus. Nam accenso calore in cordis substantia, consentaneum videtur, spiritus & humores unà affici, licet non statim, nec pari modo (quia spiritus secundum naturam actu calidiores sunt solidâ substantiâ) nisi intemperies magna sit, gradumq; caloris in spiritibus superaverit, quod in febribus plerumq; accidit. Verùm cùm excessu caloris spiritus faciliùs accendantur quàm humores; & humores quàm solida substantia; solidæque partes accensæ facilius humores & spiritus calefaciant, quàm ab iis calefiant: Igitur quando à calore præter naturam solida cordis substantia constituitur in calefacto esse, licet spiritus & humores una calefecerit, non tamen febris illa diaria aut humorosa erit, sed tantum hectica, nisi simul humores computrescant, unde hectica cum putrida complicatur. Verùm diaria cum putrida non complicatur, nec etiam cum hectica: sed à diaria in hecticam vel putridam fieri solet transitus. Pars affecta in hectica est primariò cor secundum substantiam solidam, ubi residet fons caloris nativi in suo humido, & propter cor cæteræ partes

Pars primariò affecta.

tes

tes ſecundum ſubſtantiam. Quanquam autem calida intemperie hepatis, ventriculi, aliarumq́; partium principalium, ægri interdum ad hecticam perducantur, tamen nulla intemperies calida febris dici poteſt, niſi quæ in corde eſt, & à corde promanat: Verùm quæ aliunde cordi tantum communicatur, efficientis cauſæ rationem tantùm habet. Læditur cordis ſubſtantia in hectica intemperie calida, non ſine aliqua ſiccitate, cùm in omni hectica aliqua ex humiditatibus illis ſubſtantialibus abſumatur, quas Galenus *libr. 7. Method. cap. 6.* recenſet. Siccam autem in hectica caliditatem eſſe, *1. febr. cap. 9.* demonſtrat Galenus, primò quod ſiccos affectus conſequatur: Deindè quòd nulli ea corripiantur, qui corpore humidiore præditi ſunt, ſed ſicciore. Et quanquam *lib. 1. febr.* aſſerat, hecticam fieri poſſe interdum absq; ſiccitate, id intelligendum erit tantùm, de hectica incipiente, quando humiditas ſubſtantialis tantùm effervescit, priusquam abſumatur, quo tempore naturalis virtus cordis non multum laborat; aut ad diſtinctionem febris hecticæ ſimplicis incipientis, à Maraſmode hectica. Nam in hectica maraſmode dominatur vehemens ſiccitas cum caliditate depaſcente nativũ humidũ: In hectica incipiẽte magis caliditas, à qua humiditas cordis primùm effervescit, deindè diſ-

dè diſſipatur, & ob caliditatem per concomitantiam ſtatim conſequitur ſiccitas, quæ in incremento major eſt, ſenſimque magis augetur, donec, abſumpta omni prope ſubſtantiali humiditate, cor ita afficiatur, ut ellychnium in lucerna valdè crematum: quo tempore viget hectica & conſummata eſt. Ipſa febris hectica continenter continua eſt, ut ſynochus, ſibiq; ſemper ſimilis à principio ad finem ſine remiſſione, licet à cibo, cùm cor & membra ſolida reficiuntur, calor nonnihil accendatur, ut incompreſſa quædam annotatio facta eſſe videatur, ut infrà latiùs dicemus. Verùm caliditas ejus minus vaporoſa & in progreſſu magis acris & ſqualida, quàm in ſynocho ob continuam diuturnitatem, & quia firmata eſt in partibus ſolidis. Effectus proprius & characteriſmus febris hecticæ, eſt conſumptio ſubſtantialis humiditatis partium ſolidarum, non ita ſubitò, ut in febribus ſyntecticis, in quibus pinguedo & carnes brevi tempore eliquantur, & ſenſibiliter poſtea excernuntur, (unde diarrhœa & profluvium urinæ ſyntecticum) niſi unà complicetur putrida maligna, ſed magis lenta, ubi paulatim longioriq; tempore in halitus magis convertuntur, quàm ſenſibiliter evacuantur. Hanc conſumptionem caloris nativi in ſuo humido neceſſariò conſequitur virium vitalium

Effectus hecticæ.

&

& naturalium imprimis læsio, ex consequenti animalium. De substantiali illa humiditate; quæ consumitur in hectica, discrepare nonnihil videntur medici. Avicenna & Gal. *7. Meth. cap. 6.* quatuor quidem humiditates constituit, quarum prima, quia in extremitatibus exilium venarum continetur, & à sanguine parum discrepat, substantialis partium solidarum humiditas dici nequit, sed potius cæteræ tres: quarum *una* ab Avicenna *Ros* dicitur: quia ad formam roris dispergitur in spaciis particularum consimilium intermediis, unde primum nutriuntur particulæ. Hæc est illa humiditas, quæ à Galeno *10. Meth. cap. ult.* & alibi, nunc *alimentare humidum*, nunc *similarium partium humor* vocatur. *Altera* quia substantia est ex concreto humore constans, à Galeno *carnosa & adiposa substantia*, ab interpretibus Avicennæ *Cambium* nuncupatur. *Tertia* quia ab ortu partibus solidis innascitur, eas uniens & continens; à nonnullis *Gluten*, ab aliis *radicalis humiditas*, à Galeno *fibrosa & membranosa* species appellatur. Hæ sunt humiditates substantiales, quas calor febrilis in hectica depascit & consumit, non quidem omnes simul, sed prius eam, quæ tenuior est, posterius crassissimam, quæ à tenuioribus nutritur & humectatur. Nam ut in nutritione partium, ita in consumpti-

Substantiales humiditates

one certus ordo erit. Quare *primò* febrilis calor roridam humiditatem depascit; *deinde* carnosam & adiposam; *postremò* fibrosam & membranosam. Comparantur & assimilantur hæ tres humiditates earumque consumptiones, tribus in lampadibus sive lucernis; & *prima* oleo, quo velut alimentali humido flamma in lychnio nutritur: *secunda* humiditati intrinsecæ substantiæ lychnii, qua immediate flamma fovetur & nutritur; *Tertia* humido radicali lychnii, quo continentur partes ipsius substantiales ad invicem. Videmus enim in lucernis à flamma oleum continuo absumi, deinde humidum oleosum in substantia lychnii consistens, tandem ipsam substantiam lychnii in cineres defluere, ita ut affuso oleo flammam ulterius non concipiat, aut diu non retineat. Vnde triplex statuitur gradus in febre hecticâ & tres ejus species, quarum *una simpliciter* dicitur *hectica*, quando calor præter naturam humiditatem roridam, quę sparsa est in spaciis similarium intermediis, ex qua primùm nutriuntur singulę particulæ in cordis substantia, consumit. *Altera* ubi, roridâ humiditate jam in totum propè absumptâ, calor cum siccitate partes etiam carnosas, sive carnem & adipem, circumfusam fibris & membranis, depascit, quæ à nonnullis *hectica marasmodes non exquisita* dicitur,

Tres gradus hecticæ.

citur, media inter hecticam simplicem & marasmoden exquisitam. *Tertia* quando calor torridus fibrosas & membranosas partes invadit; earumque humiditatem absumit. Et hic gradus *hectica tabida* sive *marasmodes exquisita* vocatur, & non simpliciter hectica aut marasmus. Nam marasmus multò latiùs patet, quàm hectica marasmodes, quę compositus affectus à nonnullis existimatur ex hectica & marasmo. Definitur, autem *Marasmus* à Galeno *lib de Marcore, corruptio viventis corporis à siccitate.* Corruptionem autem intelligit in fieri, non in facto esse. Subjectum primum omnis marcoris, ut hecticæ, est cor secundum solidas partes, ubi residet calor nativus in suo humido. Nam cum marcor sit affectus totius corporis viventis, necesse erit in marcescentibus cor vitæ principium affici, corpusque cordis exsiccari, atque propter cor in cæteris partibus humidum radicale sensim consumi. Causa immediata est siccitas, humidum radicale consumens. Consumitur autem humidum radicale dupliciter, vel secundum ordinem naturæ, decursu ætatis, vel præter naturam, à morbo. Vnde marcor unus inevitabilis & naturalis, ut senectus, quæ est affectus secundum naturam in animatis, naturæ opera consequens: alius præternaturalis & morbificus.

De Marasmo eiusq; speciebus.

Morbus autem ille necessariò est sicca intemperies substantiæ cordis vel sola, vel cum intemperie calidâ conjuncta, vel frigidâ, vel utraque. Quare marcoris morbosi quatuor species erunt: una simplex consumptio humidi radicalis à nudâ intemperie siccâ, qualis accidere interdum potest ex longâ inediâ & defectu alimenti. *Altera*, quæ hectica marasmodes & marcor torridus vocatur, orta à siccâ calidâ intemperie cordis, sive â febre squalidâ, de quâ hic potissimum agitur. *Tertia* est illa; quæ à Philippo Medico, teste Galeno, senectus à morbo vocatur: quia in juvenibus senectuti respondet, orta ab intemperie siccâ frigidâ firmata in substantia cordis, cæterarumq; partium. *Quarta* species est Marcor syncoposus, qui ad syncopen ægros deducit, ob intemperiem siccam cordis, cum magna inæqualitate caloris & frigoris. *Omnis* marasmi communis causa est siccitas substantiæ cordis, ob radicalis humidi consumptionem, qui partes solidas continet. Absumitur quidem humidum radicale secundum naturam, decursu ætatis, ut in senibus: verùm præter naturam humidum nativum absumunt in' disposito corpore, alia quæ humores exhauriunt, vel sensibiliter & manifeste, ut profluvia immodica sanguinis, alvi, urinæ, sudoris, seminis, ulcus visceris, ut pulmonis &c.

Causa marasmi.

vel

vel insensibiliter, ut ardentes febres, æstus aëris, immodicæ exercitationes, curæ, vigiliæ &c. alia quia humiditates naturaliter absumptas refici non sinunt, ut fames, inedia, parcior ciborum assumptio, aut si sumantur & non coquantur, vel non distribuantur, aut non agglutinentur partibus. Simplex marasmus oritur præcipuè ex defectu illius, quod substantiam reficere debet; & quia progressu temporis inducere solet aut calorem, absumpta humiditate copiosâ, à quâ obruebatur calor nativus, eoque in igneum converso, ut in juvenibus potissimum: aut frigus, propter defectum humoris, quo calor debilis nutriri debet, ut in senibus, naturaq; frigidis præcipuè: Ideo in marasmum compositum facile mutatur; cum calore, in hecticam marasmoden, aut marasmum torridum; cum frigore, in senectutem ex morbo; cum utroque, sive cùm in aliis partibus cordis frigus, in aliis calor præter naturam excitatus fuerit, marasmum syncoposum, ob pugnam contrariorum spiritus dissipantium. Oritur autem febris marasmodes plerumque ex solâ hecticâ simplici præcedentè; febris vero hectica, ut Diaria propriè, continentem causam non habet, qualis in putridis requiritur, sed solum ~~in~~ antecedentem aut προκαταρκτικήν. Verum hectica juxta Galenum *9. cap. lib. 1. de febr.* vel statim

Causa hectica Μαρασμώδους

ab initio invadit, similemque sui ortum diariis faciens, nimirùm à procatarcticis potissimum, vel ex aliis morbis originem habet. Causæ illæ procatarcticæ sunt vehementes animi corporisque motus ut labores immodici, lassitudo, venus immodica, ira, graves curæ, solicitudines, præterea æstus aëris, inedia, sitis, vigiliæ immodicæ evacuationes, venena calida &c. Hæ causæ si valentiores fuerint, in corporibus humidis, ephemeram; in corporibus calidis siccis dispositis, hecticam magis inducunt. Nam hecticæ febri oportuna sunt corpora sicca, calida, raræ texturæ, pauci sanguinis. Quare authore Galeno *1. de febr. cap. 12.* nullus corpore humido præditus statim ab initio hectica corripitur. Rarissimè tamen per se incipit hectica, & vix unquam oritur à causis procatarcticis, quin præcedere videatur Diaria, quia spiritus promptiùs calefiunt, quàm humores. Nihilominus si causa valida fuerit, & ipsum cor plane dispositum, impossibile non erit, cùm spiritibus eodem tempore aut non longe post, cordis substantiam accendi, atque hecticam incipientem sive primogeniam oriri. Sæpissimè hectica alios affectus consequitur. Morbi autem illi, ex quibus hectica oritur, vel toti communes sunt, ut febris; vel morbi partis alicujus determinatæ. Avicenna non solùm ex putridis ardentibus febribus, sed

Hectica primaria.

Hectica ab aliis morbis genita.

etiam ex Diariis hecticam oriri existimavit, si incidat Diaria in corpus calidum, siccum, ad hecticam dispositum: sed ista species à priori parùm differre videtur. Consequitur ardentes aut acutas hectica, vel propter vehementiam & diuturnitatem caloris, ita depascentis humiditates, ut cordis substantia exsiccetur; vel propter errorem in curandi ratione, nimirum quia ex longa inedia aut nimis tenui diæta in naturis siccis partes immodicè exsiccantur; aut tempestivo aquæ frigidæ potu, aliisve remediis non refrigerantur; aut ægri ab usu vini aliorumque calidorum non abstinent: Aliquando quia partis inflammatio & cruditas humorum, viriumq; dejectio usum refrigerantium non admisit. Accenso calore in cordis substantia humidū nativum depascente, si una perseveraverit putredo humorum in venis, Hectica cum putrida complicata erit. Fit autem non raro, ut humore putrescente à naturâ per crisin expulso aut ope medicamentorum evacuato, Hectica nihilominus fixa post putridam remaneat, quæ ante humoris putridi excretionem in substantia solidarum partium accensa fuit. *Tertiò* succedit Hectica potissimum Marasmodes febribus Apostematum, partiumque inflammationibus, si inflammatio non ritè curata in purulentam affectionem

transſierit, unde calore non naturali diutius durante, cordis ſubſtantia exſiccatur, quod evenit in diuturna inflammatione jecoris & ventriculi, ſepti tranſverſi, item pulmonis & thoracis. Sive ex phthiſi, aliquando meſenterio, colo, jejuno aut aliis inteſtinis inflammatis per dyſenteriam, & diuturnum alvi fluxum. Nonnunquam ob inflammationem uteri, veſicæ, renum &c.

Tabes dorſalis.

Hipp. *lib. 2. de Morb. tabem* quandam *dorſalem* deſcribit, quæ ex ſpinali medulla oritur à catarrho defluente à capite in ſpinam, & novos maritos & libidinoſos potiſſimum corripit: ob intempeſtivam & immodicam venerem, debilitantem primò vim vaſorum ſpermaticorum, ut ſemen copioſum & liquidum frequenter emittant, unde corpus colliquatur. Deinde cerebrum & ſpinam, ut eam erigere nequeant, ſibique à capite, velut formicas, in ſpinam dimitti aſſerant. Verum qui hoc modo colliquantur, quia febris expertes ſunt (licet in progreſſu febre vehememti correpti pereant) igitur hic affectus *hectica tabida* propriè dicta non erit: Malum Gallis & Britannis magis frequens, quàm Germanis. Quemadmodum febres putridæ propriè dictæ, ita Apoſtematum febres, teſte Avicenna, hecticæ complicantur; licet interdum ceſſante febre Apoſtematum permanere queat Hectica. Vnde difficultas curati-

curationis Hecticæ ſæpe naſcitur, vel quia confirmata eſt, vel quia conjunctus eſt Hecticæ tumor aliquis præter naturam, ut phlegmone, eryſipelas, ulcus pulmonis &c. Verum hujuſmodi febres, ſicut & illæ, quæ accidunt ex febribus ardentibus, non tantum Hecticæ ſunt, ſed etiam Tabidæ. Differentiæ Hecticæ febris è dictis facilè intelliguntur. Sumuntur autem differentiæ præcipuæ vel à gradibus conſumptionis nativi humidi, vel à cauſis. *A conſumptione* humidi nativi alia febris hectica ſimpliciter, alia Maraſmodes exquiſita dicitur, alia intermedia, ut ſuprà dictum eſt. *A cauſis* quædam hecticæ vocantur ſtatim incipientes, quædam ab aliis morbis genitæ. Hæ vel conſequuntur aliam febrem, ut Ardentem Syntecticam, peſtilentem &c. vel morbum partis, ut inflammationem, vomicam, aut ulcus; unde hecticæ ſymptomaticæ dici poterunt. Accidit interdum, ſed rarius, ut Hecticæ ſuperveniat putrida, eique complicetur.

Differentiæ Hecticæ

DE SIGNIS FEBRIS HECTICÆ ac etiam Marasmi in specie.

CAPUT XI.

Signa Diagnostica.

HECTICAM incipientem faciliùs curamus, quàm cognoscimus: quia parum humidi radicalis adhuc est exhaustum. Verùm Hectica, quæ sola est, meliùs cognoscitur, quàm quæ febri putridæ associata est. Hecticæ Marasmodes facilè dignoscuntur, difficilimè curantur. Proindè in ægris ad Hecticam dispositis, quales graciles, raræ texturæ, calidi, sicci temperamenti, qui tenui victu usi fuerunt, multisque curis, & vigiliis affecti, observare semper oportet, an signa aliqua aut causæ appareant, instantis Hecticæ, qualia sunt febris acuta in juvene macilento, corpore calido, bilioso, &c. potissimùm, si acrior aliquis sentiatur calor in corpore arteriæ, quam pro modo morbi, & pulsus languidiores reddantur, cum squalore cutis & similibus, ut maturè magnâ adhibita diligentiâ omnibus modis præcaveamus, ne in hecticam plane æger incidat. Præsentis Hecticæ signa alia communia aliis nonnullis febribus, alia propria sunt. Omnibus Hectica febri laborantibus, sicut etiam ephemerâ & synocho commune est, quòd calorem à prin-

principio usque ad finem similem habeant. Propria signa sumuntur potissimum à caloris qualitate; deindè à pulsu: Adduntur signa ab aliis actionibus læsis: Item ab Accidentibus in habitu corporis, & ab excretis. Ac *primùm* à caloris qualitate. In hecticis calor febrilis primò debilis apparet, deindè per moram manus tangentis acriùs insurgit, ac eò acrior sentitur, quò plus tangendo quis immoratur, cujus contrarium in Diariâ & putridis accidit. *Deindè* commune hecticis febribus, quod perpusillæ & debiles sint, ita ut multa & copiosa caliditas tangenti non occurrat, ac etiam quòd semper à principio ad finem sibi similes & æquales, sine ulla remissione & exacerbatione, licet à cibo aliqua inæqualitas sentiatur. *Tertiò*, cum Hectica in solidis partibus ita fixa & firmata sit, ut habituata & quasi naturalis videatur, proindè ægri in progressu potissimum febrilem calorem non sentiunt, & vix unquam se febricitare sive à calore affici dicunt. *Quartò*, maximè proprium Hectices, quod arteriæ, quæ cordi continuantur, circumstantibus partibus calidiores sentiantur, potissimum à balneis, relaxato corpore, corporisque caliditate contemperata. Sentitur quoque in manuum & pedum volis major calor, quod ibi desinant arteriæ, quæ carne despoliatæ sunt

Signa à qualitate caloris.

Maxi-

Causa aucti caloris à cibo.

Maximum atque indubitatum tibi signum hecticæ erit, teste Galeno *1 febr. cap. 9.* à cibo paucis horis caliditatem accendi, & pulsum in magnitudinem & velocitatem augeri, ut incompressa quædam annotatio facta videatur, quæ tamen vera annotatio non est, qualis in continuis propriè dictis ex motione morbificarum causarum; sed quia ex alimentorum utili vapore, dum partes solidæ exiccatæ reficiuntur, calor exacuitur, non aliter ferè, quam dum calx humore conspergitur, vapor multus, calorq; acris & fuliginosus exsuscitatur. Hanc similitudinem Galeni, à calce sumptam, refutare conatur Averrhoes. Verùm, ut ille voluit, non quia aquæ calx contraria est, ideo perfusa multa aqua calidior sentitur, sed quia aqua humida est, ex quâ arida calcis caliditas exsuscitatur, aut quasi nutritur, ut calidi vapores ab ea exhalent: Eodem modo Hecticæ calorem debilem præ se ferunt, quæ in solidis firmata est, unde ob siccitatem parùm exhalat, cùm vero alimentum sua natura humidum apponitur, quia augetur caloris substantia, ideo calor tantisper augetur, dum cibus confectus fuerit: Verùm confecto cibo, aut postquam vapore humido partes siccæ irrigatæ sunt, ad pristinam æqualitatem Hectica redit. *Secundo*, signa febris Hecticæ sumuntur ex pulsu. Pulsus enim in hecticis celer, & ut pluri-

A pulsu.

plurimum frequens est, ob intemperiem calidam cordis; durus in progressu tantum, ob arteriæ siccitatem; debilis & parvus, ob debilitatem virtutis vitalis, nisi urgeat necessitas, ut evenit à cibo, quo tempore aucto calore pulsus in magnitudinem & velocitatem magis augentur. Adduntur alia signa, quæ conjecturam confirmant: *Primò*, ex actionibus læsis. Nam Hectici ob virtutis debilitatem pigri &ad motum desides sunt, actionesque omnes debiles habent. *Deinde*, ex habitu corporis, cutis enim corporis squalida est, sensimq; habitus corporis contabescit &c. Excreta vero nullum certum signum Diagnosticum, sed magis prognosticum præbent, licet in Hectica Marasmode aliquando in superficie quiddam supereminere videatur ad pinguedinis similitudinem. *In Hectica* incipiente à causâ procatarcticâ, primo quidem die indicia Diariæ apparent, sed febris in sequentem & tertium diem extenditur, sine ulla remissione aut exacerbatione, ariditatem majorem quam pro magnitudine febris in corpore repræsentans. *Præterea* calor initio mitis; post acris & mordax tangenti sese offert: pulsus parvus, debilis, celer, frequens est, arteriæ circumstantibus partibus sentiuntur calidiores, præcipuè in diastole, corpus squalidum redditur, sensimque arescit, initio tamen

Signa differentiarum.

cutis

cutis laxa apparet, & summis digitis facilè trahitur, deindè aucto malò tenditur, & squalida existit; in volis manuum & plantis pedum magna caliditas sentitur, interdum adest sicca tussis &c. Terminus conversionis hecticæ & simplicis in marasmoden, quando pulsus minor, debilior, simul & manifestè durus redditur, cutis tensa, squalida, cum extenuatione totius corporis, & virium, primò vitalium, deindè naturalium, debilitate. Debilitas enim pulsus magnam imbecillitatem cordis à calore arguit, durities instrumentorum siccitatem. In genere marasmi communia signa sunt, magna extenuatio, & squalor totius corporis, pulsuum magna debilitas & durities, viriumque debilitas. Nam pro modo consumptionis nativæ humiditatis, ejusque quantitate sive incremento, in tabidis omnibus caloris nativi flos extinguitur, carnes totius corporis consumuntur, cutis squalida, oculi concavi, hypochondria tensa & exinanita redduntur; pulsus minores, debiliores & duriores, viresq; omnes infirmiores, &c. Quare in perfecto marasmo coloris nativi flos extinctus omninò est, facies cadaverosa, carnes ita consumptæ sunt, ut totum corpus nil aliud quàm cutis & ossa, sive sceleton videatur: hypochondria ita exinanita, ut quasi dorso adhæreant, cutis faciei ita squalida, ut

Marasmi communia signa.

ob

ob ariditatẽ plane indurescat & circumtendatur: Oculis sæpe connivent dormientiũ more, & præ imbecillitate palpebras attollere nequeunt, ipsíque oculi valdè concavi sunt, cum multis sordibus adhærentibus, nares acutæ, tempora dimissa, aures contractæ; pulsus parvus vehementerq́; debilis est, tandemque miurus: capilli prolixiores videntur & defluunt, ungues curvantur, ac ægri à pediculis molestantur. Vrinæ non certum præbent indicium, tamen in marasmo retorrido, aliquando in urinis pinguedo supernatans conspicitur, non qualis in febrib. syntecticis copiosa, ex subita colliquatione partium, sed perquàm exigua ad pinguedinis alicujus similitudinem, aut telaru araneorum. Verùm si non tantus squalor aut extenuatio corporis sit, nec virium summa debilitas, neque pulsus valdè debiles, facies cadaverosa, &c. existimandum est marcoris secundum gradum esse, aut ad tertium inclinare. Nam signa quæ primum marcoris gradum monstrant, parva sunt; quæ secundum, magna; quæ tertium, maxima. *Species* marasmi facile his notis discernuntur. In simplici marasmo cum squalore corporis, aliisque signis, nullus sensus frigoris aut evidentis caloris sentitur. In hectica marasmode sive marasmo retorrido, admotâ manu calor acris in progres-

CAP. XI.

Signa specierũ marasmi.

progressu percipitur, potissimum circa pectus arteriæ circumstantibus partibus calidiores sunt, calidum expirant, pulsus parvus, frequens est &c. In marasmo frigido sive senectute ex morbo, contra; calor admota manu nullus evidens circa pectus sentitur, frigidum expirant, pulsus parvus rarus est, respiratio quoque parva, rara &c. In marasmo syncoposo, animi deliquio sæpe facileque obruuntur, percipiturq; magna inæqualitas caloris & frigoris &c. *Hectica* cum putrida complicata dignoscitur, si ægri per circuitus exacerbationes & remissiones aut horrores & rigores senserint; ac postquam putrida declinarit, arteriæ calidiores fuerint circumstantibus partibus, pulsus debiles & frequentes cum squalore cutis: & si corpus magis extenuetur, quàm putridæ conveniat. *An* vero consequatur alium aliquem morbum particularem, ut inflammationem jecoris aut ventriculi, ulcus pulmonis &c. id partis primario affectæ signa propria indicabunt. Semper autem in hecticâ, ubi calor inæqualis est, dolor febrisque ab ægro sentitur, aut phlegmonem vel erysipelas partis aut putridam febrim complicari demonstrat. Colliquationes in excrementis febris ardentis colliquantis signa sunt: similiter dejectiones pingues non assumptis alimentis pinguibus; excrementa graveolentia

Signa hecticæ complicatæ cum putrida.

Signa hecticæ secundariæ.

lentia, vehementem febrem colliquantem arguunt, vehementiora, ſi ſubviridia fuerint. Vrina oleoſa, aut in quâ innatat pingue telarum araneorum ſpecie, ut in juſculis pinguibus refrigeratis, colliquationem aliquam indicat, ſed multò majorem, ſi ſubſidentia ſit ſimilis farinæ hordei craſſioris, aut furfures repræſentaverit, modo furfuracea illa veſicæ vitio non contingant, demonſtrant enim, ſpermaticas partes contabeſcere & liquari. Hectica per ſe quia ſolidam ſubſtantiam cordis occupat, morbus diuturnus eſt, ſenſim hominem conſumens. Hecticas incipientes aut nondum tabidas cognoſcere difficile, curare facilè: at exquiſitè maraſmodes cognoſcere facile, curare non modo difficile, ſed etiam impoſſibile: Quia in principio, dum vires cordis non multùm laborant, & humiditas rorida abſumpta non eſt, ſed quaſi effervescit, faciliùs ſanatur. Quod ſi negligatur, & conſumptio humiditatum effervescentiam ſequatur, deindè calor carnoſas partes depaſcat, tandemque partes membranoſas & fibroſas, neceſſe erit cordi tantam nativi calidi & virium defectionem accidere, quanta ſiccitas cum caliditate invaluerit. Proinde hectica magnam latitudinem habet, ſemperque curatu difficilior, quæ exquiſitæ maraſmodi propior eſt: quia in maraſmode

Prognoſtica.

cor ſimile quid patitur, quale in lucernis ellychnia, dum plurimum exuruntur. Nam quod aduſtum eſt, frangitur, & non cohæret, nec affuſo oleo, flamma exigua major redditur, ſed continuò minor donec ex toto exſtinguatur. Quare febris hectica in primo gradu aut maraſmus adhuc incipiens, curatu facilior eſt, in ſecundo gradu planè difficilis, in tertio impoſſibilis. Deinde qui cordis primario affectu laborant, celerius areſcunt & moriuntur, proxime in illa hectica maraſmode, quæ à jecore, mox quæ à ventriculo. Quæ verò ab aliis partibus ortum habent, tantò tardius mortem inducunt, quanta earum quælibet minoris eſt præſtantiæ. Hectica cum putrida complicata incurabilis eſt, potiſſimùm cum putridâ Synthectica, citoq; ad mortem ducit. Incurabilis quoq; putatur hectica cum ulcere pulmonis, eriſypelate aut inflammatione viſceris &c. Si tabe detento profluviu alvi ſuperveniat, lethale ab Hipp. *14. aphor. 5.* dicitur, ſed ut ibidem *in commentar.* notat Galenus, non tàm citò mors ſubſequitur citiùs tamen, ſi diarrhœa diuturna ſit, cum unctuoſa dejectione, aut ei lienteria commiſceatur.

Cap.

Cap. XII.

De Curatione Febris Hecticæ & Marasmi.

Caput XII.

Superest, ut de Curatione febris hecticæ dicamus potissimum, deindè paucis de curatione specierum singularum marasmi. In febre hecticâ indicatio curativa præcipuè sumitur à febre & à viribus, non necessariò à causâ. Nam cum hectica sit in habitu & facta, non autem in fieri, nisi dum adhuc incipit & generatur, aut imminet, ut prohibeatur, ideo in hectica per se propriè nulla requiritur indicatio à causâ. Verùm cum hectica alia sit primaria, alia alium morbum consequatur, eique complicetur, item alia sine marasmo, alia marasmodes, ut diximus, ideò omnium febrium hecticarum una curandi ratio non erit. Attamen hectica, ut febris, refrigerantia humectantia indicat, ut stabilis, solidisq; partibus infixa validiora, ac etiam hectica sine marasmo, quòd marasmoden inducere soleat. Quò autem marasmus major est, eò majorem & diuturniorem usum reficientium & humectantium magis, quàm refrigerantium, postulat. Ad temperandum igitur calorem febrilem in usu refrigerantium cavendū est, ne nativum calorem in toto, aut parte aliqua extinguamus. Id quod

Indicationes.

tantò magis metuendum eſt, quantò magis extenuatum eſt corpus, & â carne vel adipe partes ſolidæ amplius non defenduntur, ut in maraſmo. Præſtat igitur potiùs paulatim, quàm ſubitò refrigerare, magiſque humectare, niſi febris validè ardens ſit, & corpora non nimis extenuata, deindè abſtinere à refrigerantibus, quæ acerba aut auſtera ſunt, aut vehementem ſiccandi vim habent. Vires ægri pro quantitate defectus, refectionem inſinuant, per utile alimentum, cujus adminiculo humiditas nativa ſubſtantiæ ſolidarum partium, quæ conſumpta eſt, reparatur & augetur, & eò magis, quò hectica in maraſmoden magis declinat. Hectica, quæ alteri morbo conſociata, eumque conſequitur, nimirum febrem putridam, inflammationem viſceris, ulcus pulmonis, non tollitur, niſi ſublata cauſa, morbovè primario. Quare Galenus *10. Meth.* præcipit, in talibus cauſam, ſi fieri queat, primùm tollere, ſed ſi hectica magis urgeat, ei primùm occurrere, imo ſi indicationes pugnent, ut phlegmones & hecticæ urgentis, potiùs pati phlegmonem augeri, quàm hecticæ non ſubvenire: contra ſi hectica non urgeat, ſed inducias concedat, phlegmonem primò reſpicere, licet conſultiſſimum ſit, ita uni ſuccurrere, ut altera non negligatur. Quæ ratio in illa hectica locum habet,

habet, quæ putridæ aſſociata eſt, nam oportet non ſolum refrigerare & humectare, viresq́ue reficere, ſed etiam obſtructiones tollere, humores putridos ſenſim educere, & putredinem reſtinguere, pro natura febris. Quia verò hectica moras aut inducias ſæpè concedit, quas non concedit putrida, ita putridæ primò occurrere cogimur. Hectica ſimplex ſine maraſmo his modis tollitur, difficiliùs quæ ad maraſmum inclinat: exquiſitè maraſmodes licet incurabilis ſit, tamen humanitatis alicujus videtur ægros non negligere, ſed deſperatis etiam vitam quàm diutiſſimè minimâ cum moleſtiâ proferre. Materia præſidiorũ in hectica eſt Diæta, & pharmacia. Nam cùm in hectica ſanguinis major ſit defectus, quàm redundantia, phlebotomia locum habere nequit. *Diæta* in genere ſit frigida humida, ſed initiò magis frigida in maraſmode, & in ea, quæ ad maraſmoden inclinat, magis humida. *Aer* ſit temperatus, ad frigiditatem & humiditatem nonnihil inclinans, ſi calidus ſit, ut æſtate, alterandus erit foliis ſalicis, lactucæ, vitis, violariæ, floribus nymphææ, roſarum &c. aliiſq́ue frigidis odoriferis. Alterari etiam aër poterit adſperſione aquæ frigidæ cum aceto, aliquando irroratione cum aquis roſarum, nymphææ, cum aceto infuſionis ſantalorum, roſarum &c. inter-

Diæta.

Aer.

dum suffumigiis ex trochiscis de camphora. Sin aër nimis frigidus sit, deducatur ad temperiem cum vapore aquæ calidæ, aut levi flamma sive fumo. Nam extenuata corpora frigiditas ambiens facile penetrat, & ob defectum sanguinis & spirituum, calorem natiuū facile extinguit: Quare servandi sunt ægri in temperato aêre, ipso corpore levibus linteis & stragulis cooperto, in loco aperto salubriq́;. *Forma* victus hecticis plenior debetur, quia corporis habitus augeri debet, præcipuè in hectica marasmode. Alimenta autem ipsa sint boni succi, si vires debiles, facilis concoctionis & distributionis; & aut naturæ frigidæ, aut alterata frigidis humidis, qualia sunt lactuca, portulaca, acetosa, endivia, malva, buglossa, borrago, flores violarum, nymphææ, semina quatuor frigida mundata, semina papaveris albi, succus granatorū, &c. Alimenta natura humida, boni succi sunt ptisana & cremor hordei, avenatū, lac animalis boni habitus, amygdalæ dulces, nuclei pinei aut pistacei recentes, pruna dulcia, item panatella ex lacte amygdalarum dulciū, vel jure pulli decocto cum lactucâ, portulacâ, aliisq́; frigidis. Alimenta boni succi facilis concoctionis, & distributionis sunt ova recentia sorbilia, potissimū vitella, per se, aut cū lacte vel jure pulli, carnes pullorum gallinæ, caro perdicis, capi, pha-

Victus ratio in alimentis.

pi, phasiani, vituli, hædi, agni, porcellorum, item avicularum montanarum elixarum, testiculi gallorum, pisces saxatiles, jura restaurantia ex illis carnibus &c. Cùm autem in hectica magna sit substantiæ corporis dissipatio, calorq; fixus in solidis partibus, & vires deficiant ratione solidæ substantiæ; ideo refectio convenit per alimenta crassæ glutinosæ substantiæ, non mali succi, quæ firmiùs nutriunt, & à calore non facile dissipantur, aut corrumpuntur, modò vires ferant eaque concoquere queant, qualia sunt pedes animalium, præcipuè porci unius anni, carnes cancrorum fluvialium, testudinum nemoralium, limacum montanarum, coxæ ranarum fluvialiũ, caseus recens sine sale, &c. Sed quia ea, quæ crassæ glutinosæ sunt substantiæ, difficilis sunt concoctionis & distributionis, & progressu morbi à viribus infirmis superari nequeunt, ideo eorum loco cogimur cibos mediocris aut tenuioris & liquidioris substantiæ eligere; quare si vires minus firmæ sint, dentur ova recentia sorbilia, lac animalis boni habitus, carnes pullorum, gallinæ, gelatina ex extremitatibus animalium & similia. Si vires valde debiles, jura restaurantia carnis coctæ contusæ & expressæ, gelatina ex carnibus pullorum gallinæ, capi, &c. Sin prostratæ, lac amygdalarum, jus carnis pulli gallinæ,

aut capi non expressæ, aqua destillata caponis &c. Parantur etiam fercula ex jure carnium, & lacte amygdalarum, cum medulla panis, vel farina amyli & hordei addito saccharo. Coquatur pullus gallinæ vel capo cũ lactuca & portulaca, dum mollescat, deindè contunde, & juri colato redde, & iterum coque in vase diligentissimè clauso, additis interdum specierum diamargar. frigidi ʒ j. macis ℈ j. conservæ violarum ℥ j. buglossi ℥ s. tandem succum exprime, & detur per se vel cum medulla panis, vel

Ius restaurans.

Gelatina.

℞. *Pulpam caponis integri, carnis cruris bovis junioris boni habitus* ℔ j.s.
pul. cinnamomi optimi ʒ j.
macis
santali citrini ana ℈ j.
spec. elect. resumptivi ℈ ij.
passularum corinthiac. concisarum ℥ j s.

carnes concisæ in tenues partes cæteris misceantur, affusis vini albi & aquæ violarum unciis duabus aut tribus, coquantur omnia simul in vase duplici diligentissime clauso lento igne, horis octo. Deindè succum exprime, qui frigore concrescit, igne liquatur, detrahe pinguedinem supernatantem addito sacchari albi quantum sufficit. Hujus gelatinæ detur debilioribus frequenter cochlear unum aut alterum, interdum cum mica panis. Parentur sorbitiones nutrientes

tes ex jure aut ſucco carnis vituli, hædi, &c. in diplomate coctæ & expreſſæ. Cum autem caro cancrorum quemadmodum teſtudinum & limacum difficilis concoctionis ſint, variè præparantur, quidam caudas cancrorum, vel carnes teſtudinum nemoralium aut limacum cum ſale fricatas, ſæpiuſque lotas coquunt in aquâ hordei, aliqui ipſos cancros primùm in lixivio coquunt, deindè carnes in aqua hordei vel lacte; tandemque cum amygdalis dulcibus, pineis, piſtaceis, ſem. frigidis & ſaccharo, condita vel paſtillos præparant, ut Guainerius & Rondeletius, vel carnes in ptiſana & lacte decoctas per ſetaceum rranſmittunt, & ptiſanæ modo exhibent, ut Curtius, Teſtudinum nemoralium jus magis commendatur, quàm caro limacis montani, ſi poſt bidui inediam, triduo alantur farina & ſaccharo, hinc coquantur in aqua hordei cum ſale, tandem in jure gallinæ, bene nutriunt. Quidam ſuadent ranas arboreas virides, quarum ventres lactei exiſtunt, in aqua coquere, ad oſſium à carnibus ſeparationem, deindè cum farina & jure decocti paſtam præparare, eaq; gallinas alere, pulloſq; gallinaceos: ſimili modo ex anguillis condimentum parare, pro pullis ſaginandis in uſum ægrorum. Aliqui jubent ventrem gallinæ aut capi replere anguilla abſciſſo capite,

Præparatio carnis cancrorum, &c.

pite, mundata, concisa, lota, aqua rosarum & salita: deinde coquere in aqua cum modico hordei excorticati, deinde destillatione in balneo, ejusq; uncias duas aut tres exhibere, cum modico sacchari, ante alios cibos. Parantur in usum ægrorum varii pastilli & mazii panes ex amygdalis dulcibus, pineis, &c. cum saccharo, aliquando cum carne capi, cancrorum & similium.

Pastilli.

℞ *Pulpæ caponis elixatæ aqua violar.* ℥ v.
carnis cancrorum præparatæ, ut supra, & coctæ aqua hordei ℥ iij.
amygdal. dulcium mundat.
pinearum mundat. & infusarum aqua violarum ana ℥ j.
pistaceorum mundat. ℥ s.
sem. quatuor frigid. major. enucleat. ana ʒ ij
sem. pap. albi ʒ ij s.
macis ℈ ij.
sacchari candi & penidij ana ℥ j.
sacchari albi soluti aqua violarum quantum sufficit,

fiat confectio in morsellos, addi etiam poterunt
Spec. elect. resumptivi
diamarg. frig. ana ʒ j. s.
diarrhod. abb. ℈ ij.
spodij ex ebore ʒ s.

aliaq; pro ratione morbi & dispositionis ægri

℞ *amygdal. dul. mundat.* ℥ iiij.
pinearum recentium ℥ ij.

pista-

pistaceorum mundat. ℥ vj.
sem. quat. frigd.
major. mundat. ana ℥ ij.
papaveris albi ℥ iij.
amyli
gum: tragacanthi ana ℥ s.

amygdalæ, pineæ, & pistacea concisa macerentur aqua violarum vel rosarum per noctem, deinde cum sacchari albi quantum satis, fiat panis mazius: His & similibus ægrũ nutrire & reficere convenit. Lac quia plurimum nutrit, & simul humectat, si absit febris putrida, dolor capitis, tensio hypochondriorum, aliaq;, de quibus mox dicetur, plurimùm in hectica & omni marasmo probatur: & primò ob substantiæ similitudinem lac muliebre, post quartũ à partu mensem; deinde lac asinæ, pòst caprinũ, hinc vaccinũ detracto butyro. Veteres hecticos tabescentes ad Tabias miserunt, ob aëris loci lactisq; bonitatem. Eligendum est lac animalis boni habitus, mediæ ferè ætatis, nutriti hordeo aliisq; alimentis frigidis humidis, moderateq; exercitati. Probatur lac, quod æqualem substantiã habeat, ita ut in eo non appareant diversæ partes, ac magis tenue, quàm crassũ sit, ne citò cogatur in vẽtriculo, meliusq; distribuatur: Deinde nullã alienam qualitatẽ gustui, olfactui & aspectui præ se ferat, sed quã dulcissimũ sit, & quantũ lacti conveniat *Lactis usus.*

resplen-

resplendens: præterea, si fieri queat, sugatur ex mammis, aut recens mulctum bibatur calidè, mane, primum incipiendo ab unciis duabus vel tribus, & si non corrumpatur in ventriculo, adaugeatur ad uncias novem, vel decem. An corrumpatur in ventriculo, aliquando æger nos edocebit, plerumque nos ipsos deprehendere oportet ex ructu nidoroso vel acido, & pulsu. Nam assumptionem lactis prohibet *primò* pulsus, si ab assumptione lactis inæqualis, parvusq; fiat, qualis fieri solet affecto ventriculo: *deindè* ructus nidorolentus ostendit lac corrumpi à calore, acidus à frigore ventriculi: *Tertiò* dolor capitis, quia dum lac coquitur à ventriculo, copiosi vapores attolluntur: *Quartò* sitis quæ arguit calorem ventriculi, à quo corrumpitur lac: *Quintò* febris putrida complicata: *Sextò*, dejectiones biliosæ, quæ arguunt calorem, unde corruptio lactis: *Tandem* tensio hypochondriorū ab inflammatione, vel rugitus à flatibus. Verùm ructus nidorosus si sequatur assumptionem lactis, coquatur cum lacte aliquid aquæ; si ructus acidus, misceatur aliquid sacchari, aut salis, aut modicum mellis. Exhibeatur lac tribus horis ferè ante prandium, & alius cibus non prius concedendus, quàm lac in ventriculo concoctum fuerit. Similiter quoque ante cœnam tribus horis exhiberi

beri poterit, si senserit cibos in ventriculo digestos esse, & se usu ejus levari. Si lac in ventriculo corrumpatur, aut putrida hecticæ associata sit, pro lacte porrigenda erit ptisana colata, cremorvè hordei, aliaque ut supra. *Si* verò valde debiles sint, & cibos aversentur, nutriri poterunt ægri per ea, quæ clysterum modo injiciuntur bis in die, manè & serò, jejuno stomacho. *Clyster nutriens.*

Accipe: *juris caponis vel vituli decocti cum lactuca, portulaca &c.* ℔ xv.

vitellorum ovorum numero tria,

sacchari albi ℥ ij.

misce. In usu alimentorum vires semper considerandæ erunt, & offerenda ea solùm sunt, quæ concoquere aut digerere possunt. Nam nutriendi sunt pro virium ratione, nunquam exhibenda, quæ vires superare nequeunt. *Quia* verò in hectica marasmode potissimum vis attractrix membrorum debilis est, aut liquidiora alimenta exhibeantur, aut solidioribus cibis parùm aceti misceatur, ad faciliorem distributionem; licet acetum per se hecticæ non conveniat, ejus loco substitui poterit agresta, succus granatorum aut limonum, in quo aliquot ducati auri optimi sunt injecti. Consultius est, ante cibos solidiores, ad faciliorem distributionem, aquam aut cremorem hordei, vel jus aliquod restaurans exhibere. *Modus cibandi.*

Nam

Nam progressu temporis partes ita siccitate squalent, ut trahendi vis fere exsoluta sit, quare præstat tùm alimenta liquida assumere. Cùm autem in hoc affectu indigentia utilis alimenti multa sit, refectio multa requiritur, sed quia vires non ferunt, ut præcipit Hipp. *2. aphor. 7.* eos qui longo tempore extenuantur, lentè reficere convenit, & non tantum cibi, quantum indigentia exigit, simul offerre, sed dividere, sæpe, & parum nutrire, ita ut prior cibus concoctus sit, cùm alter sumendus est. Tempus igitur sumendi cibi est, cùm, qui prius sumptus erat, jam concoctus est, & ex ventriculo descendit, quod ex ructu cognoscitur, & levitate ventriculi. *Potus* in hecticâ quâcunque sit aqua hordei, si metus sit diarrhϾ, ex hordeo excorticato tostoque, item aqua panata cum modico sacchari, assuetis cerevisia tenuior, bene cocta & defæcata, aut vinum, potissimum, si instat syncope, sed album, tenue, aquosum, aut valdè dilutum aqua hordei, aut decocti quatuor sem. frigid. aut seminum coriandri præparati. Incipiente hecticâ, quando vires firmæ sunt ad extinguendum calorem febrilem, iis legibus, ut suprà in synocho, datur aquæ frigidæ potio, sed in extenuatis, quorum corpora exanguia sunt, ab ejus usu cavendum. Tempus sumendi potus, si ventriculus non ita debilis

Potus.

Cap. XII.

bilis sit, quin cibos arctè comprehendere queat, sit cum cibis solidioribus, gratia distributionis, si debilis, peracta concoctione, nisi sitis urgeat; & tum parcè sumatur. Nam si cum cibis potus copiosus sumeretur, in ventriculo fluctuaret, & concoctionem impediret.

Somnus & vigilia.

Somnus sit nocturnus, non diurnus, potissimum à prandio statim, & consueto longior; vigiliæ enim corpus vehementer exsiccant, & ut somnus, ita quies & animi tranquillitas corpus valde exsiccari non sinunt, dormiant in molli strato, cooperti mundis linteis, prius irroratis aqua rosarum, aliisque frigidis odoriferis. Præcipit Avicenna hyeme super culcitram jacere, æstate super stratum ex corio inflato aut aqua repleto, quidam suadent statim à cibo somnum capere, verùm satius videtur ad duas horas differre, præcipue in iis, qui catharro infestantur, siccaque tussi. Præterea laborandum imprimis est, ne ulla immodicâ evacuatione aut alimenti defectu, vires exhauriantur, nec ægri à cibis, supra vires repleantur, aut excrementa non naturalia supra modum retineantur, sed debitè expellantur. Quare si alvus immodicè fluat, sistatur, ut mox dicetur: si subsistat, subducatur glande aut leni clystere,

Excreta & retenta.

Ex jus-

Ex jusculi pulli decocti cum hordeo, malva, violaria, &c. ℔ j.
addendo cassiæ extractæ ℥ j.
sacchari albi ℥ ij.
mellis violarum ℥ j.
vitellorum ovorum num. ij.
olei violarum
butyri recentis ana ℥ j.s.

f. enema. Exhiberi poterit
mannæ ℥ x.
vel cassiæ extract. ℥ j.
ex jure pulli vel decocto prunorum, aut florum & fructuum.

Si redundantia sit pituitosorum crassorum humorum in ventriculo & intestinis,
ex decocti veteris galli ℥ iiij.

Motus & quies.

Quies potiùs quam motus imperari debet. Verum ante cibum, si vires ferent, uti poterunt levi aliquo exercitio, aut ejus loco mollibus frictionibus non multis, præcipuè statim à somno, incipiendo ab inferioribus partibus. Nam internos humores ad exteriora evocant, fricandus tantùm æger, dum rubor apparere incipit: si ulterius, corpus exsiccabitur. Tandem fugiendæ sunt omnes vehementes animi perturbationes, inprimis ira, tristitia, metus, & animus à molestiis gravioribusque curis ad tranquillitatem & hilaritatem revocandus est.

Animi affectus.

Conse-

 Cap. XII.

Consequens est, ut de medicamentis propriè dictis agamus, incipiendo ab iis quæ per os assumuntur, inter quæ purgantia numerantur. Verùm cùm hectica adjectionem potiùs, quàm ullam subtractionem exigat, purgantia propriè dicta in eâ non conveniunt, nisi putridæ associata fuerit: Tum enim pro natura humoris putrescentis, instituenda est levis evacuatio, de qua infrà dicetur; quæ nec vires dissolvit, nec habitum corporis immutat, ac etiam metu diarrhϾ, quæ in hoc affectu extrema minatur. Licet autem hectici evacuationes difficilimè ferant, sine periculo tamen uti poterunt leniente clystere, aut manna & cassia, ut suprà: Aliquando si vires debiles non sint, diluto Rhabarbari &c. ex decocto myrobalan. tamarindor: endiviæ, florum violarum, prunorum &c. Alterantia, quæ exhibentur, sunt refrigerantia humectantia, quæ vires cordis confortant, & plerumque substantiam corporis reficiunt, quorum nonnulla jam enumerata sunt. Refrigerant, humectant, & cor confortant Iulep. violarum & rosarum, syrupus violarum, granatorum dulciū, nymphææ, de cichoreo. syr: buglossę, borrag. syr: papav: de succo portulacæ &c. exhibetur cum duplo aquæ hordei, vel aquæ violarum, lactucæ, endiviæ, borraginis, portulacæ &c. Macerare poteris, leviterque

Pharmaca.

Lenientia.

Alterantia.

bullire in aquis flor: nymphææ, violar: buglosse, specier: diamarg: frigidi, santalor: &c. interdum cũ perlis & corallis, fiat emulsio, quæ dulcoretur syrupo aliquo, vel man: Christi. Quidam ex succi buglossæ parte una, & succi portulacæ partibus tribus, cum saccharo syrupum præparant:

℞. *emulsionis sem: quat: frigid. maior* ℥ ij.
emuls: sem: papaveris albi ex aqua violarum ℥ j.
succi depurati lactucæ
& endiviæ,
vel granatorum dulcium,
& portulacæ ana ℥ s.

misce ad ignem lentum, addito sacchari albi q. s. & exhibeantur sæpe cochlearia quatuor aut quinque. Commendatur syrupus Guainerij ex testudinibus nemoralibus, ac jus restaurans ex pulpa caponis vel pulli gallinæ, vel perdicis, vel carnis vituli aut hædi coctæ in vase vitreo optimè clauso cum aquis, violarum, rosarum, buglossæ ana ℥ ij. s. vini odoriferi ℥ iiij. additis pomis dulcibus concisis tribus; & speciebus cordialibus, ex santalis, gemmis, croco &c. ac aureis nonnullis ducatis. Probatur aqua ex his destillata, ac in eundem usum præscributur à nonnullis varia destillata. Verùm aquæ destillatæ, licet spiritus reficiant, tamen minimum nutriunt, ac substantiam solidorum non restaurant.

Vis aquarum destillatarum

ſtaurant. Deinde perlæ, coralli, gemmæ, folia auri & ſimilia craſſæ ſubſtantiæ, niſi ſucco depurato limonum, acetoſitatis citri, berberis &c. diſſolvantur, aut alterentur decoctis non magnam vim impertiunt, deſtillatis exiguam aut ferè nullam. Santali verò, roſæ, cinnamomum & ſimilia, quorum præcipua vis in tenui ſubſtantiâ conſiſtit, non minùs deſtillatis quàm decoctis, & interdum plùs, ut patet in aqua cinnamomi & roſarum: quare ſatius erit pulveres margaritarum, gemmarum, foliorum auri &c. cum deſtillato aut jure reſtaurante exhibere, vel eorum ſolutiones, aut magiſteria. Confectiones ſolidæ, quæ in hoc affectu conveniunt, ſunt, manus Chriſti perlatæ, factæ cum aqua violarum; diamargaritum frigidū, diapapaver, diatrag: frig: diatriō ſant. diarrhod. Abb: confectio ex ſpeci: elect: reſumptivi, de gemmis frigidis, addito nonnihil trochiſ: de camphora &c. laudantur ab Avicenna, trochiſci de ſpodio, & de corallis. Condita fiant ex conſerva violarum, nymphææ, roſarum, bugloſſæ, borraginis, cum ſpecieb. diamarg. frigid: Elect: reſumptivi, item ex ſolutione corallorum, margaritarum, lapidibus pretioſis, ſpodio &c. *Confectiones & condita*

℞. *conſervæ violarum,*
bugloſſæ ana ℥ j.
nymphæa ℥ s.

spec. diamarg frig. ℈.ij.s.
elect. de gemmis frig.
aut elect. resumptivi.
margaritarum præp. vel solutionis ejusdem ana ʒ.s.
spodij ex ebore
ossis de corde cervi
coralli rubri ana ℈.s.
foliorum auri optimi num. ij.
cum syrupo violarum & buglossæ.

fiat commixtio. Commendantur, ut diximus, in hoc affectu præ cæteris, quæ humectant refrigerant, simul & substantiam corporis reficiunt, ut lac, & jura restaurantia, pastilli & mazij panes supra propositi, item aqua cancrorum, aqua limacum, aqua ex lacte vel sanguine humano, ut describitur à Guainerio & Paracelso; A cibo detur modicum hujus pulveris pro digestione ventriculi confortanda.

℞ *sem. coriandri præp.* ʒ s.
corallor. rub.
margarit. præp. ana ℈ j.
carnis cydoniorum exiccatæ ℈ ij.
sacchari rosati tabellati ʒ j s.

Pro syncope. fiat pulvis. Si Syncopes metus sit, ut in debilitatis & marcescentibus nonnunquam, olfaciant santala & rosas, aliaque ejus generis, detur aliquid vini granatorum, sive succi ejus depurati, & dulcorati saccharo, addita decima

decima parte vini odoriferi: vel vinum dilutum aqua rosarum, interdum confectiones ex man. Christi perlat. aut ex conserva violarum, buglossæ, cum solutione margarit: pul: ossis de corde cervi, vel spec: diamarg. frig: Si Syncope sit ob magnam indigentiam utilioris alimenti, dentur juscula restaurantia cum vitello ovi & modico aquæ cinamomi vel vini odoriferi &c. Si metus sit ex profluvio alvi superveniente, sorbitiones & potus sint ex hordeo excorticato tosto, utantur hordeato aut avenato, cũ pauco farinæ amyli, gummi tragacanthi, aut quarta parte orizæ torrefactæ, detur frequẽter paululum hujus electuarij.

Contra profluvium alvi.

℞. *conservæ rosarum rubrarum veteris* ℥ j.
pul: corallorum,
spodij ex ebore ana ℈ j.
margarit:
gummi tragac: ana ℈ s.
aliquando trochis. de spodio vel terra sigillata ℈ j.
cum syrupo de rosis siccis

fiat conditum. A conserva violarum alijsq; lenientibus abstinendum, & pro ijs conserva rosarum vetere, diacydonij simplicis, alijsq; refrigerantibus adstringentibus utendum. Si complicata sit tussis sicca aut phthisis, utantur syr. myrtino, & de symphyto Fernelij, cum syr: violarum, jujub. detur

quotidie pulveris Hali ℨj. cum ptiſana, aut jure reſtaurante, alia ut in phthiſi, teneat frequenter in ore aliquid diatrag. frigidi vel diacodij, remedia frequenter mutanda ſunt, ne unius aut alterius continuo uſu faſtidium oboriatur. Extrinſecus adhibenda corpori ſunt, quæ humectant aut partes exſiccari non ſinunt, eaſq; utiles reddunt ad alimentum promptè ſuſcipiendum. Inter ea omnia balneum aquæ dulcis, ſi rectè adminiſtretur, nihilq; ejus uſum prohibeat, primas partes obtinet. Nam externas partes humectat aut irrigat, & vim caloris exſiccantis humidum ſolidarum partium obtundit, ac proindè corpus refrigerat & humectat, parteſq; externas relaxat, ut promptiùs nutrimentum alliciant. Prohibent uſum balnei, primò febris putrida aſſociata, quòd obſtructiones habeat, quæ ab humoribus fuſis calore balnei augentur. 2. viſceris inflammatio, nam ex balnei calore humores liquati ad ipſam magis confluerent. 3. viſceris debilitas, ob quam promptius recipit humores fluentes. 4. plenitudo ad vaſa aut vires, quod humores fuſi in plenitudine quo ad vires, magis gravant; quo ad vaſa, ruptionem venæ minantur. 5. gravis catarrhus aut fluxus alvi, quia balnea humectando fluxiones augent. 6. nimia alvi conſtipatio, aut cruditas in primis venis, hæc enim balnei calore in venas facile attrahitur; Tandem inedia, aut magna indigentia utilis alimenti

Topica

Balneum

in venis; item magna virium debilitas, ut in perfecto marasmo: periculum enim est ex balneo, ne ob spirituum exhalationem in syncopen incidant &c. Veteribus usitatum fuit, primùm ægros in aërem balnei ducere, ut pori aperiantur; deinde oleo dulci perfusos, in aqua dulcem modice tepida immergere ad corporis humectationẽ: pòst repente in aquã frigidam inijcere, subitoq; educere, exiccare, oleoq; violarũ & similibus inungere, ut poris condensatis humiditas extracta non expiret, tandemq; in lectu deferre. Quæ omnia sensim & gradatim citra ullum ægri laborẽ fieri oportet, ne vires defatigentur, proinde tabescentes in calida syndone deferebant in balneu, non tabescentes, absq; syndone, ut describit Aëtius. Verùm iste varius usus balneorũ hodie exolevit, ideò consulunt recentiores pleriq; mane depositis excrementis natura vel arte, & duabus vel tribus horis pòst assumptionẽ lactis aut juris resumptivi, prope lectum labrum aqua plenum disponere, ac ut pori cutis aperiantur, & aquæ vis faciliùs subeat, vaporem balnei primùm accipere sine ullo sudore, deindè aqua dulci tepida immergi, ac immorari pro virium ratione, tandemq; in aquam magis frigidam deferri, si æger juvenis sit, assuetus frigido balneo, viresq; debiles non sint, alioqui sufficere putant parvam morã in labro aquæ tepidæ tandemq;

CAP. XII. corpus oleo refrigerante & humectante inungere. Quidam ante balneum duabus horis exhibent cremorem hordei cum syrupo violarum aut resumptivo, & antequam in balneum descendant, lacte recenter mulcto totum corpus refrigerant, tandem post moram aliquam in balneo tepido, inungunt oleo violarum, nymphææ ad humectationē, & ut pori claudantur altiusque vis humectantiū subeat, addunt aliquid mucilaginis, vel olei cydoniorum, vel olei myrtillorum. Consultissimum tamen est, ægros in aquam tepidam immergere, & in ea paululum morari, & solum dum rubor in cute apparere incipit, deinde parum frigidæ sensim affundere, & paulo diutjus in ea ægrum detinere, hinc tantum affundere, ut balneum frigescat, & in ea brevi tempore hærere, tandem exiccatos in lectum deferre, oleoque, ut suprà, inungere. Balneum frigidum suspectū est, ubi vires debiles sunt, & in non assuetis, paratur interdum balneum ex lacte dulci, aut ex decocto hordei, violariæ, malvæ, aliquando ex decocto capitū & omasorū Vituli aut vervecis, cū malva, violaria, portulaca, althæa, hordeo. In omnibus his sedulò cavēdum ne æger horrore, siti, aut deliquio animi corripiatur, nec ullo modo sudet: si sudor erumpat, cōvenit corpus aut oleo leviter adstringēte inungere, ut oleo nymphææ, myrtillorum, cydoniorū, aut perfundere aqua,

in qua decocta sint rosę, balaustia &c. primis diebus, tribus horis ab usu resumptivi, balneū ingrediatur, & primùm alternis diebus utatur, deindè si levamē senserit & vires ferant singulis diebus semel; post, quatuor diebus continuis bis &c. A balneo statim ventriculus ungatur oleo mastichino, aut cydoniorum & rosato, pectus unguento resumptivo, vel oleo violarum, cum modico succi lactucæ; spina hoc linimento. Cap. XII.

℞. *mucilaginis sem: psilij & cydoniorum cum aqua violarum* ℥ j. s
lactis mulieris puellam lactantis ℥ j.
gum: tragac an: ʒ j.
olei violarum
nymphea an: ʒ vj.
butyri recentis loti aqua violarum ℥ s.
ceræ albæ lotæ q. s.

fiat linimentum. A balneo æger in lecto per horam unam aut alteram quiescat, & si sitis urgeat, bibat aquam hordei, vel lac amygdalatum, priùs descriptum, tandemque assumat cibos reficientes in moderatâ quantitate. Transactis horis tribus aut quatuor à prandio, ubi senserit æger cibos digestos in ventriculo, poterit iterum eadē forma balneo uti una cum inunctionibus & reficientibus. Sed si vires debiles sint ut in tabidis, metusque syncopes sit, cogimur ab usu balnei abstinere. Nam in balneis periclitantur

interdum ægri, quare ne syncopen incurrant, naribus admovenda sunt odorata frigida, ut nodulus

ex flor: rosarum
violarum
nymphaæ ana ℥ s.
santal: omnium ʒ ij.
camphoræ g. iij.

misce, fiat pulvis, linteo includendus, macerari poterit aqua rosarū aliisq; utendum, ut supra. Medicamenta extrinsecus ad refrigerandum, non solùm pectori imponuntur, sed etiam parti præcipuè illi, in qua residet quasi focus ipsius febris, jecori; ventriculo, renibus, ac ubicunq; inflammatio. Cordi admoveantur epithemata,

℞. *aquæ rosarum,*
nymphææ
violarum
portulacæ ana ℥ ij.
aceti violarum ℥ j.
spec: diamargar: frig. ʒ j.
santal. omnium
ossis de corde cervi ana ℈ j.
camphoræ g. iiij.

misce. Si ingens ardor sit, additur interdùm succi lactucæ ℥ j. alioqui succi pomorum dulcium, aut granatorū dulciū ʒ vj. Hujus loco ungatur regio cordis, ungueto de nymphæa Guainerij. Regioni jecoris ad restinguendū calorē admoveatur hoc epithema:

℞. aquæ endiviæ ℥ iij.
lactucæ
hepaticæ ana ℥ ij.
aceti rosacei ℥ j.
pulveris santal. omnium ana ℈ ij.
spodij ex ebore ℈ j.

misce. Pro aquis sumuntur eorundē interdum succi. Si febris vehementior sit, & vires non ita debiles, poterit inungi regio jecoris cū oleo rosato admixto cerato santalino &c. Verùm oleis & unguentis parciùs utendū, quia febrē nonnunquā augent. Commendatur portulaca contusa ventriculo imposita, aut vbi magnus æstus est in hypochondriis, imponere linteum duplicatum intinctum succo lactucæ, endiviæ, portulacæ, aut sempervivi, misceri poterunt cum pauco farinæ hordei. Verùm in extenuatis, parciùs refrigerantibus his utendū, ac sedulò cavendū ne in pectore ex immodico usu refrigerantium dyspnœa oriatur, aut calor natvius extinguatur. Si ardor circa renes sit, aut malū ortum ex phthisi renali, profluvioque seminis, vires ungantur unguento refrigerante Gal: vel fomētentur decocto sempervivi, portulacę, solani, florū nymphæę, lactucę, in aqua, addito modico aceti &c. atq; hoc modo instituitur curatio hecticæ, quæ alteri morbo cōplicata non est. Hectica Paracelsus sub nomine febris cōprehendere non videtur, & plerumq; Aridurā, interdū phthisin *Paracelsi opinio de hectica*

appel-

CAP. XII.

appellat, eamque *lib. 5. Paragraph.* oriri existimat, quando elementum igneum in suam siccitatem abiens, cætera elementa, totamque corpus consumit. Verum, *libro De Aridura* eodem modo in homine fieri statuit, quo æstate ariditas in terra, & rebus ex terra nascentibus. Habent autem ea, quæ ex terra gignuntur, mensuram substantiæ suæ & refectionē à cælesti impressione, ex rore & pluvijs, quas humiditates sol calore suo perpetuò exsiccat & consumit. Quare ubi cessat illa cælestis impressio, & humiditatis reparatio, necesse est à sole humidum depascēte plantas exsiccari & marcescere. Simili ratione in microcosmo dum cessant impressiones, quæ totum corpus conseruant, sive radicales & substantiales humiditates à solis microcosmi deurentis calore exsiccantur, elementum ignis in suam siccitatem abiens, cætera elementa consumit, & Ariduram excitat. Quare curatur à Paracelso arcanis, quæ cælum fœcundum reddunt, & solē microcosmi humectant & irrigant: cujus generis esse putat elixir ex margaritis, quod quasi fermentum & balsamus aliquis corporis humani est. Huc referri poterunt *ex libris Archidoxor.* magisterium corallorū & margaritarum; magisterium sanguinis humani, elixir balsami ex auro quinta essentia comestibilium & potabilium, *ex lib. 5. Paragraph.* compo-

compoſitio diacorallorum, unguentum de pinguedine murmentorum &c.

Curatio hecticæ complicata cum putrida aut alio affectu.

Curatio hecticæ, quæ putridæ complicata eſt, aut quæ ſuccedit ad inflammationem viſceris alicujus, deſtillationẽ in pectus aut dorſum, ſuppurationẽ, ulcera pulmonis &c. requirit cauſam primò tollere, niſi violenter urgeat hectica, nimirum ſi febris putrida ardenſque ſit, humores putridos evacuare, putredinem reſtingvere, ut infrà in curatione putridarum; ſi peſtilens febris. malignitati occurrere alexipharmacis, ut in peſte dicetur; ſi partis inflammatio, ei idoneis remedijs ſubvenire; ſi catarrhus, ſiſtere; ſin pus, ut in ſuppuratis, evacuare, ulcus conſolidare &c. atque hinc febrem hecticam curare refrigerantibus, humectantibus, reſtaurantibus, quæ ſubſtantiá partium reficiunt, ut iam dictum eſt. Cum autem ſimul evacuare & replere impoſſibile ſit, ideo ad epicraſin confugere oportet, & paulatim, quod vitioſum, evacuare, deindè, quod ſalubre eſt, reponere: nam hecticâ putridæ complicatâ &c. ſi curationi putridæ febris, inflammationis aut ſuppurationis inſiſtere velimus tenui diæta, augebitur hectica. Si ſoli hecticæ, reficientibus, nutrientibus; augebitur putrida, aut inflammatio. Igitur decet alternatim, nunc levi pharmaco evacuare, nunc idoneis remedijs & alimentis reficere. Evacuatio

cuatio instituitur pro qualitate humoris peccantis, medicamentis blandè evacuantibus, admixtis nonnullis cordialibus, hora minoris afflictionis: veluti, si febris tertiana sit ex cassia, vel manna, ut suprà. vel:

℞. *endiviæ*
cichorei cum radicib: ana m s.
flor: violar:
bugloss: ana p. j.
Sem: melonum
cucumeris ana ʒ s.
tamarindorum ℥ s.
prunorum damascenorum num: iij.
coquantur in aqua q. s. Colaturæ ℞. ℥ v. *cui infunde rhabarbari electi* ʒ j. s.
schœnanthi gr: v.
stent aliquot horis in infusione, deinde colentur, cum expressione colaturæ admisce mannæ Cal: syr: de cichorio cum rhabar: ana ʒ vj.

fiat haustus. Si febris sit quotidiana, purgentur debiliores

ex jure veteris galli infarcti sem: carthami,
rad. polypodij quercini ana ℥ j.
sem: anisi
melonum ana ʒ j. s.
fol: capill: ven:
agrimoniæ
betonicæ
flor. buglos: ana M s.
passularum enucleatarum ℥ j. *&c.*

robu-

robustiores
diluto ex agarici ad ʒ ij. infusi, vel jure præscripto, vel decocto prædictarum herbarum.
Si febris sit quartana, debiliores purgentur,
epithymi ʒ vj. infusi in decocto polypodij. cort: myr: indorum, fol. ceterach, fumariæ, lupulorum, flor: viol: buglos: &c.
pro robustioribus
addantur fol: senæ ʒ iij. vel ℥ s.

Sivires prorsus debiles sint, enemata cęteris securiora putantur. Deindè hectica complicata putridæ si plus urgeat, aut putrida biliosa fuerit, semper exigit, ut in victus ratione & curatione ad frigidum & humidum plurimùm inclinemus, & eò magis, quò à biliosâ febre magis timemus, no omissis, quæ deobstruendi vim aliquam habent, ut syr: violar: nymphææ, cum syr: limonum acetositatis citri, endiviæ, oxysacchara &c. Si putrida complicata urgens pituitosa fuerit, eò minus ad tàm humidu quàm frigidum inclinare convenit, & tantùm temperatis uti in qualitatibus tã activis quam passivis, quæ obstructiones aperiunt attenuat & incidũt, viresq; reficiũt, præcipuè si febris illa pituitosa sit continua, latica, veluti syr: capil: ven: glycirrizæ, de bizantiis, mel rosarũ &c. si pũtrida urgẽs sit melancholica, procedemus assiduè cũ humidis, sed tẽperatis, in qualitatibus activis, quæ humore melancholicum contemperant simulq; vires cordis reficiũt

ut syr: buglos: borrag: violar: fumariæ, lupulorum, de pomis dulcibus &c. Sed hæc omnia ex ijs, quæ infrà de curatione febrium putridarum dicemus, faciliùs cognoscetur.

Curatio aliarum specierũ marasmi.

Superest vt de curatione cæterarum specierum marasmi aliquid dicamus, quæ quidem initio, aut si affectus levis sit, tentari commodè poterit; si confirmatus cum virium debilitate, & primum marasmus syncoposus, deindè senilis, salus desperata omnino judicatur. Via ad salutem est partim idoneis alimentis reficere, partim medicamentis humectare, omnemq; intemperiem alterare, ac vires cordis cęterarumq; partium confortare. Ac primũ simplex marasmus, cùm sola siccitas sit solidarum partium, reficientia requirit, quæ humectant solum, non refrigerant, ut marasmus retorridus; nec calefaciunt, ut marasmus senilis, nec partim refrigerant, partim calefaciunt, ut syncoposus. Omnes hæ species restaurantia humectantia requirunt, ut humor qui absumptus in venis, reparetur, partesque omnes ab illo utili humore reficiantur ac madefiant, ijsq; perfectè agglutinetur & assimiletur. Quare marasmus retorridus refrigerantia humectantia postulat, ut suprà latius dictum est; marasmus senilis humectantia calefacientia; Syncoposus humectantia ex calidis & frigidis contemperata, quæ spiritus primũ refici-


reficiunt, ex quorum defectu syncope oritur; deindè substantiam solidarum partium. Omnis marasmus quò major, eò majorem curam, & diuturniorem usum reficientium & humectantium exigit. Constat autem substātia corporis nostri triplici substantia, spirituosa, carnosa & solida, quarum singulę per similia refectionē postulāt. Quare si vires deficere cœperint inopia spirituū, quod confertim fieri solet in deliquijs animi, & potissimum in marasmo syncoposo, refectionem insinuat per alimentum spirituosum, aërium, humidum, ut sunt jura restaurantia cum aqua rosarum, aut modico aquæ cinnamomi, vinum album odoriferum, in calido affectu dilutum aqua rosarum, vel vino granatorum &c. Si ratione carnosæ substantiæ vires deficiant, refectionem postulant per alimenta substantiæ mediocris, ut vitella ovorum recentium sorbilium, carnes pullorum gallinæ, perdicis, capi, Mazios panes &c. Si ratione ipsius solidæ substantiæ vires deficiant, quod sensim accidere consuevit in tabidis omnibus, refectionem insinuat, per alimenta solidæ crassæ glutinosæ substantiæ (ut carnes cancrorum, testudinum, pedes porcinos &c. ut suprà) quæ firmius nutriunt, & non facilè dissipantur aut corrumpuntur. Sed cum ea, quæ crassæ glutinosæ sunt substantiæ, diffi-

cilis ſint concoctionis, & à viribus infirmis in progreſſu morbi ſuperari nequeunt, nec in ſubſtantiam partium converti, ideò cogimur cibos tenuioris ſubſtantiæ eligere & facilioris concoctionis, aut pro pedibus animalium & ſimilibus gelatinam ex ipſis, aut jus carnium expreſſarum, aut ſimile quid, ſubſtituere. In maraſmo ſenili, ubi cum ſiccitate frigiditas copulatur, expedit, uti moderatè calidis, quæ non expirant, & potius ſubſtantiam caloris nativi, quàm qualitatem augent, noſtroq́; calori ſimilima ſunt, ut lac cum melle, vinum vetus non valde potens, jura reſtaurantia cum vino &c. aut gelatina cum ſaccharo, cinnamomo, croco & ſimilib: In maraſmo ſimplici & ſyncopoſo parciùs aromatibus utendum, aut vino potenti, ſed vino tenui odorifero, aut diluto aqua roſarum, ad ſpiritus exhauſtos reficiendos. Omnibus maraſmo laborantibus, ſi nil impediat, ut ſuprà in hecticæ curatione diximus, lac animalis boni habitus recens mulctum convenit, vel per ſe, aut cum ſaccharo aut melle, interdum cum vitellis ovorũ &c. primasq́; obtinet lac mulieris boni habitus, quod ex mammis ſugere convenit probantur paſtilli paneſque mazij ex amygdalis dulcibus, pineis, piſtaceis, abſque frigidis ſeminibus, cum modico cinnamomi, macis, croci &c. item jura reſtaurantia, &

ria, & gelatina ex carnibus boni succi, &, si vires debiles sint, aqua destillata caponis aut cancrorum, ut suprà in hectica, sed detractis refrigerantibus, additisq́; cinnamomo, vino aliisq́ue pro ratione affectus. Si vires prorsus debiles sint, ægriq́ue cibos aversentur, nutriri poterunt per ea, quæ clysterum modo injiciuntur, ex juris vituli vel caponis ℥ xvj. sacchari albi ℥ ij. s. vitellorum ovorum num: iij misce. Ex topicis balneum aquæ dulcis tepidæ ad humectationē omnibus marasmo laborātibus utile est, si nil impediat, probatur etiam balneum ex jure capitu & pedum castratoru, vel caponis, vel ex lacte &c. Verùm in quibus syncopes metus est, aut marasmus ex nimia rarefactione aut apertione pororum cutis oritur, à balneo abstinendum est, & utendum, quæ leviter adstringendo & refrigerando meatus claudunt, ut inunctio ex oleo mastichino rosatum, cydonioruū &c. In marasmo frigido post balneum tepidum inungantur partes oleo nardino; In simplici marasmo, oleo mastichino, cydoniorum, addito nonnihil ceræ, ut diutiùs inhærescat, illinantur etiam pice, vel dropax ex pice eliquata corpori adhibeatur, deinde vi abstrahatur, utēdum ea præcipue in frigido aut simplici marasmo semel quotidie, ut alimentum ad partes alliciatur, & calor nativus suscitetur, Topica.

nam calefacit, & sæpiùs adhibita substantiam partium absumit; deceptus igitúr fuit Averrhoes 7. *Colliget.* 26. qui in marasmo retorrido convenire putavit.

FINIS LIBRI PRIMI.



DE FEBRIBUS.

LIBER SECVNDVS.

DE FEBRIS PVTRIDÆ ESsentia: Deq; Putredinis Essentia & Causis in Genere.

CAPVT I.

FEBRES, quæ in Humoribus resident, duorum generum sunt, *unum*, quod consistit in sanguine tantùm concalefacto, & ad ephemerarum ordinem reducitur, synochus non putrida: *alterum*, quod ex humore putrescente succenditur. Cùm autẽ superiori libro de synocho simplici dictum sit, consequens erit, ut de illa febre dicamus, quæ humorum putredinem consequitur, & *putrida* communiter dici solet; licet putridum non qualitatem aut affectum corporis, sed ipsam substantiam præ-

Putrida febr.

am præter naturam putredine affectam denotare videatur. Nam febris sua natura calor putridus non est, nec humorum putrescentium; ut alibi dictum est, sed calor nativus à calore humorum putrescentium succensus. Succenditur autem ex humore putrescente, vel immediatè in ipso corde consistente, vel à vapore putrido elevato ab humore extra cor putrescente: Et tamdiu febris durat, quamdiu cor ab humore, vel vapore putrido infestatur. Nam febris putrida causam continentem semper requirit, nimirum humores putrescentes, à quibus assiduè aut per intervalla substantia cordis incalescat, partesque cordis sanguineæ. Vnde definiri poterit *febris putrida calor nativus ab humore putrescente in igneum conversus; sive calor præter naturam in corde accensus ab humore putrescente, & mediantibus arterijs & venis in totum corpus effusus, nisi impediatur.* Cùm igitur febrium putridarum continens causa sit putredo, calorem in corde accendens, & febres putridæ per putredinem intelligantur, atq; à cæteris febribus distinguantur, necesse erit, ut primùm, quid putredo sit, & quotuplex, consideremus: deinde, quomodo succi contenti in humano corpore putrescant, & putrescentes febrem putridam accedant. Humores nostri corporis per se seorsim considerati, mixta inanimata sunt, licet ani-

Definitio febris putridæ.

mato corpori naturaliter serviant: mixti autem inanimati corruptio non secundum quid, sed propriè dicta Aristoteli, alia naturalis generationi è diametro opposita, quando mixtum in ea dissolvitur, ex quibus componitur, & putredo propriè dicitur: Naturalis corruptio dicitur, quia mixta omnia suæ naturæ relicta tandem putrescunt. Alia violenta, quando in sua elementa no resolvitur, sed transmutatione cæterorum elementorũ in unum aliquod præcipum omnia transeunt, qualis corruptio in combustione conspicitur, qua totum mixtum in ignẽ transmutatur, excepta parte maximâ terreâ, quæ ob resistentiam non absumitur, sed in cineres vertitur. Generatur autem mixtũ ex elementis per determinationem humidi cum sicco, à calore contemperato, supra humidũ dominante. Nam in mixtione elementorũ, vis generandi debetur qualitatib. activis, nõ seorsim, sed primario calori, quatenus à frigore contemperatur, cujus proprium est, si proportione materiæ, quæ humido & sicco definitur, respondeat, concoquere, determinare, aliena separare, similia in unum cogere, elementorum motus finire, diffidentium concordiam sive σύμφυσιν efficere, unde calor iste σύμφυτος sive connatus dicitur, unicuique mixto perfecto, quatenus mixtum & partibus homogeneis constat, proprius, propriumque formæ instrumentum, cujus

ratione ἀπάθεια ei convenit. Quare alius erit hic calor à calore vivifico animati corporis, qui innatus dicitur, licet uterq; naturalis sit, & alius ab utroq; calor κατὰ πάθος naturæ contrarius, qui externus & peregrinus ab Aristotele vocatur: Hi tres specie totaq; essentiâ non differunt, ut Fernelius opinatur, sed secundum magis aut minus, aut diversorum utentium respectu, ut aliis suprà demonstratum est, nam calor cuique mixto proprius, quatenus mixtum, partibusq; homogeneis constat, σύμφυτος dicitur, quia elementa unit, mixtumq; gignit. Calor verò vivificus sive animatus proprium animę instrumentum, corpori organico & dissimilium partium principiū vegetationis tribuit, & humidnm suum non tàm continet quàm depascit, unde non σύμφυτος, sed ἔμφυτος nominatur, cui velut materia substernuntur & subserviunt, calor connatus omnesque facultates elementorũ, quibus perficitur mixtio. Igitur generatio & corruptio alia mixtis, quà mixta, alia animatis, quà animata convenit. Generatur autem animatum à plasticâ seminis facultate, instrumento caloris, cujus participatione *vita* definitur ab Aristotele. Corrumpitur igitur animatum extinctione caloris illius vivifici, quæ *mors* propriè dicitur. Extinguitur vel naturaliter decursu ætatis, depasto humido radicali:

Calor triplex in corpore cõsideratur.

Generatio & corruptio animati.

aut violenter, à causis externis, quibus aut κατὰ σβέσιν suffocatur, aut κατὰ μάρανσιν elanguescit. *Generatio & corruptio mixti.* Generatio autem mixti fit συγκρίσει elementorum, per terminationem humidi cum sicco, à calore connato sive proprio. Corruptio verò mixti duplex est, ut diximus, una violenta, altera quæ naturalis dicitur, generationi è diametro opposita, cum in ea, ex quibus gignitur, mixtum dissolvitur: gignitur autem mixtione quatuor elementorum, quatenus à calore proprio sive nativo humidum cum sicco unitur. Itaque naturalis corruptio fit διακρίσει elementorum, per separationem humidi à sicco, ex caloris illius proprij defectu, qui supra suum humidum non dominatur, sed cum humido evocatur à calore externo sive peregrino. Nam deficiente proprio calore in mixto, ipsa elementa unitate & vinculo suo destituta separantur. Ex quibus manifestè apparet, quas præter has Argenterius assignat corruptionis species, mixto, ut mixtum est, non convenire, ac eandem etiam cum Erasto corruptionem animati, cum naturali mixti corruptione, quæ putredo dicitur, confundere. Non tamen animatis & animatorum partibus putrefactio adimitur, sed mors corruptio animatis propria, quæ extinctione caloris vivifici designatur, via ad hanc putrefactionem judicatur.

tur. Nam ſublato calore vivifico, alienum circumſtans, & quod planè non unitum eſt, & aſſimilatum partibus, calor ſimilaribus partibus connatus regere, & ab interitu, & diſſolutione mixtum conſervare nequit. Deindè in ipſis viventium corporibus ab obſtructione, prohibitâ tranſſpiratione, & interdum à cauſis externis, putridi vapores excitantur, humores corrumpuntur, alieni permiſtione inquinantur, unde partium ſimilarium unio planè diſſolvitur, ut infrà latiùs dicetur. Verùm hæc omnia viventibus, non ratione caloris vivifici & innati, ſed cōnati & κράσεως, quæ vivifico calori tantum ſubſerviunt, tribuuntur. In inanimatis verò putredinis tot tamque diverſæ cauſæ non ſunt, attamen ratione primarum qualitatum ad mixti generationem non aliter putredo ſe habet, quam ad juventutem in viventibus ſenectus. Attamen nomen putredinis non uno modo ſumitur: Nam cōmuniter, ſed tamen κατὰ μέρος, excepto igni cui alienus calor non dominatur, nec eam, quam cætera, permiſtionem ſuſtinet, reliquis tribus elementis putredo tribuitur cum à natura ſua receſſerint. Recedunt autem à natura ſua in parte per impreſſionem alienæ caliditatis & ſuperfluæ humiditatis, vel ob pravorum vaporum ex rebus corruptis permiſtionem, à quibus infœcundæ, &

Putredo ſecūdum partem.

Putredo propriè dicta eiusq; definitio.

ad misti generationem aut conservationem inepta efficiuntur, planeq; noxia. At propriè dicta putredo mixto, ut mixtū, tantùm competit, quando actione caloris peregrini calor nativus evocatur, & humidum à suo sicco separatur, sive σύμφυσις elementorum dissolvitur. Hæc ab Aristotele definitur *corruptio caloris nativi sive proprij in unoquoq; humido, facta à calore peregrino.* Nam generatio mixti cum sit productio caloris nativi sive proprij in suo humido, & per unionē & terminationem humidi & sicci fiat à calore illo nativo supra humidum dominante; dominatur autem calor à frigido attemperatus, & humido proportionatus, ita ut humidum cū sicco possit unire, concoquere, mixtum perficere & conservare, cunctasq; ipsius actiones obire: immodicus .n. calor deurit humidūq; consumit, & debilis à multo humore extinguitur: Putredo igitur, quæ mixti generationi opponitur, erit corruptio caloris illius nativi in unoquoque humido, & propriè orietur per dissolutionem humidi & sicci, à caloris nativi defectu, ita ut supra humidum non amplius dominari queat. Quare in definitione *corruptio caloris nativi* formam putredinis exprimit, subjungitur subjectum & materia, *in unoquoq; humido.* Nam in mixtis calor nativus formæ rationē habet, humidū in quo residet, materiæ; sed cum dicitur, *in unoquoq; humido*, intelligitur

non tantùm humidum temperamenti proprium & primogeniũ, ſed etiam mixti adventitiũ, quando ſupra utrumq; calor nativus amplius dominari nequit, cum humiditas mater ſit putredinis. Verùm quando ſupra ſolam humiditatẽ aduentitia calor mixti non dominatur, putredo non oritur, nec mixtũ corrumpitur, ſed quãdo calor in humido proprio ſive primogenio corrũpitur, aut cum eo educitur. Cauſa præcipua illius defectus, eſt *calor alienus* qui peregrinus, externus, ac ambiens dicitur, naturæ mixti cõtrarius, quia cũ calore nativo humidũ evocat, & λόγον mixtionis pervertit. Minùs pręcipua cauſa eſt, propria rei putreſcẽtis frigiditas, quæ exeunte proprio calore, dominari incipit. Per calorem externũ aut ambientẽ intelligitur non tantùm calor aëris nos ambientis, & eorũ quæ foris nos contingũt, ſed etiam quæ intus immutant, cujus generis ſunt, vapores collecti intra corpus à prohibita tranſſpiratione ex obſtructione vaſorũ, aut anguſtia meatuum cutis, ut infrà latius dicetur. Unde in noſtris corporibus non aliter fere putridæ febres, abſceſſus &c. oriuntur, quàm in pomis & nucibus, extremis partibus incorruptis, circa nucleum corruptio ſive putredo gignitur. Elementa mũdi pro qualitate ſua, corpora contenta ad putredinem diſponunt, veluti aër, manife-

Cauſa putredinis.

manifestè calidus & humidus, corpora relaxans, seseque insinuans, calorem nativum cum suo humido educit; aliquando per se corruptus, aut à malignis vaporibus inquinatus, corpora nostra inficit. Deindè circumstans frigus, spiraculis aut meatibus offarctis, calorem ad intra revocare solet, & calidis fuliginosis expirationibus excitatis & retentis, putredinem inducere, licet ambiens frigiditas ac etiam siccitas per se magis putredini resistant. Quare ad putredinem requiritur, primùm, ut peregrina caliditas in mixto dominetur, mixtum calefaciens, relaxans & aperiens, quo facto calor nativus mixti, à simili tractus, egreditur, & in mixto diminuitur. Exeunte verò calore proprio mixtum evaporat, pravumque odorem emittit, simulq; egreditur, quod secundum naturam humidum est: ac deficiente calore proprio, sensim frigiditas nativa augetur, supraque calorem proprium dominatur, agens subindè in calorem nativum, ut amplius humidum cum sicco determinare & continere nequeat, unde putredo non solum affectus alieni caloris, sed etiam propriæ frigiditatis dicitur, quo nomine non solùm à combustione, quæ fit ab externo calore, frigiditatem insitam corrumpente, & mixtum ttansmutante in partes igneas, distinguitur; sed etiam à σβέσει, quæ fit ab ex-

ab externo frigore. Nam putredo quasi αὔανσις quædam est, non qualis in animatis senectus, ab innato calore depascente humidum radicale, sed ab externo calore dominante, calorem nativum evocante, qui in proprio humido subsistit. Exeunte proprio calore, cum suo humido mixtum dissolvitur, & perfecta putredo oritur. Quare ratione ipsius putredinis nihil propriè gignitur, sed quæ perfectè putrescunt, ἐξίτηλα sive evanida prorsus fiunt, ut tandem ad sensum, præter fimum & terram, nihil relinquatur.

Signa demonstrantia causas putredinis.

Putredinem ab his causis, & hoc modo, fieri sequentia ostendunt. *Nam ob* separationem humidi à sicco, & evocationem cum proprio calore putredinem fieri ostendunt, quòd putrescentia primùm humida, deindè sicca frigidaque reddantur, donec tandem in terram & fimum transmutentur. *Deinde* causam hujus vi externi caloris prædominantis fieri, ignis nunquam putrescens arguit. Nam ob efficaciam caloris & potentiam agendi cætera elementa ignis materia sunt. *Natura* quoque eorum, quæ faciliùs vel difficiliùs putrescunt, idem manifestè confirmat. Nam ob alias nullas causas difficiliùs putrescunt corpora hyeme, defectu ambientis caloris, quàm æstate; deindè concreta, & ratione externi frigoris deter-

determinata,ut metalla,quod calori externo magis resistant. *Tertio* quæ copiosiore calore naturaliter prædita sunt,qua debili. *Quartò* quæ motu cientur, quam quiescentia; quod ambientis calore minus afficiantur,magisque difflentur. *Quintò* magna & multa ob caloris interni copiam, quàm pauca: modo illius multitudinis ratione expirationes intrò non colligãtur,quod in acervis frumenti fieri videmus. *Tandem* verò quod hæc humidi à sicco separatio eductione caloris nativi fiat, ostendunt vermes, qui in putrescentibus gignuntur,quorum causa no potest esse externus calor dissolvens compositionem,sed vivifica ἀποχέλσις, sive calor internus, cujus vi in illa dissolutione materiæ pars utilior segregata ab inutili ad novam compositionem & generationem promovetur.

Putredo secundum partem. Atque hactenus de natura putredinis perfectæ proprieque dictæ, in quâ mixtum totum dissolvitur & corrumpitur. Ad hanc etiam refertur putredo κτ μέρος: Putredo autem secundum partem non solùm elementis, sed etiam mixtis aliqua ratione competere videtur. Mixtis verò, secundum partem & quantitativam & qualitativam putredo aliqua tribuitur, nam videmus partem unam corporis interdum

dum corrumpi, cæteris non ita affectis, & partem humoris in venis putreſcere, quæ à reliquo vi naturæ nonnunquam ſeparatur: ſed hæc à perfecta putredine ſua natura non diſtinguitur. Interdum mixtum non ita perfectè corrumpitur, ſed via tantùm eſt ad perfectam putredinem, & arte aut natura cohiberi poterit: ut quando ſanguis putreſcens excrementitium, aut ichoroſam quandam partem acquirit &c. Hujus plures ſunt gradus, prout calor externus magis minuſque dominatur, aut à perfecta putredine recedit: talis in febribus ſæpe reperitur, ut mox dicetur, quia dum putreſcit adhuc humor, febris magis excitatur & augetur, quam dum confecta eſt putredo. Præterea alia quædam putredo mixti eſt, qua totum quidem diſſolvitur, attamen ſecundum partem dici poteſt, ſed impropriè, quia à totali, & perfecta tantùm diſtinguitur, quia diſſolutio illa cum nova mixti generatione conjuncta eſt, ſive διάκρισις elementorum, novam σύγκρισιν conjuncta habet, qua ſeparatio putreſcentium & unio coaleſcentium in novam mixti ſpeciem determinatur: proprie enim οὐδὲν σηπόμενον, ἀλλὰ πεπτόμενον γίνεται: cùm putrefactio diſſolutionis,

genera-

generatio mixti compositionis effectus sit. Talis putrefactio in apostematibus & ulceribus deprehenditur, in quib. non modò pus, sed etiam succi prorsus pravæ naturæ, nil concoctionis habentes, nonnunquam vermes, generantur. Similiter in febribus putridis, cùm sanguinis putrescentis aut adusti pars tenuior in bilem flavam, pars crassior in melancholiam transit &c. ut infrà latiùs dicetur. Has omnes misti corruptelas definitio illa Galeni *11. Method. Med. cap. 8.* comprehendere videtur, qua putredinem definit non corruptionem sed *mutationem totius substantiæ rei putrescentis ad corruptelam ab externo calore.*

DE PUTREDINE HUMORUM *in corpore humano, ejusq́; causis,*

CAPUT II.

HIs definitis consequens est, ut de putredine humorum ejusq́ue causis in humano corpore peculiariter agamus. De humorum putredine, deq́; materia, ex qua procreantur febres, dissentiunt Medici. Nam authore Galeno *1. de diff: febr: cap: 5.* Athenæj sectatores omnes febres à putredine ortum habere existimarunt; Contrà teste Tralliano aliqui in universum febrim nunquam ad humorum putredine fieri

Opiniones medicorum de causis febriũ.

ri pronunciarunt; si enim hoc esset, inquiunt, cur non vermes in venis aliæque species, quemadmodum in ventre, gignuntur, quarum nulla per urinas excerni visa est, ac proinde eorum nonnulli in ventre magis, quàm venis, putredinem febris causam esse voluerunt, cujus rei fidem faciunt vermes & excrementorum alvi pravus odor. Idem quoque indicare credunt vomitus, & per alvum purgationes, quæ sæpè ita perfectè febres sustulerunt, ut æger aut non ampliùs sit malum paroxismum expertus, aut à febre prorsus liberatus. Deinde de materia, à qua gignuntur febres, discrepant; aliqui febres omnes à bile accendi voluerunt, cùm febris sit affectio calida sicca; talis autem bilis quoque existat, ad ejusmodi morbos gignendos accommodata. Nonnulli à pituita tantùm, cum ea humida crassaque sit, & proinde ad obstruendum & putrefaciendum maximè idonea, quod ipsum nomen pituitæ indicare videtur, quæ φλέγμα Græcè dicitur, eo quod inflammet & calefaciat. Quidam ab humore melancholico febrim nunquàm accendi putarunt, quod frigidus siccusque sit, nihilque habeat calidi humidi, unde putredines generantur. Nam existimant humorem putrescentem in vasis calidum humidum esse debere. Præterea arbitrantur aliqui, humores in ve-

nis nunquam ſecundum totum exactè putreſcere, ſed tantùm ſecundum partem ad id fieri, ut in elementis, dum à proprio temperamento recedunt, proinde quò magis recedunt, magis putreſcere, & nonnunquam tantum receſſum fieri, ut ad ſuam naturam & temperiem reduci vix unquam queant, ſummumq́ue receſſum accedere, ut in peſtilentibus febribus. Contra aliqui putredinem humorum receſſum eſſe nō penes qualitates tantùm, ſed ipſam ſubſtantiam, ac humores iam putridos ad meliorem ſtatum reduci non poſſe, ſed ſemper eradicandos eſſe. Hæ opiniones quid veritatis habeant, ex ijs, quæ alibi dicta ſunt, & nunc dicentur, apparebit. Nam ſuprà demonſtravimus, omnes febres nec à ſolâ putredine humorum oriri, neque à ſolâ humorum efferveſcentiâ abſque putredine. Deindè ex his, quæ nunc dicentur, apparebit, humores putreſcere poſſe non ſolum in ventre, ſed etiam in venis & habitu corporis. Præterea materiam febris eſſe non ſolàm bilem aut pituitam, ſed etiam melancholiam & ſanguinem. Atq; ut hæc omnia explicentur, requiritur, ut ante omnia intelligamus, qualis putredo humoribus competat, & quotuplex, deinde cauſas putredinis, & qui humores facilius aut difficilius putreſcant.

Natura humorum.

Ac primùm humores cum per ſe quidem ſunt corpora

corpora mixta, ſed imperfecta, & per actionem caloris nativi in uſus corporis animati deſtinata, igitur, ſi conſiderentur ſimpliciter, ut mixta, putredini ſecundum totum obnoxij videri poterunt; ſin conſiderentur, ut à calore innato & virtute naturali gubernantur, diſcrepantia quædam apparebit inter ſimplicem mixti inanimati putredinem, & humorum, in animato corpore. Nam humores in animato corpore per ſe quidem animata corpora non ſunt, ſed mixta in uſum corporis animati genita, per concoctionem ex chylo, in epate potiſſimũ, inſtrumento caloris innati: proinde varia naturam ſortiuntur, & mixta imperfecta vidẽtur, quatenus referuntur ad corpus animatum, quod ex humoribus conſtituitur, & nutritur vi caloris innati partiũ, quo naturaliter humores omnes reguntur. Igitur humores intra venas, quia ad uſus corporis deſtinatur, & à virtute naturali membrorũ, ac calore innato, quantũ fieri queat, ad meliorẽ aliquẽ ſtatum diriguntur, raro evenire videmus, ut portio inſignis humorum in venis ſecundum totum exacte putreſcat, nunquam ut omnes, ita ut nihil præter fimum & terra relinquatur, ſed potius aliquo modo ſecundum partem, non quòd à naturali temperamento tantũ recedant, & ad id viciſſim reduci queant, ſed quod ſecundũ ſubſtantiã

in alios ſuccos non naturales tranſmutentur, magis minuſvè corruptos aut naturæ infenſos, prout calor nativus partium magis minuſvè dominatur in humores contentos.

Putredo humorum in abſceſsibus.

Similis quoque putredo humoris extra vaſa in inflammationibus & abſceſſibus conſpicitur. Nam in abſceſſibus, dum omnino vincit calor externus, gangrænæ, ſucciq; prorſus corrupti & maligni gignuntur; ſin calor nativus partium dominetur, humor aliquando tenuior, aliquãdo craſſior oritur, melli, favo, ſævo ſimilis, aut alicui ſpeciei non naturali, pro conditione materiæ, quæ ſicco & humido definitur. Verùm natura partium & calore integrè ſuperante materiam contentam, quæ initium putredinis contraxit, aut ſanguinem ſemiputridum, pus optimum gignitur, album, craſſum, æquale &c. Atque talis putredo propriè dicta non eſt, ſed plurimum in ſe concoctionis continet. Non tamen putredine omni caret: cùm ex integro ſanguine laudabile pus nunquam generetur, ſed ex ſemiputrido, à calore alieno ita tranſmutato, ut nequeat deindè in nutrimentum corporis à nativo calore converti, ſed in pus ſolum; verum naturâ non integre ſuperante materiam ſemiputridam, pus interdum efficitur, ſed lividum, tenue, fætidum, quod parum aut minimum concoctionis in ſe continet, & tan-

& tantum putredinis, quantum fœtoris. Quot in abſceſſibus ſunt putredinum differentiæ, tot in febribus putridis humorum conſiderari poterunt, qui in vaſis continentur, vel extra vaſa deferuntur. Verùm putredo in vaſis tantùm proportione correſpondet putredini in abſceſſibus, & pus ei, quod ſubſidet in urinis. Proinde quocunq; in loco putreſcat humor, ſubſtantiam ſuam mutat, & in materiam eò magis corruptam, naturæ humanæ magis adverſam, abit, quò à calore nativo minus ſuperatur, aut quò magis ſuperat calor peregrinus: ſuperante autem calore nativo aut vi concoctrice vaſorum, putreſcens humor in febribus ad eam pervenit mutationem, ut fiat quiddam puri laudabili proportione correſpondens, concoctum ſubſidens in urinis. Sin vis concoquens ſit debilis, et humor putreſcens ita vitioſus & à calore externo affectus, ut nequeat ad meliorē ſtatum à virtute reduci, oritur ſuperfluitas prava & varia, pro materiæ ratione, qualis fere in putridis ſordidiſque ulceribus, quæ certam conſiſtentiam, calorem & odorem non habet, interdum pravum aut fœtidum odorem exhalat: ac proindè putrida crudaque dici ſolet. Plerumque autem virtus adeò debilis non eſt, ut nequeat aliquam in humore mutationem facere, unde ſemiputridum oritur, partem aliquā

Putredo humorum in vaſis quot modis oritur.

concoctionis in se continens, quod multis modis variatur, prout magis aut minus à virtute & calore partium superatur. Præterea ut ulcera nonnulla sunt maligna & venenata: ita quoq; humores in vasis venenatam qualitatem acquirunt, fœdamq; sive sordidã putredinem contrahunt, naturæ nostræ inimicam, quæ quia magis occultâ, quam qualitate manifestâ agit, & cor potissimum petit; in urinis peculiares superfluitates aut putredinis suæ notas non semper exprimit: à tali putredine oriuntur febres malignæ & pestilentiales, ut infrà dicetur. Tandem accidit humoribus in animalibus, quæ plurimo calore constant, ac dum calor nativus in igneum convertitur, & alienus redditur, combustio quædam sive assatio, veluti in febribus ardentibus & malignis ac synochis; ubi sanguis adustus in bilem flavam, & flava bilis in atram convertitur. Hęc ustio licet putredo propriè non sit, mediante tamẽ putredine in febribus fieri solet, & ad putredinẽ reducitur. Nam per febres multi humores assantur & aduruntur, dùm putridus calor longiore tempore durãs, consumptâ parte humiditatis cæteras torret. Fit quidem ustio humorũ sæpe à magnâ effervescentiâ absque putredine, sed quæ à putredine aut cum putredine fit, quia plures vapores acrioresque suscitat magis, quàm ustio sine putre-

 CAP. II.

putredine, febres accendit; quod in maniacis videre licet, in quibus flava bilis in atram transiens febrim raro efficit. Hæ sunt præcipuæ differentiæ, & modi putredinis sive humorum putrescentium in humano corpore. Verùm ipsa putredo humorum febrem accendens, non est absoluta, aut ex toto facta, sed partim fit, partim facta est. Nam cum fit putredo, & à calore alieno evocatur calor nativus, tùm excitatur febris & augetur, sicut cum pus conficitur, dolores & febres magis accenduntur, quàm cum confectum est teste *Hipp: 46. Aph. 2.* Causa efficiens putredinis, est calor peregrinus sive alienus. Sub alieno calore comprehenditur non solùm calor præternaturalis & adventitius, ut aëris ambientis &c. sed etiam ipse calor nativus & vivificus, non per se propriè, sed quatenus in igneum convertitur. Convertitur autem in igneum & alienus redditur, quando effervescit, & à sua temperie recedit. Conservatur in sua temperie, primū in corde per respirationem & pulsum, deindè in cæteris partibus, per communitatem, quam habent cum corde; & insensibilem transspirationē, expulsis per cutis poros fuliginosis excrementis, ac iterum attracta intrò aërea substantiâ, refrigerante, contemperante & nutriente calorem nativum,

Quæ putredo febrim accendit

Causa efficiens putredinis.

 sive

ſive eventilante: quibus læſis aut impeditis, neceſſe eſt calorem nativum à ſuâ temperie recedere, & aut ſuffocari, aut in igneū converti. Læditur aut impeditur tranſſpiratio propter anguſtiam meatuum cutis, aut obſtructionem vaſorum, ut mox dicetur. Nam tranſſpiratione impeditâ, ob anguſtiam meatuum cutis, à fuliginoſis vaporibus retentis, ſi valde copioſi ſint, calor nativus ſuffocatur; ſi non ita copioſi, in corde accenditur. Similiter per obſtructionem vaſorum in parte aliqua humores copioſiores, collecti aut infarcti, quia bifariam non diſflantur, nec à naturâ gubernantur, putreſcunt, & putreſcentes calorem nativum accendunt, ipſe etiam calor nativus accenſus à fuliginum retentione, temporis progreſſu humores corrumpit, &, ut ſuperiore capite diximus, ex ſynocho non putri, putridam efficit. Nam humores putreſcentes novum ſemper fomitem febris ſubminiſtrant. Ac ut omnia mixta liberè perſpirata à putredine defenduntur, ubi vero concluſa fuerint, & perſpiratu privantur, putreſcūt: ita humores noſtri corporis; magis autem, quò magis diſpoſiti fuerint. Nam ut humores in corpore putreſcant, requiritur non ſolùm cauſa putredinem accendens, ſed etiam patientis aptitudo ſive diſpoſitio, cum nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere

Requiſita ad putredinem humorum.

gere queat; alioqui omnes ſub peſtilenti aêris conſtitutione morerentur. Omnes quidem humores, ut mixta, putredini obnoxij ſunt, verùm aptos ad putredinem intelligimus hic tantùm eos, qui promptiſſimè à levibus cauſis facilè putreſcunt. Nam in febribus, putredo partem maſſæ ſanguinis, quæ putredini maxime oportuna eſt, primùm invadit, pòſt minùs oportunas, ut infrà dicetur. Aptitudo judicatur ex natura ipſorum humorum, ex diſpoſitione corporis, & ex rebus non naturalibus ac præternaturalibus in corpore. Ac primum teſte Gal: *1. de Diff. feb. 3.* promptiſſimè putreſcunt quæcunque calida & humida ſunt, potiſſimùm locis calidis concluſa, niſi difflentur. Difflantur autem, ut diximus, dupliciter, expulſis aſſiduè foràs per cutem fuliginoſis excrementis: deindè attractâ aëreâ ſubſtantiâ refrigerante & eventilante calorem nativum. Contrà frigida & ſicca ſuâ naturâ difficilius putreſcunt. Deinde humores corporis quò magis excrementitij, & à naturâ minus gubernantur, eò faciliùs putreſcunt: proinde ſanguis, quia alimentum corporis accommodatiſſimum vitæque theſaurus, intra venas à natura maxime conſervatur, minùs promptè putreſcit, extra venas, aut ubi à natura non gubernatur, facilimè: deinde bilis flava intra venas facilimè corrum-

Quæ facile aut difficulter putreſcũt.

L 5 pitur,

pitur, & exardeſcens febrem gignit : hinc pituita alimentaria & melancholia, eò quòd pituita alimentaria intra venas faciliùs à natura gubernetur, & concoctione in ſanguinē converti queat, quod flavæ bili & melancholiæ nō accidit. Quare frequentiores ſunt febres à bile ſincerâ, vel pituitæ mixtâ, rariores à melancholiâ & pituitâ, rariſſimæ à ſanguine intra venas. Sanguis verò extra venas effuſus, & parti impactus, ut in phlegmone, quia ampliùs à naturâ non regitur, & calidus humiduſq; eſt, omnium facilimè putreſcit, & in pus vertitur, ac putreſcens febres ſymptomaticas gignit: quod alijs ſinceris humoribus in parte coacervatis non accidit, ut in ſcirrho, œdemate, eryſipelate apparet. Pari ratione ſanguis effuſus in cavitatem aliquam, primùm in grumos concreſcit, deindè pravam contrahit putredinem, unde perniciosiſſima ſymptomata. Præterea pituita excrementitia in ventriculo & inteſtinis facilimè putreſcit, quod oſtendit copia lumbricorum, qui ex hac materia putreſcente in alvo generantur. *Corpora putridis morbis oportuna.* Corpora putridis affectibus maximè oportuna ſunt calida, humida, quæ graviter olent, fœtidaque excrementa emittunt, & ſibi ſimiles excrementitios ſuccos multos gignunt, plethorâ aut cacochymiâ infeſtantur, pravaque victus ratione utuntur, & cæteris, quæ

corpus

Cap. II.

corpus ad putredinem disponunt. Disponunt autem & præparant corpora ad putredinem, ac causæ efficientis quoq; rationem habent, res non naturales, quatenus corpora à sua natura alterant, vel pravos succos gignũt, vel accumulant: præcipuè aẽr vitiatus, & prava victus ratio in alimentis. Nam *primùm* ad putredinem gignendam valde opportunus est locus calidus humidus, sive internus ubi continentur humores ob prohibitam transspirationem, ut diximus, sive externus, ut aer ambiens, in quo degimus. Nam aer calidus humidus, aut vitiatus, propter alienę qualitatis impressionẽ, aut putridorum vaporum permistionem, non minùs quàm prava alimenta, corpora ad putredinẽ disponit, & præ cæteris omnibus causis non naturalib. putredinẽ maximè gignit, dũ respiratione attrahitur; poros corporis subiens, suaq; vitiosa qualitate humores partesq; corporis inficiens, unde febres epidemicæ, contagiosæ & pestilẽtes. Contrahit autẽ fœdam malignamq; qualitatẽ aẽr plerumque ex syderum maligno positu, quæ corpora causasque inferiores disponunt & excitant: non rarò ob intemperiem calidam humidam, aut copiam pluviarum, vel æstum citra perflatum, vel propter putridos malignosque vapores, exhalantes ex aliquo averno, aut ex cadaveribus, aut fœdis paludi-

Disponentia corpora ad putredinem.

1. Aer vitiatus.

paludibus & ſimilibus, ut infrà de peſte latius declarabitur, taliſque putredo magis occultâ, quam manifeſtâ qualitate ſubſtantiam humorum partiumque corporis afficit, atque febrem inducit pro corporis aptitudine. Nam corporis habilitas magnam vim habet, in febrium omniumque morborum generatione. Deindè alimenta ſuâ naturâ vitioſa, aut præter naturam corrupta, corpora ad putredinem diſponunt. Nam alimenta nonnulla ſunt, quæ ſua natura facile in pravum ſuccum degenerant, ut braſſica, fructus horarij, anguillæ & ſimilia, item cibi acres, ut cæpe, allium, porrum, aut immodicè frigidi humidique, ut fructus cucumeris, citrulli &c. nonnulla ſua natura bona ſunt, ut fruges, quæ corrupta, redduntur peſſima, & in maximè corruptos putridoſque humores convertuntur: aliqua ſuâ naturâ boni ſucci ſunt, ſed intra corpus non diſpoſitum facilè corrumpuntur, ut lac in ventriculo nimis calido, vel frigido. Cum alimentis conjunge ingluviem, crapulã, & intempeſtivum ciborum uſum cum ingeritur novus cibus, priore nondũ concocto & præpoſterum ordinem, ut cum ultimo loco offerutur pepones, cucumeres, aut alia, quæ longâ morâ in ventriculo corrũpuntur. *Præterea* ſuperfluos humores accumulant, & ad putredinẽ præparant, ocium, deſidia, ſomnolen-

Prava victus ratio in alimentis.

nolentia, & ſuppreſſio conſuetæ alicujus evacuationis in corpore, alterant & diſponunt humores ad putredinem, intempeſtiva exercitia, & balnea, labores vehementes, Venus immodica, vehementes animi perturbationes, poſt crapulam, cruditates, ciborum pravorum eſum, quia crudos aut corruptos humores in venas & habitum corporis deducunt & exagitant. Verùm illi omnium promptiſſimè putridâ febre corripiuntur, qui ſtatim poſt cibos, crapulam, aut cruditates, primùm immodicis exercitijs, vel balneis aliavè re calefaciente utuntur, deinde ſubitò ſe frigori exponunt. Excitatur quoque putredo à medicamentis putrefacientibus, & Galenus *1. de Cauſis morb. c. 8.* tria putredinem inducere aſſerit, medicamenta putrefacientia, deinde excrementa in ipſo animali genita, tertiò quæ tranſſpirationem impediunt. Verùm minus propriè medicamenta illa, quæ σηπτικὰ dicuntur, febrim putridam excitant, licet partes corporis, quibus applicantur, corrumpant, ſed medicamenta calida & humida, ut a Gal: *5. de ſimpl: 14.* traduntur. Maxima ex parte immediata putredinis cauſa eſt prohibitus tranſſpiratus, ut iam diximus: deinde humorum redundantia; Nam ſi corpus vitioſis refertum fuerit humoribus, & nulla in viſceribus adſit obſtructio, animal-

Medicamenta putrefacientia.

Immediata cauſa putredinis humorũ.

animalq́; libere per cutem transſpiret, non necesſario febris orietur. At ſi prohibeatur transſpiratio, necesſe erit febrẽ oriri. Tranſſpiratio autẽ cohibetur, primo propter anguſtiam pororũ cutis, vel ex uſu rei adſtringentis, ut balnei aluminoſi &c. vel ex nimio frigore aëris ambientis, balnei &c. vel ex nimia ſiccitate cutis, ut ſuprà de ſynocho non putrida: Deinde propter vaſoru, obſtructionem, vel ob copiam humorũ in corpore vel alienam qualitatẽ, præcipuè humorũ craſſitiem & lentorẽ. Redundantia illa humorũ, unde obſtructio, vel eſt utiliũ, quæ plethora dicitur; vel vitioſorum, quæ cacochymia.

Plethora. Plethora autem ſive redundantia ſanguinis, aut omnium ſuccorum, æqualiter habentiũ, alia eſt, quoad vaſa, ſi copia ſua vaſa diſtendat; alia, quoad vires, ſi tanta ſit, ut vires ita premat, ut à natura gubernari nequeat, proinde tandem putreſcens gravem cacochymiam inducat. Oritur plethora ex victu pleniore & liberaliore, omisſis ſolitis exercitationibus, ſuppresſa conſueta ſanguinis evacuatione &c. potisſimum verno tempore, in juvenibus robuſtis, temperaturæ calidæ humidæ &c.

Cacohymia. Cacochymia verò; ſive redundantia ſuccorum qualitate peccantium, eſt, quando ſuccus alius à ſanguine redundat, vel bilioſus, vel pituitoſus, vel melancho-

lancholicus. Verùm si cum sanguine peculiaris humor redundarit, orietur mixta dispositio, scilicet cacochymia plethorica, vel plethora cacochymica, biliosa, pituitosa, aut melancholica. Oritur autem cacochymia ob imbecillitatem facultatis viscerum in qualibet concoctione: deindè vitio objecti, nimirum alimentorum: item aëris, cæterarumque rerum non naturalium, præcipuè suppressa consueta evacuatione. In omni plethora febres putridæ facile eveniunt, quia corpus non penitus transspirat, præcipue in ea plethora, quæ ad vires comparata, in qua virtus debilitata humores superare nequit: item in plethora cacochymica, pro modo redundantiæ & qualitate humorum peccantium, si non difflentur, nec à natura superentur. Non superantur autem aut non concoquuntur, si ea, à qua conficiuntur, vis invalida existat Non difflantur, ob obstructionem vasoru potissimum: obstruunt humores sua copia, crassitie, aut lentore, ut diximus. Facta obstructione, humores, quia non difflantur, nec refrigerantur, necessariò putrescunt. Verùm ut in synocho superiore capite diximus, si constipatio meatuum cutis recens & parva sit, aut obstructio vasorum levis, à tenuibus succis impactis in corpore nec plethorico nec cacochymico, & ritè curetur, diaria febris

Quomodo ab his causis excitatur febris putrida?

febris solùm oritur. Si constipatio magna, aut obstructio valida, putrida febris oritur, sed in corpore plethorico, primùm synochũ non putrem, deinde putridam; in cacochymico putridam aliquam febrem excitare solet. Itaque præcipua, maximeq; communis causa putredinis febriumque putridarum, est transspiratio prohibita, ob magnam angustiam meatuum cutis; aut obstructionem vasorum, non tamen ita communis, ut planè necessaria videatur. Nam asserit Gal: *1. feb. 4.* febrem generari posse ob eos, qui sunt in corpore, humores ad putrescendum aptos, cum brevem occasionem ad febris originem ab aëre ambiente susceperit animal, ut in peste. Item *c. 3.* in plethora quo ad vires, citò humores ad corruptionem devenire, quia non superantur, quod vis, à qua conficiuntur, invalida sit: Præterea ephemeras in calidis naturis cacochymicis aut plethoricis, facile in putridas degenerare; licet nulla adsit manifesta vasorum obstructio aut insignis meatuum angustia, attamen sine omni obstructione rarissime oritur putrida febris.

DE

DE DIFFERENTIIS ET CAVSIS PUTRIDARUM FEBRIUM.

CAPUT III.

DIfferentiæ omnium febrium putridarum & putredinis sumi potuerunt, vel ab humore putrescente, vel à causa putredinem excitante. Præcipuæ autem differentiæ sumuntur ab ipso humore putrescente; deindè à natura & qualitate contractæ putredinis; tertiò à loco ubi putrescit, & à fomite, quæ differentiæ licet essentiales propriè non vocentur, tamen quia ad naturam causæ continentis febrium putridarum intelligendam, ipsasque febres putridas curandas necessariæ sunt, pro essentialibus febrium putridarum differentijs habentur. Humores autem nostri corporis qui putrescunt, vel naturales dicuntur, quia corpus nostrum nutriunt & conservant; vel non naturales sive excrementitij. Naturales autem sunt, massæ sanguinis partes, sive succi alimentarij, nimirum sanguis sincerus, utraque bilis & pituita. Nam sanguis intra vasa dupliciter consideratur, uno modo sincerus, ut ab alijs succis alimentarijs distinguitur, qui solus extra corpus concrescit: alio, ut ex omnibus succis alimentarijs compositus, naturali pro-

Differentiæ putridarum sumuntur à tribus.

Differentiæ humorum.

portione ſervata. Verum ſi naturalis proportio non ſervetur, ſed unus ex tribus ſuccis redundârit, ſanguis propriè non dicitur, ſed cum adjectione ſanguis bilioſus, pituitoſus, aut melancholicus. Non naturales humores, quibus corpus noſtrum non nutritur, ſunt tres potiſſimum, utraq; bilis & pituita, quorum quilibet, prout à natura diſcedit, in varias ſpecies dividitur, ut in Pathologicis capite de humoribus dictum eſt. Ab utriſque humoribus putreſcentibus febris oriri poterit. Verum utraque bilis & pituita in maſſa ſanguinis, licet ſucci alimentarij ſint, tamen partem aliquam excrementitiam ſive ichoroſam obtinent, quæ à calore non naturali facilè putredinem concipit, non aliter, quam humores non naturales: ſanguis vero ſincerus ſua natura totus alimenti rationem habet, præter naturam affectus excrementitiam ſive ichoroſam quandam partem acquirit. Attamen ſi perfectè putreſcat, aut corrumpatur intra venas, pars tenuior majorque in bilem flavam, pars craſſior in atram plerumque tranſit. Quilibet humor putreſcens pro ſua natura certam febrem inducit. Nam maſſa ſanguinis ex omnibus humoribus, ſervata adhuc naturali proportione, aut ſanguis ſincerus putreſcens, ichoroſam quandam partem acquirit, ſi

1. Differentia febrium putridarum ab humoribus.

nondum

nondum pars ipsius tenuior in bilem transierit, febrem sanguineam gignit: si sanguis putrescens in bilem flavam abeat, aut flava bilis putrescat, febrem biliosam; similiter si melancholia putrescat, febrem melancholicam; si pituitosa, pituitosam excitat. Simplex autem humor, per se putrescens, febrem exquisitā in suo genere producit, cum alio humore putrescens, notham sive spuriam. Cùm enim sanguis omnino simplex nō sit in venis, sed ex quatuor humoribus compositus, & sero multo perfusus, in febribus putredo primam partem sanguinis putredini maxime idoneam, deinde minus oportunam invadit, sensimq́; obrepens augetur, donec omnes sanguinis partes putredini oportunæ, aut absumātur, aut concoquantur, aut utrumq́; patiantur: Et dum cessat febris, manetque pars illa sanguinis putredini minus oportuna, quæ quidem à calore putrido incalescit, sed non putrescit, verum restincta putredine, ad suam naturam facilè redit. Pars illa putrescens aliquando est totius massæ sanguinis, & vel partis sanguineæ, vel biliosæ, vel pituitosæ, aut melācholicæ: unde febres putridæ quatruplices, sanguineę, biliosę, pituitosæ & melācholicæ; quæ pro natura cōtractæ putredinis, deinde loco humoris putre-

II. Differentia putridarũ à modo & qualitate putredinis.

ſcentis & fomite varie diſtinguntur. Nam primum ipſa putredo ratione qualitatis contractæ, alia ſimplex eſt, ſimplici efficacia aut virtute prædita, unde febres continuæ & intermittentes ſimpliciter dictæ ſine ulla additione. Alia maligna, venenata aut contagioſa eſt, ex qua febres oriuntur, quæ propriè malignæ, peſtilentes, contagioſæ vocantur: licet plerumque continuæ ſint, aliquando intermittant, de quibus peculiari capite dicetur. Præterea locus putredinis duplex conſideratur in his febribus, unus in quo humores putreſcentes febrem gignentes & foventes actu continentur, & hic propriè ſedes locuſque febrium putridarum dicitur: Alius eſt pars illa mandans, unde tanquam ex fonte humores illi promanant, qui in priorem locum tranſmiſſi putreſcunt: hæc pars quia ob debilitatem aut obſtructiones vaſorũ, ſuperfluitates generat aut ſuſcipit, quæ poſteà alio tranſmiſſæ putreſcũt, febrimque gignunt, ideo febris principium in ſe continet, & focus aut fomes febris putridæ dicitur: talis diſpoſito partis in omnibus febribus requiritur, quæ typos habent certoſque acceſſionum circuitus. Humores putreſcentes febrem putridam gignentes, actuq; foventes, vel intra vaſa concluſi ſunt, locumque putredinis habent; vel non concluduntur. Conſiſtunt autem intra vaſa

Cap. III.

III. Differentia feb. putridarum à loco putredinis.

vel maxime communia, nulli viſcerum cir-
umſcripta, qualia ſunt inter alas & ingui-
na; vel propria, quæ alicui viſcerum implan-
antur. Per vaſa hic intelliguntur recepta-
ula puri defœcatique ſanguinis, ſcilicet,
vena cava & arteria magna, earumque pro-
pagines, non primæ viæ, conceptacula chy-
i & rudis inchoatique ſanguinis. Intra
vaſa humores putreſcentes febrem excitan-
es, non concluduntur, duobus modis: pri-
mò quia dum putredinem contrahunt, ex
vaſis per habitum corporis, parteſque ſenſi-
es deferuntur aut expelluntur: ſecundò
quia ſubſtantiæ viſceris alicujus impacti
unt inflammationem efficientes, vel intra
viſcus coacervantur, aut cavitatem ejuſdem,
ibique putreſcentes vaporem putridum in
cor effundunt. Si igitur humor putreſcens
ntra vaſa concludatur, febris continua ſive
concluſa generatur: ſin extra vaſa ſtatim
per partes ſenſiles feratur, febris intermit-
ens: ſiin intra ſubſtantiam aut capacitatem
viſceris concludatur, ita ut ad cor putridum
vaporem tranſmittat, ut in inflammatione
pulmonis, hepatis, meningis &c. febris
ymptomatica tantum oritur; quia conſe-
quitur primarium affectum, qui actiones
ſenſibiliter lædit, unde ægri propriè non di-
cuntur febricitare, ſed peripneumonia, he-
patitide, phrenitide aut ſimili affectu labo-

rare. Itaque febris putrida, alia simpliciter morbus, alia ut symptoma. Quia verò humores in parte præcipua aut cordi vicina putrescentes putridam fuliginem cordi facile impertiunt, ideo febris putrida symptomatica propriè nunquam intermittit, & continuis annumerari poterit, ut febris alia sit continua, latissimè sumpta; alia intermittens: & continua alia symptomatica; alia continua magis quidem proprie, sed tamen adhuc communiter dicta. Nam continua febris communiter dicitur, quæ ad manifestam integritatem sive infebricitationem, non prius terminatur, quàm ex toto fuerit soluta: Intermittens verò, quæ ad perfectam integritatem aut manifestam infebricitationem devenit. Vtraque pro modo, & motu causarum morbificarum distinguitur. Nam continua communiter dicta, dividitur in synochum, id est, continentem putridam, quæ non modo continua, sed etiam continens; & in continuam simpliciter dictam, quæ Græcis συνεχὴς proprijssimè vocatur. Nam si sanguis aut humores putrescant in vasis omnibus, vel in maximis cordi vicinis, id est, inter alas & inguina, generatur febris, quæ simpliciter continua non dicitur, sed synochus sive continens propriè dicta, quæ ab initio usque ad finem affligit, sine omni typo & circuitu, omniq; remissione & exacerbatione, donec humor

Febris continua.

Febr: intermittens.

σύνεχος & συνεχὴς eorumq; causa.

putrescens aut absumatur, aut concoquatur, aut utrumque patiatur. Sin humor putrescat in vasis à corde remotis, propiusq; jecori cæterisq; partibus vicinis, ex quibus putrida fuligo non continenter eodem tempore in cor defertur, sed aliunde fovetur, oritur febris cõtinua simpliciter dicta, quę quidem ad infebricitationem non prius terminatur, quã ex toto fuerit soluta. Nam in continuis humores putrescentes, extra vasa per habitum corporis non transmittuntur & expurgantur; quod in febribus intermittentibus semper requiritur; vel ob facultatis expultricis debilitatẽ, vel materiæ putrescentis copiam, cruditatem, crassitiem & visciditatem, vel ob exitũ interclusum, sive viarum angustiam. Deindè humores putrescentes simpliciter intra omnia aut majora vasa non consistunt, citra ullius membri dispositionẽ vitiosam, ut in synochis sive continentibus; sed quia typos habent, intra vasa à corde remota sedem obtinẽt, ubi ex membrorum dispositionibus foventur; & accessu novi pabuli per intervalla humores putrescunt, quo tempore à minoribus vasis ad majora & cor moventur, & putredinem novam diffundunt, novamque febrilem accessionẽ faciunt: deindè mitigata nonnihil aut repulsa putredine à corde, remissionẽ, donec ejusmodi putredinis materia similiter recurrat. Itaq; febres hæ certos circuit*

habent, licet ad infebricitationem non deveniant, quod humor putreſcens extra venas per habitum corporis non expellatur, ſed intrò concluſus maneat, aſſiduéque calorem foveat. Proinde febres hujuſmodi mediam quandam naturam obtinent inter intermittentes propriè dictas, & continentes, & à veteribus, quia per circuitus moventur, intermittentibus interdum annumerantur. Deindè, ut intermittentes, ex membrorum diſpoſitionibus ortum habent. Nam ut ſcribit Galen. *2. de differ. feb. c. ult.* quæcunque per circuitus ~~aliarum~~ ægritudinum acceſſione fiunt, ex membrorum diſpoſitionibus ortum habent: nimirum, quia membra illa ſuperfluitates gignunt vel ſuſcipiunt, vel attrahunt, alióque tranſmittunt intra vel extra vaſa. Quare in ſynochis putridis, quæ continenter affligunt, nulla hujuſmodi viſceris diſpoſitio neceſſaria eſt, quia humor totus putreſcens vaſis maioribus concluditur, nec neceſſariò aliunde fovetur, ut infrà latius peculiari capite dicetur. *Quid continua propriè dicta.* Συνεχὴς, id eſt, continua ſimpliciter dicta, eſt febris putrida à principio ad finem perdurans cum certo excandeſcentiæ & remiſſionis circuitu & ordine, orta ex humore putreſcente in venis, ſed à corde ita remotis, ut putredo non continenter eadem formâ & modo, ſed per intervalla quædam

dam ad cor deferatur. Hæc,ut prius dictum eſt,pro natura motuque cauſarum morbificarum diſtinguitur: humor enim qui in vaſis à corde remotis putreſcit & movetur,vel eſt ſanguis bilioſus, pituitoſus, aut melancholicus, & quilibet humor putreſcens ſua natura peculiares circuitus obtinet, excepto ſanguine; licet fomitem ſuſcipiat ex certorum membrorum diſpoſitionibus, ut ſuprà dictum eſt. Pituitoſus enim humor quotidie, bilioſus tertiodie, melancholicus quarto circuitus acceſſionum remiſſionumque ſervat. Sanguinis putreſcentis pars major,ſi in bilem tranſierit, naturam bilis imitatur,ſi nihil impediat. Proinde ex ſtato circuituum ordine continua febris ſimpliciter dicta,aut erit quotidiana,aut tertiana, aut quartana, & quælibet vel exquiſita, vel notha. Verùm rariſſima eſt quartana exquiſita continua,rara quotidiana, frequentiſſima tertiana. Intermittentes vero febres, quæ ad in febricitationes deveniunt,& acceſſiones intermiſſioneſque habent,generantur, ſi humor in loco aliquo, aut vaſis partis alicujus initium tantum putredinis contrahat, à quibus deinde vi expultricis per partes ſenſiles depulſus putreſcat. Nam ut oriatur intermittens, requiritur primùm fons,fomeſque putredinis,ſcilicet pars, ubi coacervantur ſuperflui humores: deindè,ut

Differentia febrium continuarum.

Intermittentium febriũ cauſa.

in eo loco initiũ putredinis contrahant: tertiò ut ita affecti, è vaſis moveantur per partes ſenſiles corporis, ubi perfectè putreſcát, expulſi à partibus, quæ humoris copia & qualitate extimulantur. Omnes enim febres, quæ per circuitus moventur, ex membri alicujus aut membrorum diſpoſitionibus ortum habent, ſed in continuis humores intra vaſa puri ſanguinis conſiſtentes tantum putreſcunt, & circuitus faciunt: in intermittentibus potiſſimum extra vaſa, dum per ſenſiles partes moventur.

Differentiæ febr: intermittentium.

Humor putreſcens per ſenſiles partes delatus, ſi bilis fuerit, tertianam; ſi pituita, quotidianam; ſi melancholia, quartanam febrem intermittentem parit; quæ ex bile, pituita aut melancholia pura, exquiſita tertiana, quotidiana aut quartana oritur; notha ex impura, alteri commixta. Febribus ex melancholia annumerantur quintanæ, ſextanæ &c. quæ ſecundum nonnullos ſub quartana notha continentur.

Septem ſimplices febres putridæ.

Ex quibus colligitur, ſeptem febres putridas ſimplices eſſe, quæ ſimilem naturam obtinent, aut ſimilem conſtitutionem ſive formam temporum morbi, quarum una typo caret, ut ſynochus putrida, reliquæ typum habent, ſed earum tres ſimpliciter continuæ ſunt, veluti tertiana, quotidiana & quartana continua:

tinua: totidem intermittentes. Ex his oriuntur febres putridæ compositæ, quæ compositum typum habent. Componuntur autem febres putridæ, vel cum hectica, ut capite de hectica diximus; vel inter se, & putridæ vel ejusdem speciei, ut tertiana intermittens cum tertiana intermittente, unde duplex tertiana &c. vel diversi generis, ut tertiana intermittens cum quartana intermittente: vel tertiana intermittens cum quotidiana continua, quæ *hemitritæus* dicitur &c. Synochus verò putrida cum ex putredine invasis majoribus concepta oriatur, & non foveatur à visceris alicujus dispositione, cum alia putrida complicari non videtur, licet in aliam putridam interdum transmutetur. Febres ergo compositæ propriè dictę, compositum typum habent, dissimiles exacerbationes & remissiones, quæ vel ijsdē, vel horis differentibus invadunt. Quæ autem ijsdem horis invadunt à Galen: *2. de differ: feb. 8. confusæ* dicuntur, quæ horis differentibus sive diversis, *complexæ*. Oriuntur compositæ propriè dictæ ex simplicibus, sive ex distinctis humoribus putrescentibus in distinctis locis, & à diverso fonte: minus propriè dictæ ex diversis humoribus in uno loco confusis & putrescentibus, quæ febres, nothæ sive illegitimæ propriè sunt, ac simplices, non compositæ, meritò dicuntur:

Febres putridæ compositæ, earumq́; differentia.

Causa compositarum febr.

Licet

Licet à Fernelio illæ solæ confusæ appellentur, ubi impar est humorum confusorum putrescentiumque modus. Verùm si compositæ febres æstimari semper debeant, ex humoris putrescentis sinceritate aut puritate, nulla febris exquisitè simplex erit. Nullus enim humor in corpore exactè sincerus est, sed purus dicitur, quia solus prædominatur: unde si bilis putrescens tantum prædominetur, id est, viribus & copia excellat, cæterorum vis nulla, aut sensibus minus evidens sit, tertiana exquisita oritur: sin aliqua evidens vis sit aliorum humorum putrescentium cum bile, sed adhuc prædominetur bilis, febris tertiana notha, sive illegitima propriè generatur, quæ composita dici quidem poterit, quia à compositis humoribus nascitur, & à sinceritate sua nonnihil deflectit, sed minus propriè. Eadem ratio est quotidianæ & quartanæ nothæ, quæ omnes typos & circuitus simplices habent, unam intentionem & remissionem: proinde simplicibus potius annumerari debent, quàm compositis. Componuntur autem juxta Avicennam continuæ cum continuis, vel intermittentes cum intermittentibus; vel intermittentes cum continuis. Intermittentes autem similis sive ejusdem speciei, plerumque complicantur, non propriè confunduntur: ita tertiana tertianæ, quartana,

An febres nothæ sint compositæ?

Quomodo febres componuntur.

tana, quartanæ; quotidiana, quotidianæ, complicatur, unde duplex aut triplex tertiana, quartana, quotidiana. Verum distinguit nonnulli inter duas tertianas, & duplicem tertianam. Duplicem enim tertianam vocant, quæ quotidiè affligit: duas, tertianas, quæ bis tertio die tantum &c. Intermittentes diversarum specierum cum intermittentibus rarò complicantur, rarissime confunduntur, & tum cito non animadvertuntur: ac intermittens sæpè cum continua conjungitur. Continuæ verò non solum conjunguntur, sed etiam confunduntur, ut voluit Avicenna. Nonnulli tamen, inter quos est Fernelius, continuas inter se componi negant, quia ex humorum putredine fiunt, qui intra venas concluduntur. Verum cum continuæ simpliciter dictæ per circuitus moveantur, ac proinde ex membrorum dispositionibus ortum habeant; nil obstare putamus, diversos humores in venis diversorum viscerum eodem tempore putrescentes diversas continuarum species producere posse: Licet ejusmodi continuæ compositæ rarissimè contingant & difficilius cognoscantur. Iungitur itaque tertiana quotidianæ, ut continua aut intermittens, quatuor modis; videlicet, tertiana continua quotidianæ continuæ, vel intermittenti: & tertiana intermittens quotidianæ continuæ,

An continuæ componuntur inter se?

Hemitritæus.

nuæ,aut intermittenti. Vbi autem tertiana intermittẽs quotidianæ conjungitur, hemitritæus propriè dicitur, licet aliȩ quoq; compositæ febres ex quotidiana & quartana, cum tertiana, ab Arabibus semitertianæ dicantur, quod ex dimidio sint tertianæ. Quæ est ratio compositionis tertianæ & quotidianæ, eadem tertianæ & quartanæ, item quotidianæ & quartanæ, quæ rarissimè accidunt. Deindè in singulis compositionibus unio fit, vel per complicationẽ, vel confusionem, ut demonstrat Gal. *2. diff. feb. 7.* Oriuntur autem compositæ febres à pluribus fomitibus & distincta humorum putredine: compositæ continuæ ex humoribus putrescentibus intra venas: compositæ intermittentes extra: compositæ ex continuis & intermittentibus, partim intra, partim extra, veluti si bilis flava putrescat extra vasa, pituita intra, oritur hemitritæus; exquisitus quidem, si uterque humor æquè potens fuerit; non exquisitus, si alter minus potens: utraque febris continuitatem habet à pituita, corporis concussionem à bile. Similis est ratio causæ compositionis in cæteris febribus.

Febres putridæ symptomaticæ.

Febris putridæ symptomaticæ causa in venis conclusa non est, nec per sensiles partes defertur, sed in substantia aut porositatibus visceris alicujus continetur, cujus diversa sunt genera, præcipuum

puum oritur ob inflammationem partis internæ, cordique vicinæ, ut pulmonis, pleuræ, hepatis, membranarum cerebri, ventriculi &c: ex sanguine vel bile impacta putrescente, quæ vel cor subit, vel putridum vaporem cordi communicat. Hujus generis febris oritur, in pleuritide, peripneumonia, hepatitide, phrenitide, angina &c: eosq; affectus ut symptoma comitatur. Verùm si inflammatio sit à sanguine tantum, febris phlegmonodes; si à bile, typhodes & ardens communiter dici solet. At juxta Aetium, si erysipelas in hepate fuerit, febris typhodes propriè excitatur: si in ventriculo, Lypiria, in qua extrema frigent, interna uruntur: si in pulmone, febris crimodes sive algida excitatur. Similes quoq; febres sunt, quæ sine inflammatione à succis pravis collectis & corruptis in parte oriuntur, veluti si os ventriculi, à succis imbibitis ipsius tunicis afficiatur, generantur febres assodes: si æstuante orificio ventriculi cor in consensum trahatur, febres cardiacæ: si ex humore bilioso, mordaci & acri, febris syncopalis, quæ minuta dicitur: si à copia crudorum humorum, syncopalis humorosa. Huc referuntur à nonnullis febres elodes, si maligna putredo ichores invadat: item febres colliquantes in quibus fervidus malignusq; calor, non solū per insensilē transspira-

tionem,

tionem, ſed etiam manifeſtam evacuationem, ſubſtantiam corporis depaſcit, quæ febribus peſtilentialibus annumerantur. Præterea genus quoddam febris ſymptomaticæ oritur ex latente obſtructione, ſive putredine materiæ, quæ viſceri alicui ita impacta eſt, ut non rarò ſubſtantia viſceris corrúpatur, hæc febris lenta eſt & quaſi involuta latet, ac phthiſin plerumque comitatur; nec, ut aliæ febres, periodos habet, nec criſes ſervat. Hæ ſunt præcipuæ differentiæ febrium putridarum; cæteræ differentiæ magis accidentales ſunt, ut quæ ſumuntur à cauſis efficientibus, item à magnitudine, more & motu febrium, de quibus, ac etiam de temporibus febrium, univerſalibus & particularibus, ſuprà *capite ſecundo de differentijs febrium* diximus.

Differentiæ febrium accidentales.

Paracelſi opinio de natura cauſis & Differentiis putridarum.

Paracelſus in febribus explicandis varius eſt, & à cæteris medicis in pleriſque diſſentit, in aliquibus interdum conſentit, licet verbis ſemper diſcrepare videatur. Nam, ut alibi diximus, nomine febris, ſolas illas putridas intelligit, quæ paroxiſmos habent; imò ſæpius intermittentes, quàm continuas. Vnde in fragmentis *de Tartaro*, febrem vocat morbum generalem, paroxiſmalem ex oppilatione totius corporis. Cauſam ſive materiam febrium eſſe ſtatuit *1. Paramir. c. 6. & de Peſtilitate Tr. 1.* nitrum cum ſulphure:

Quare

Quare definit Morbum nitri sulphuris incensi, est enim nitrum (*ex libello de Tartaro nitro in fragmentis*) ut fimus, qui calorem habet longiorem aut breviorem, sed primùm frigus inducit, pòst calorem, ipsaque urina (*libro de Pestilitate*) nil nisi sal petræ est, & fœtet, quia multum sulphuris habet. Verum *lib. 2. de Tartar. tract. 3. cap. 3.* causa febris ponuntur, feces sive putredo tartari. Nam quæ in tartarum non transeunt, per oppilationem & defectum separationis, in putredinem sive feces abire statuit, ex quibus prima febrium generatio, dum aër internum corporis elementum ex vaporibus generatis de fecibus ex tartaro putrescentibus inficitur; quæ infectio causa paroxismi est, quia in digestione materiæ putrefactæ, dum fervet, vapor multus attollitur; qui cũ liberè perspirare nequeat, aërem internum ipsumque corpus inficit. Quare paroxismus nil aliud est, quam tremor sive motus illius aëris infecti, dum se purgat, qui durat tamdiu, dum consumitur vapor putridus, aut expellitur, ut in terræ motu; tandemque tremore desinente calor erumpit, quod aëris motione sulphur & spiritus salis accendatur. Quare *libro nono paragraphorum T. 1.* definit febrem, calorem putrefactum cum tremoribus ex sua oppilatione à materia insequestrata, in clausis poris, ex vi stiptica.

Locum ubi materia fecesque putrescentes digeruntur, esse dicit in membris principalibus, ut corde, jecore, pulmonibus, liene, renibus, carne, sanguine &c. sed *de Tartaro lib. 2. tract. 1.* solùm in stomacho, jecore, & renibus, ibiq; feces digestionem obtinere; proinde tria febrium genera esse, stomachi, jecoris & renum: periodum habere non ex humorum putredine, qui in lepra tantum putrescant, sed ex putredine fecum tartari, in his tribus membris, pro natura fecum sive putredinis. Nam si feces sint ex mercurio vel (*9. Paragraph. 1.*) ex alumine, digestio fecum quotidie erit; si ex sale, alternis diebus; sin ex sulphure, post tertium diem. Quare ratione periodorum, ex materia digesta, ubicunque fuerit, triplex oritur febris: quotidiana, à fecibus ex mercurialibus; tertiana, ex salibus, quartana ex sulphure. Igitur si materia digesta sit in stomacho, dici poterit quotidiana, tertiana, vel quartana stomachi: eadem ratio in jecore & renibus. Verùm *lib. 2. de Tartaro 2. tract. c. 4.* quartanam communiter à renibus fieri asserit, non à splene; item renum febres ob spiritum subtilissimum & acutissimum periculosissimas esse; quia in stomacho separatio crassa est; in hepate subtilior, in renibus, subtilissima: similiter in stomacho calor minor est; in hepate major; in renibus maximus. Hæc sunt juxta Para-

CAP. IV.

celſum prima febrium genera, quæ, ut idem *lib. 2. de Tartaro 2. & 3. tract.* ſcribit, variè inter ſe componuntur, ut febres ſtomachi, cum febribus hepatis, aut renum &c. item tertiana cum quotidiana, aut quartana &c. ob variam mixtionem mercurij, ſalis, & ſulphuris. Attamen præter hæc genera *lib. 1. de podagricis*, tot ſpecies febris eſſe dicit, quot ſpecies ſunt medicamentorum pugnantiũ cum febre: Vnde *Tabula 9. de Generatione febr.* quinq; peculiaria febrium genera enumerat, Opiaticum, Centaureũ, Erroneum, Litteriſtum & Albugineũ. Atq; hæc ſunt nova illa Paracelſi placita de natura & differētiis febriũ, quę unicuiq; cōſiderãda relinquo.

DE SEDE PUTRIDARUM.

deq; cauſis rigoris & horroris, & periodorum in febribus putridis.

CAPUT IV.

VT ea, quæ nunc dicta ſunt de natura & differentijs putridarum, melius intelligantur, res ipſa poſtulat, ut de ſede ſive loco febrium putridarum tàm continuarum quàm intermittentium opiniones medicorũ conſideremus & ſimul cauſas rigoris & horroris explicemus, tandemq; de cauſis periodorum, & longitudinis ac anticipationis paroxiſmorum agamus. Ac *primùm* de loco humorum putreſcentium tàm in continuis, quàm in-

termittentibus, dissentiunt medici, & veteres, & recentiores. Nonnulli, teste Tralliano, continuas ab intermittentibus, non loci, sed quantitatis & qualitatis ratione, differre putant; & continuas fieri intra vasa à materiâ multâ & crassâ, quæ extra vasa emitti nequeat; intermittentes verò à materiâ tenuiore minusque copiosâ, quæ ut in extimam cutem feratur, magis idonea est. Alij non tam quantitatis & qualitatis, quam loci ratione differre putant, ex quibus nonnulli, ut Alexander Aphrodis. humores in majoribus venis putrescentes continuas, in minoribus intermittentes generare censent. Nonnulli arbitrantur continuas solùm fieri, si omnes partes massæ sanguinis putredinem contrahant; intermittentes, si una pars sive unus succus tantum, qui cùm ita copiosus non sit, extra venas facilè propellitur. Plerique humorem causam febrium continuarum, intra vasa conclusam, esse volunt, ut intermittentium, non conclusam, sed extra venas in habitu corporis consistere. Deindè hunc nonnulli è vasis majoribus, ubi sanguini permiscetur, ad minora detrudi, ex his ad corporis habitum, partesque sensiles, quæ qualitate noxiâ irritatæ, horrore aut rigore afficiuntur. Aliqui (ut Donatus) non solùm è vasis extrudi, sed etiam ab ipsis partibus sentientibus, dolore aut in-

Opiniones medicorũ de sede putridarũ.

CAP. IV.

ut inflammatione affectis, attrahi, nonnunquam in ipsis partibus gigni, qui deinde putrescens febrem intermittentem excitat.

Modus generationis putridarum.

Modum igitur generationis intermittentium plerique statuunt, *primùm* humorem noxium ex vasis aut visceribus expulsum, per partes sensiles delatum putrescere, asque ad expulsionem irritare, quibus molesta qualitate irritatis, ut id, quod noxium est, majori conatu expellant, calorem nativum ad interiora refugere, partesque sensiles frigere, inhorrescere, aut rigere: *deinde* humorem putrescentem, recursu caloris nativi in totum corpus diffundi, nisi impediatur, ut in Epiala & Lipyrijs fieri consuevit: *tandemq;* vi caloris nativi extenuantis, & virtutis expultricis moventis, sensim dissipari, aut in sudorem resolvi, atque ita paroxismum finiri, donec novus similiter recurrat. Quare febres continuas, quia earum materia intra vasa consistit, continuationem habere putant, & licet interdum cū horrore aut inæqualitate incipiant, dum putridus vapor cor primùm ferit, tamen ante crisin universalem rigorem non experiri, qui in externam cutem feratur, partesque sensiles rodat. Vnde Hipp. *58. aphor. 4.* si ei, qui ardente laborat, rigor superveniat, morbi solutio expectanda erit, toto vitioso humore è vasis per partes sensiles expulso.

Fernelij opinio de sede & causis intermittentium.

Fernelius statuit materiam intermittentium esse excrementitios humores putrescentes, contentos in prima regione corporis circum præcordia videlicet circa ventriculum, lienem, cava jecoris, pancreas &c. ubi quasi sentina humorũ confluit. Has partes, ait, membranas habere sensu præditas, & nervos à sexto pari, quibus irritatis & affectis totum corpus compati, & pro materiæ copia, acrimonia & impetu, frigus, horrorẽ, vel rigorẽ oriri. Humor autem putrescens, quamdiu putrescit, rarò corpus exagitat, verùm concitatus affligit, si paucus, minus acris aut concitatus, frigus excitat: si copiosior, acrior, aut concitatior, horrorem; sin adhuc magis copiosus & acris, nimisque concitatus, rigorem. Deindè eadem materia, circa præcordia hærens, ex se tanquam ex fomite, tetrum malumque vaporem effundit, qui altera rigoris & horroris causa est, unde accessionum circuitus. Nam vapor ille effusus, primùm partes sensiles ferit, & per cæcos meatus cor offundens, pulsum contrahit, cerebrum opplens degravat, actus omnes obtundit: pòst in totum corpus disjectus incalescit, calorque non naturalis in totum corpus diffunditur, donec humor extenuatus dissolvatur in sudores, aut insensilẽ transspirationẽ. Nonnunquam in accessionibus portio humoris

invasio-

invasionis impetu impulsa, in ventriculum irrumpit, & vomitum excitat: portio tenuior per jecur & venas in universum corpus distribuitur, & eò gravior accessio fit, quò ex foco major portio penetrat in venas, unde nonnunquam, soluta febris accessione, manet quædam inæqualitas. Itaque differunt Fernelio continuæ ab intermittentibus, non solum materiâ, sed etiam situ materiæ & fomite. Tertianæ enim materia bilis est excrementitia, affinis illi, quæ in vesicula fellis continetur: quartanæ, bilis atra in lienem effusa: quotidianæ, pituita supervacanea, collecta in ventriculo & intestinis. Atq hæ sunt præcipuæ opiniones de causis febrium putridarum. *Primùm* eorum opinio per omnia vera non videtur, qui sola copia & crassitie humorum continuas ab intermittentibus distinguunt. Ita enim tertiana continua rarissima erit: frequentiores continuæ quotidianæ & quartanæ, cujus contrarium experientia demonstrat. Deindè nec causa continuarum omnium erit, quia omnes sanguinis partes intra vasa putredinem contrahunt; nec intermittentium, quia unus aliquis quatuor succorum, alioqui una erit febris continua, nulla tertiana aut quotidiana continua &c. Nam unus specie succus putrescens, intra vasa

Examinantur opiniones.

conclusus, continuam excitat; extra vasa depulsus, intermittentem; Vt autem fiat febris intermittens, requiritur primùm pars mandans, in qua fit synetrismus, id est, collectio humorum præter naturam: deinde ut in illa parte initium putredinis contrahant, sive semimali reddantur, ut scribit Galen. *2. de differ. feb. cap. ult.* Tertiò ut ob copiam & qualitatem contractæ putredinis, pars illa vicinæque irritatæ facultate sua expultrice, ad exteriora in habitum corporis per partes sensiles propellant: quæ sensu dolorifico affectæ, pro varietate humorum, rigorem, horrorem, aut frigus patiuntur. Putrescit quidem in intermittentibus humor extra vasa potissimum, verùm nihil impedit in intermittentibus, dum humores ex majoribus vasis expelluntur, partem aliquam in minoribus putrescere, sed non concludi, verum per partes sensiles deferri, & rigorē aut horrorem excitare: quod ostendunt etiam rigores critici in febribus continuis supervenientes. Deindè constat ex Gal. *2. diff. feb. cap. ult.* febres, quæ per circuitus moventur, ex membrorum dispositionibus ortum habere, quod confirmare videtur, *libr. 1. ad Glauc. 5.* ubi de causis intermittentium agens, quotidianam intermittentem raró evenire dicit, quin os ventriculi patiatur: itidem tertianam ex jecore, quartanam ex liene ma-

ne malè affecto oriri, ac proinde ex *2. Meth*, *4.* partes illas fomites vocant nonnulli, in quibus velut in foco principium febris continetur. Verum fomites non sunt, quia ibi humores putrescentes tantum consistunt, aut putredo causa continens febris stabulatur, & residet, ut Fernelius arbitratur; sed quia superfluitates colligunt & continent, quæ in venas majores transmissæ, ijsq; conclusæ, putrescunt, febresque continuas fovent, novosque paroxismos excitant, & circuituum causa sunt: similiter in minores transmissæ, & putrescentes, hinc in habitum corporis febres intermittentes, earumque paroxismos & circuitus faciunt. Igitur in febribus putridis coacervari solent hoc modo superfluitates in prima corporis regione, primisque venis, licet non solis, ut Fernelio videtur, verumetiam in vasis puri sanguinis. Deindè in vasis illis coacervati & conclusi, febrem intermittentem non accendunt, sed quia contracto putredinis initio statim expultricis facultatis robore, ad partes exteriores propulsi putrescunt, licet initijs paroxismorum refugiente calore, ad interiora portio aliqua humoris accessionis impetu impulsa, in ventriculum interdũ irruat, & vomitũ excitet, non quòd calor nativus ad ventrem recurrat, sed ad ipsum cor fontem caloris, ut in rigore aut horrore ab

externis causis. Ergo in febribus intermittentibus transmittitur humor in totũ corpus, vel à venis, vel à præcordijs: verum dum in venis & præcordijs consistit, tantùm causæ antecedentis rationem habet. Nam non fierent periodi, novaq; accessio, nisi materia flueret: Deindè si circa præcordia stabularetur materia putrida, ibique putredo consisteret, continua potiùs oriretur, quàm intermittens; et si rigor fieret, irritatis & affectis illarum partium membranis, nulla esset intermittens sine præcordiorum dolore. Præterea etsi Fernelio concedatur, humores in præcordijs febres intermittentes excitare: tamen necesse erit, aliunde transmitti, fomitemq; habere, unde novus paroxismus. Nam continens febris intermittentis causa, quia finitâ accessione, dissipata & absumpta est, circuitus aut novæ accessionis causa esse nequit, nisi nova materia subinde coacervetur. Effunditur quidem in paroxismis intermittentium putridus humor extra vasa, sed non omnis perfectè, verùm nonnihil remanet, ex quo sedimentum, quod in urinis apparet; ac etiam in parte mandante nonnihil relinquitur, quo succi affluentes inquinantur, ex quibus nova accessio recurrit. Humores autem putrescentes per sensiles partes delati & ~~putrescentes~~, vim expultricem irritant, qua irritata, calor innatus

natus cum ſpiritu & ſanguine ad interiora refugit, & pro copia, qualitate & motu humoris, frigus, horrorem aut rigorem excitat. Vt enim ſine humoris putredine non oritur febris putrida, ita citra motum per partes ſenſiles non oritur rigor aut horror. Differunt autem frigus, horror, & rigor, ratione majoris & minoris præcipuè; omnes enim fiunt à cauſa mordaci mota per partes ſenſiles, cum recurſu caloris nativi; ſed frigus ab humore vel cauſa pauca, aut minùs mordaci, leviter motâ: Horror à copioſiore, aut magis mordaci, magis mota: Rigor à multa, valde mordaci, vehementiſſimè mota. Eſt autem rigor, inæqualis partium omnium concuſſio, ſive vibratio omnium muſculorū totius corporis, cum ſenſu frigoris dolorifici, orta ab expultrice, irritata à cauſa valde mordaci, vehemēter mota per partes ſenſiles, mediante reciproco caloris nativi motu, horror vero mot⁹ minor quàm rigor, eſt concuſſio ſolius cutis cum ſenſu frigoris, à cauſa minus mordaci, aut leviter mota per eaſdē partes, cū recurſu caloris nativi. Deindè rigor & horror triplex eſt; unus *criticus*, qualis continuis febribus ſupervenit, unde cōſequitur morbi ſolutio: alius *periodicus*, qui oritur in principijs paroxiſmorum febrium intermittentium: Tertius *ſymptomaticus*, qualis initio febrium

De cauſis rigoris, horroris &c.

Rigor & Horror.

Rigor & Horror triplex.

conti-

continuarum accidere consuevit, ac citra febrem à causa mordaci mota per partes sensiles. In febribus dum humores putrescentes moti per partes sensiles eas irritant, facultas expultrix insurgens instrumento caloris nativi eos expellere festinat, & quò magis irritantur, aut facultas ad expulsionem insurgit, eò magis calor nativus ad interiora recurrit; proinde initio accessionũ omnium febrium intermittentium, ex retractione caloris nativi ad interiora, sensus frigoris percipitur, sed in febribus à pituita, quia parum mordax leviterque movetur, frigus solùm, aut sensus inæqualitatis, sine omni concussione: In febribus à bile flavâ, quia valde acris & mordax est, rigor: In febribus à pituitâ salsa, aut compositâ ex bile & pituitâ, ut semitertianâ, ac in febribus à melancholiâ, horror; aliquãdo rigor horridus sentitur, præcipue in febribus à melancholiâ. Verùm in levi tertiana aut quartana, circa initia & finem, ob paucitatem materiæ, interdum sensus frigoris, aut levis horror tantùm percipitur, semper enim quò expultrix à materiâ magis mordaci & copiosa vehementius motâ violentius irritatur, eò calor innatus cum spiritu & sanguine ad interiora magis refugit. Sed cùm ibi manere nequeat, nisi suffocetur, sese recolligens, aduersus ea, quæ noxia sunt, cum impetu insurgit, simulque eadem partes

Modus generationis rigoris &c.

ſenſitivæ expellere feſtinant, ac ut facilius expellant, ſeſe concutiunt. Verùm dolor viciſſim calorem refugere cogat, donec extenuata & expulſa cauſa noxia, calor nativus in corde à vaporibus putridis accenſus, ad exteriora recurrat: hinc febrilis calor in totum diffuſus, ut alibi diximus, diſſipatur, atque ita acceſſio finitur, intermiſſioque aut ἀπυρεξία ſuccedit, donec nova acceſſio ſimiliter recurrat, coacervatione materiæ novæ. Adjuvat quidem recurſum illum caloris, initio paroxiſmi, putrida fuligo in cor effuſa, ipſum obruens, cogenſque, ut retractione ſpiritus cum ſanguine noxios halitus faciliùs repellat; Verùm frigus in acceſſionibus non ob id naſcitur, quia humor aut vapor putridus ad cor affluens ipſius calorem ita opprimit, ut ignis à lignorũ copia aut humiditate initio premitur, interdũ ſuffocatur. Nam febris nõ oritur, quià cordis calor humores accendit, ſed quia ab humoribus putreſcentibus accenditur: nec rigor, aut horror, quia humores aut vapores putridi cor obruut, ſed quia per ſenſiles partes in habitu corporis feruntur, quod præter alia incipiente paroxiſmo demonſtrant crebræ pandiculationes & oſcitationes. Igitur cauſæ horroris & rigoris in febribus intermittentibus non ſunt eædem, cum cauſis illius horroris & rigoris, quæ febres non comitantur, ut

Refutatur Fernelij opin.

tur, ut

tur,ut Fernelius arbitratur. Nam in rigoris principio febris tertianæ,in cute adest passio similis acus punctioni; in quartana dolor cum horrore,usq; ad ossa penetrans, quæ omnia in partibus externis non perciperentur,nisi adesset caussa continens : ubi enim dolor, ibi morbus: licet negari nequeat,partem illam materiæ, quæ in ventriculum irruit,vaporesque tetros præcordia interdum ferire; sed hæc irritatio rariùs accidit, & præcipua rigoris aut horroris causa non est. Quare differunt continuæ ab intermittentibus, non tàm materia & fomite, quàm situ materiæ putrescentis,

De causis periodorum.

Superest,ut de causis periodorum in febribus,quæ typos habent,agamus.Est autem typus ordo aut forma periodorum;periodus vero tempus intensionis & remissionis. Intensionis tempus in febrib.quę typos & periodos habēt,est paroxismus sive accessio.Recurrit nova accessio,si finita priore,in membro mandante vitium aliquod relinquatur, videlicet si superfluitas in parte mandante relinquatur, post superiorem accessionem, quæ succos affluentes gratia nutritionis inquinat, vel superflui humores novi affluentes gignantur, aut aliunde affluant, aut ob dolorem vel calorem attrahantur, qui propter obstructionē vasorū, per quos ferri aut expurgari soliti erant,retenti,pravam qualitatem

tatem sive semiputredinem acquirant, ac partem ad expulsionem irritent. Accidit aliquando tempore intermissionis, ut sanguis è venis in partes exteriores detrusus putrescat, sed rarissimè. Nam propriè in initijs accessionum febrium intermittentiū humores semiputridi, sive ut vocat Gal. *2. diff: feb. c. ult.* semimali ad partes debiliores sensilesque depelluntur; qui si ab unico fomite extra venas propellantur, aut ex unica putredine, simplices; si à pluribus partibus, & à diversâ humorum putredine, compositæ intermittentes gignuntur: ordinatæ, si singuli humores putrescentes stata lege moveantur; alioquin inordinatæ & erraticæ; nam ut humor putrescens, nisi moveatur, rigorem aut horrorem non inducit; ita nisi novus humor coacervatus putrescat, nova accessio non recurrit. Recurrit quidem in singulis febribus accessionum circuitus, quia in membro mandante remanet affectus, unde superfluitates coacervantur: At cur pituita quotidie, bilis tertio die, melancholia quarto, accessionum circuitus faciat, dubitatur. Gal. *3. de Dieb. decr. c 28.* asserit, non esse facilè invenire, quæ hujus rei causa sit. Cùm autem effectus omnis fiat actione efficientis in materia, Astrologi & Aponensis causam efficientem referunt ad motus cœlestium corporum.

Cur pituita quotidie, bilis tertio die &c. circuitus faciant.

Nam

Opiniones authorum examinantur.

Nam opinantur pituitam celerrimum motum Lunæ imitari; bilem, Martis; melancholiam, quæ filia Saturni vocatur, motum tardissimi planetæ Saturni. Sed istarum periodorum causam Conciliator ad motum Lunæ retulit, quæ omniũ circuituum in his inferioribus causa putatur, ac etiam dierum criticorum. Verùm ejusmodi causa sufficiens non est & nimis remota, quemadmodum & Platonis, qui has vicissitudines ad elementorum motus reducit. Averrhoës circuituum illorum causas ad naturam caloris nativi referendas putat, qui materiam disponit, ut expellatur & putrescat: verum calor nativus causa principalis actionum non est, sed sine qua non. Agit enim pars instrumento tantùm caloris nativi, non ipse calor per se. Non pauci ex Gal. *2. diff. feb. cap. ult.* circuituum causam constituunt multitudinem humoris, quæ partes ad expulsionem stimulet. Vt enim omnes morbi, qui ex defluxione oriuntur (qualis est lippitudo, arthritis) intermittunt, deinde recurrunt, quoties aucta fuerit materia, quæ partes ad expulsionem stimulat; ita & febres. Quia autem, ut illi volunt, quotidiè tantum pituitæ accumulatur, ut naturam stimulet, bilis tertio die, melancholia quarto: igitur febris pituitosa quotidiè, biliosa tertio, melancholia quarto die circuitus habebit.

bebit. Verùm Gal. eo in loco non periodorum formam & ordinem in specie, sed accessionum longitudinem & brevitatem, anticipationem &c. retulit ad humorum putrescentium multitudinem, item humorum crassitiem, tenuitatem, mobilitatem &c: Nam in febrium accessionibus vis expultrix irritatur non solum à magnâ, sed etiam à parvâ quantitate putrescente, & pituita putrescens, licet non ita multa sit, ut in febris declinatione, quotidie tamen circuitus facit, similiter bilis tertio die, melancholia quarto. Nonnulli cùm satis manifestam horum circuituum causam invenire non possent, ad occultam humorum proprietatem confugerunt. Vnde Avicenna cum Gentile & alijs ad proprietatem ipsius humoris per se: existimant enim motum humorum, proprietatem ipsorum specificam esse; quæ opinio si vera esset, in ictero flavo, bilis; in leucophlegmatia, pituita; insultus suos præberet. Deindè specifica corporum proprietate actus suos proferunt, dum integra adhuc sunt non corrupta aut putredine affecta, ut in febribus putridis. Quare Fernelius ut hæc incommoda evitaret, causam retulit ad occultam proprietatem humoris tantùm putrescentis sive ad propriam putredinis contractæ naturam; ut enim sua cujusq; est humoris species, ita

ſuam cuiq; putredinē & putredinis proprietatem ſive motum aſſignat: ac aliam proprietatem motumq; pituitam, aliam bilem; aliam melancholiam contrahere. Sed cum putredo ſit paſſio mixti præter naturam, magnamq; varietatem ſuſcipiat, conſentaneum non videtur, cōſtantem ordinem aut paroxiſmos ſtatis vicibus recurrētes efficere poſſe. Attamē rejecta prorſus ſpecifica humoris proprietate, dubitatur, an cauſa aliqua evidens & ſufficiens periodorum dari queat. Recentiorū non pauci confugiunt ad diverſam generationis humorum putreſcentium naturam & tempus. Arbitrantur primum pituitam citiùs cæteris generari, & quia humidiſſima eſt, facilius putreſcere, ſed quia frigida viſcidaque, à calore putrido non vehementer diſſolvi, ac proinde finito paroxiſmo majorem fomitem in parte relinquere, qui ſua natura omniū citiſſimè accenditur. Deindè bilem, quia ſicca, tardius quam pituitam putreſcere, ſed quia tenuis calidaque, à calore externo vehemētius conſumi, ac proinde minorē fomitem relinque[illegible], qui tardius iterum accenditur, & propri[illegible]ertio die. Tandem melancholiā, quia ſicciſſima, frigida, craſſaq;, putredini maxime reſiſtere, & quia pauca, ac ob ſiccitatē in eam calor vehementius agit, parvum fomitem relinquere, unde tardiſſimè, & propriè quarto die paroxiſmi recurrunt. Aliquando ſi mi-

noris quantitatis, & qualitatis etiam deterioris sit, quinto, sexto & septimo die &c. unde oriuntur quintanæ, sextanæ, & septimanæ &c. Hæ opiniones valde probabiles sunt, etiamsi tantùm ostendant, pituitam citiùs quã bilem, & bilem citiùs, quam melancholiam, putrescere, non statis temporũ intervallis perfici, nec ipsorũ febriles paroxismos certis periodis recurrere. Cum autẽ eadem causa efficiens in eadẽ materia eosdẽ effectus producere soleat, consentaneũ videtur, causam harum periodorũ partim esse in ipso humore putrescẽte, partim in membro sive parte, ubi quasi in foco putredinis principium contrahit, & humor semimalus redditur, quę postea à qualitate pravâ contractâ irritatur, & ad expulsionẽ insurgit. Nam ubi eadẽ est dispositio partis mandantis, in quâ veluti in foco continetur febris aut putredinis principium, & succi ejusdem naturæ coacervantur, consentaneum est, eosdem effectus sequi, & statis temporũ periodis recurrere; manet autem eadem partis dispositio, quamdiu obstructiones vasorũ & intemperies contracta; potissimùm, si corpus multis succis aut pravis refertum fuerit. Materia unius generis uniformes sive ordinatos parit paroxismos; statas & æquales periodorũ vices, eadem humoris copia & qualitas ac natura: Contrà matetia diversi generis, & varia

Opinio maxime probabilis

Causa febriũ erraticarum &c.

partis mandantis dispositio, varios & inordinatos producit circuitus. Quare si in parte mandante remaneat affectus, pro natura ipsius humoris putrescentis alia accessio statis periodis recurrit, nisi quid ordinem interturbet. Nam si quid ordinem interturbaverit, oritur febris erratica, vel simpliciter, quæ nullam circuitus formam, sive intensionum & remissionum ordinem servat, vel secundum quid, quæ typum mobilem habet, sive diversis horis accedit & remittit. Febres quæ circuitum pervertunt, & omni ordine carent, oriuntur primùm ex transmutatione humorum putrescentium, veluti, si humores exurantur, & ad naturam melancholiæ transeant, unde quartana plerumque erraticas consequitur, & erraticæ secundum nonnullos sub quartana notha continentur, ut quintanæ, sextanæ, septimanæ &c: Deindè oriuntur erraticæ ex commixtione humorum, diversæ inæqualisque temperaturæ putrescentium, ut crassiorum, tenuium, calidorum &c: Vnde Hipp. & Gal. erraticas autumno potissimũ oriri dicunt: ob temperaturæ ipsius inæqualitatem, cujus ratione diversi coacervantur humores. Gignuntur etiam erraticæ, ob pravam & corruptam victus rationem, ex hebeti & acuto sensu, debilitate vel robore facultatis &c: Febres erraticæ, minus

Cap. IV.

nus propriè dictæ, circuitum non pervertunt, sed consuetam invadendi horam anticipant, vel postponunt. Anticipant autem febres horam consuetam, vel quia humores augentur, inordinata victus ratione, suppressione consuetæ evacuationis, vel quia nimium extenuantur cibis, aut alimentis calidis, vel exagitantur motu, ira, vigilijs & similibus. Tardiùs autem recurrunt paroxismi, dùm à causis contrarijs materia vel imminuitur, vel crassior, vel viscosior redditur: Præterea accessiones breves fiunt, ob humoris putrescentis paucitatem, tenuitatem, viarum amplitudinem, & virium robur: longæ vero à contrarijs causis. Tempora febrium universalia & particularia efficit ipsa putredo, ut incipit, augetur, viget & remittitur: semperque incipiente putredine incipit febris, ac etiam paroxismus febrilis, aucta, augetur, vigente, viget febris, cunctaque symptomata: diminuta putredine, minuitur, tandemque prorsus declinat.

Causa anticipationis & longitudinis paroxismorum, &c.

Tempora febrium.

DE SIGNIS FEBRIUM PUtridarum.

CAPUT V.

SUperest ut de signis primùm diagnosticis, deindè prognosticis putridarum agamus. Signa autem

alia ſunt ipſius febris, alia cauſæ. Sumuntur ſigna febris diagnoſtica partim à febris ipſius effectis, partim à cauſis evidentibus. Ab effectis, ut à qualitate caloris; ſecundò, à pulſu; tertiò, ab urinis; quartò, ab accidentibus febrem conſequentibus, ut ab acceſſionis natura, & partibus, & à ſymptomatibus. Ac *primùm* diſcernitur putrida à cæteris febribus, quòd calor putridarum, ob magnam acrium & fuliginoſorum humorũ copiam, fuliginoſus aut fumoſus ſit, nihil ſuave & moderatum, aut ſimile aliquid febribus diarijs obtinens, ſed mordax, tactuique moleſtus, cum primùm manus admovetur, ita tactum erodens, ut fumus oculos, aut nares, potiſſimùm in augmento & vigore acceſſionum. Nam in initijs acceſſionum febrium intermittentium, cum adhuc calor quaſi ſuffocatur, & humores intus accenduntur, non ſtatim admota manu calor diſcernitur, ſed per moram ejuſmodi calor foràs è profundo attollitur, quibus omnibus ab hectica diſtinguitur, in quâ calor mordax nunquam ſentitur, ad primam manus injectionem, ſed aliquamdiu pòſt, nec ex alto velut fumus erumpit, & licet in progreſſu acris ſentiatur, ſqualidus tamen eſt, non fumoſus nec vaporoſus; Deindè niſi in ſynochis, calor inæqualiter movetur, certiſq; periodis intenditur.

Signa diagnoſtica febris.

1. à qualitate caloris.

tur, rursumq; remittit. *Secundò* signum proprium & inseparabile omnium febrium putridarum in pulsu est, ut systole velocior sit, quam diastole, quod quidem non obscurè in principijs, evidentissimè in augmento apparet; Deindè in initijs accessionum pulsus parvus, velox & inæqualis est, in vigore major, velocior: verum in initijs accessionum, contractionum celeritas magis augetur, in vigore uterque motus celer est, ac proinde in vigore omnium celerrimus est pulsus. Nam in initijs & incremento major est necessitas expulsionis fuliginosorum vaporum, quàm refrigerationis, quare systole magis festinat, in vigore utriusque par necessitas est. Præterea pulsus inæqualis est, non solum in una pulsatione, sed etiam in pluribus. Dum enim facultas opprimitur à materiâ, pulsus parvus & frequens est, dum insurgit ad expellendum, magnus & vehemens. Hæc ratio pulsuum est in putridis febribus, si nullus alius affectus concurrat, vitio facultatis aut instrumentorum, nullaque sit temperamentorum repugnantia, ut latiùs suprà, *de signis febrium in genere*, dictum est. Eodem modo respiratio inæqualis redditur, & in augmento febrium putridarum exspiratio velocior est, quã inspiratio. *Tertiò* maximè

II. ex pulsu.

III. Ex urinis.

proprium putridarum febrium ſignum eſt urinæ cruditas, aut obſcura concoctio; nam urinæ putridarum colore, conſiſtentia & contentis multùm variant, pro febris ſpecie, aut temporibus acceſſionum, quæ omnia in ephemera & hectica non contingunt, ſemperque initio febris urina cruda eſt.

IIII. ab accidentibus febrem conſequentibus.

Quartò ſumuntur ſigna ab accidentibus febrem conſequentibus, potiſſimùm à formâ acceſſionis & partibus, nam febres putridæ magna ex parte (excepta ſola febri ſynocho) certis quibuſdam periodis moventur, pluresque inſultus habent, ſive exacerbationes & remiſſiones. In paroxiſmo quolibet antecedit quædam inæqualitas pulſus & caloris: deinde calor augetur, in ſtatu viget, pòſt declinationem minuitur aut ceſſat; Peculiariter in continuis augmentum & ſtatus difficilis, non ſine magnis ſymptomatibus: In intermittentibus initium acceſſionis ſemper cum frigore, horrore aut rigore.

V. ex ſymptomatibus.

Quintò complura ſymptomata putridis ſuperveniunt, quæ non contingunt in Diaria aut hectica, aut rariſſimè, ut rigor, horror, nauſea, vomitus, gravitas corporis, dolor capitis, delirium, vertigo, ſingultus, anxietas, morſus oris ventriculi, magna ſitis, aſperitas & nigrities linguæ, tenſio hypochondriorum &c: quæ omnia licet ſingulis putridis non accidant, tamen ubi adſunt

sunt putridam designant. *Præterea* dignoscitur putrida febris, & simul ab ephemera distinguitur, quod à causa evidenti & recenti originem immediatè aut citra corporis dispositionem ad humorum putredinem non habeat. Accidit quidem ut à causâ procatarcticâ incipiat ephemera, subsequatur putrida; Deindè ut causæ evidentes putridam accendant, ut aër pestilens & corruptus, pestem: si corpus præparatum invenerit. Attamen causa procatarctica per se sola nisi interveniente humorum putredine febrem putridam non accendit. Proindè febris putrida causam continentem actuq; foventem nimirum humorum putredinem semper requirit; qualis in diaria & hectica necessaria non est.

VI. à causis.

Signa autem, quæ prænunciant febrem putridam, eamque præcedunt; sunt, lassitudo spontanea, motus gravis, somnus turbulentus, aut vigiliæ, hypochondriorum tensio, venarum repletio, difficilis respiratio, capitis dolor & pulsatio, inappetentia, nausea, excrementa copiosa fœtidaque, crebra pandiculatio & oscitatio, aliaque ejus generis pro natura & motu materiæ, quibus omnibus futuram putridam præcognoscimus. Deindè causa febris putridæ est putredo humorum; & putredinis causa præcipua est, prohibitus perspiratus; aliquando

Signa putridã prænunciantia.

Signa causarum.

aêr corruptus: prohibiti verò perſpiratus cauſa eſt, anguſtia meatus ſive pororum cutis,& obſtructio vaſorum; putredo dignoſcitur primùm ex effectis, ut ipſa febris putrida, nimirum ex acri fumoſo calore, gravi odore corporis & excrementorum, ſenſu inæqualitatis, pulſu inæquali &c. Deindè ex habilitate corporis, nam putredini maximè obnoxia ſunt corpora calida humida, quæ graviter olent &c. Item ex cauſis, ut prohibitâ tranſſpiratione, aut aêre corrupto & putrido; De notis aëris putridi in tractatu de peſte latius dicetur. Prohibita tranſſpiratio deprehenditur ex ſenſu caloris in intimis partibus, ob retentas calidas exſpirationes. Deindè ex cauſis, ut ſunt anguſtia meatuum, & obſtructio vaſorum. Anguſtia autem meatuum cutis partim ex effectis judicatur, ut ſenſu caloris in intimis partibus ſine gravitate; partim à cauſis evidentibus prægreſſis, ut frigore, balneis aluminoſis, alijſque adſtringentibus & conſtipantibus. Obſtructio verò dignoſcitur ex ſenſu gravitatis corporis, tenſione & dolore in hypochondrijs, potiſſimum ubi reſidet obſtructio. Deindè ex habilitate corporis & cauſis; Nam obſtructionibus maximè oportuni ſunt, qui anguſtas venas habent, præcipuè ſi craſſa victus ratione utantur,

Signa putredinis.

Signa prohibitæ tranſſpirationis.

Signa obſtructionis.

tur. Gignunt verò obstructiones humor multus aut crassus viscidusque, & propriè plethora, & cacochymia, quæ suis notis facilè dijudicantur: Semperq; obstructiones non solū factas sed etiam ab affluxu humorū foveri ostendunt signa evidentia plethoræ, aut redundantiæ crassorū viscidorū humorum & causarum hos gigentium. Pars verò obstructione affecta deprehenditur ex actione læsa, excretis, situ doloris aut tumoris, & proprijs symptomatibus. Humoris putrescentis signa sumuntur à causis evidentibus & effectis. Nam primùm accidit febris ex putredine sanguinis, ut in synocho putri, juvenibus, aut natura calidis humidis, qui multum sanguinis gignunt, liberalioríque victus ratione utuntur, aut quibus suppressa est consueta sanguinis evacuatio &c. Sanguinem putrescentem arguunt calor acris quidem, sed magis halituosus blandusque quâm à bile putrescente, & magis æquabilis, quàm à pituita, pulsus magnus, velox, urina rubra crassa, una cum lassitudine spontanea, tensione venarum, rubore faciei &c. Prætereà febris à sanguine putrescente, nisi pars major jam in bilem transierit, typo caret, & à principio ad finem usque persistit sine ullo circuitu, licet mane mitescere videatur. Deindè

Signa humoris putrescentis.

Signa febris à sanguine putrescente.

Signa febris biliosa.

Deindè febris à bilioso humore plerumque accidit juvenibus, natura calidis, siccis, æstate potissimum, qui calida sicca diæta utuntur, aut quibus suppressa est consueta evacuatio bilis &c. Humoris biliosi putrescentis signa sunt calor deurens, acriter feriens, valdeque molestus, pulsus valde velox & frequens, urina acris, flammea, initio semper cruda, sine sedimento, nausea, vomitus biliosi & dejectiones, magna anxietas, sitis ingens, oris amaritudo, labiorum & linguæ ariditas, interdum nigredo, vigiliæ, delirium, lassitudo ulcerosa præcedens, color faciei pallidus aut citrinus. Prætereà febris à bile de tertio die in tertium excandescit circuitusque habet, ac febrium intermittentium accessiones cum magno rigore pungente incipiunt, qui non ita diu durant, vigor brevis est &c. Febris à pituita dulci naturis frigidis, humidis, maxime accidit, ut bibulis, senibus, somnolentis, præcipuè qui angustas venas habent, in locis humidis degunt, & victu frigido humido utuntur, hyeme potissimum, & quibus suppressa est consueta pituitæ evacuatio. Pituitosi humoris putrescentis signa sunt, calor initio magis vaporosus quàm mordax, pòst nonnihil acris sed inæqualis, quasi per cribrum percolari videatur, ob humoris tenacitatem & crassitudinem, quæ difficulter dissolvitur.

Signa febris pituitosa.

Vrinæ

Vrinæ initiò albæ, aquosæ, & conturbatæ sunt, pòst nonnihil rubræ & crassæ, pulsus rarus, tardus, inæqualis & minor quàm in ullo alio genere putridarum, sitis nulla aut exigua, rarus sudor, nisi adsit pituita salsa, accedunt his facies laxa sublivida, subtumida, somnolentia, inappetentia, excretiones pituitosæ &c. Febris pituitosa circuitus quotidie obtinet, sed noctu magis affligit, si intermittens accessio cum frigore tantum incipit, valde longè pòst erumpit calor vaporosus, qualis à viridibus lignis accensis, duratque accessio ut plurimum octodecim horas: Febris à pituita salsa calorem magis acrem obtinet, & ad naturam bilis multùm accedit, ejusque accessiones cum horrore incipiunt &c. Tandem febris à melancholico humore putrescente accidit inprimis naturis frigidis, siccis, ætate declinante, autumno, aut sub inæquali temporum constitutione, ac etiam ijs, quibus vita multis curis & solicitudinibus implicatur, & cõsueta melancholiæ evacuatio suppressa est, per hœmorrhoides, aut lien intumuerit &c. Humoris melancholici putrescentis signa sunt, calor minùs acris, quàm à bile, sed acrior molestiorque multò, quàm à pituita dulci, similiter quoque sitis, pulsus initio tardus, rarus, languidus, pòst validior, crebrior, valde inæqualis, urina in principio *Signa febris melancholicæ*

tenuis,

tenuis,pòst varia: accedunt his corporis habitus macilentus, aridus, color corporis fuscus aut obscurus &c. exardescit ipsa febris de quarto in quartum, ac initio interdum erratica est. In intermittentibus accessio cum horrore primùm invadit, pòst succedit rigor, aut horror rigidus non pungens, ut in tertiana, sed contundens, ossaque quasi conterens: Simplices humores putrescentes exquisitas febres efficiunt: mixti simul putrescentes, nothas. Mixtorum humorum putredo judicatur ex simplicium putredine, semperque quò magis unus aliquis humor dominatur, ut in tertiana notha, bilis; in quotidiana notha, pituita; eò vis ejus magis præpollet, efficacioraque signa obtinet. Sinceri humores vehementiorem interdum febrem efficiunt; mixti, quia difficiliùs concoquuntur, validiorem & diuturniorem. Præterea humor putrescens si benignus fuerit, sive usitatam formam retinuerit, febris benigna oritur, quæ toleratu facilis est, & levia symptomata habet, cum virium robore: contrà si malignus pravamque qualitatem sive corruptionem contraxerit, supra naturam usitatam febris, aut magnitudinem febrilis caloris, sævissima symptomata obtinet, quæ vires omnes & præcipuè cordis statim initio plerum-

Signa febris benignæ & malignæ.

rumque prosternunt, quod ex debilitate pulsus, crebris animi deliquijs, delirijs, magna anxietate, & similibus constant. Continuæ febres simpliciter dictæ à synocho putri distinguuntur, quod certis periodis excandescant, sive remissiones & intensiones habeant: ab intermittentibus, quòd ultra viginti quatuor horas extendantur, & ad perfectam infebricitationem non perveniant, antequam ex toto solvantur. Deindè continuæ accessio in omnibus aut præcipuis partibus majorem prolixitatem habet, magnamq́; augmenti inæqualitatem, cũ majoribus symptomatibus, & nec sudore, nec sensim desinit, ut intermittentes. Prætereà novæ continuarum accessiones cum rigore, horrore, aut frigore, ut intermittentium, non semper incipiunt, quia ut Hipp. 4. *Aphor.* 63. quibus in febribus rigores quotidie incidunt, quotidie solvuntur, similiter quibus tertio, aut quarto die: tamen ex febribus cõpositis hemitritæus ratione intermittentis horrores obtinet. Tandem pulsus continuarum ut plurimũ celerior frequentiorq́; est, quàm intermittentium, magisq́; varius & inordinatus sine rythmo, & symptomata majora habet; ac sitis, vigiliæ, dolor capitis, anxietas & similia in continuis magis adsunt, & longiùs durant, quàm in intermittentibus.

Signa distinguentia febrẽ continuam à synocho & intermittente.

Febris

V.

Signa febriū symptomaticarum.

Febris symptomatica statis periodis non excandescit, ut febris continua primaria, raroque decretorijs diebus solvitur, deinde urinæ certūm indicium rarissimè præbent, verùm quæ ex visceris inflammatione oritur, magis acuta & vehemens est, pulsumq; duriorem obtinet, ob partis affectæ tensionem, quæ ex putredine visceri impacta, magis lenta & diuturna est, ita ut cæterarum terminos supergrediatur; ac sæpè hecticam repræsentat, totumque corpus sensim extenuat. Pars affecta dignoscitur ex functione læsa, situ, doloris proprietate, excretis, proprijsque accidentibus.

Prognostica.

Consequens est, ut de Prognosticis agamus, quæ ut rectiùs intelligi queant, res ipsa postulat, ut priùs de signis temporum morborū dicamus, ex quibus præcognoscimus non solùm longitudinem febris, sed etiam salutem & mortem, & tempus salutis & mortis.

Signa temporum febris.

Tempora febris alia universalia sunt totius decursus morbi, alia particularia in singulis accessionibus, Definiuntur autem tempora motu morbificarum causarum, & *Principium* est, quando causæ agere incipiunt, parvaque symptomata sunt, & natura nondum manifestè resistit, unde magna cruditas; *Augmentum*, quando symptomata augentur, & concoctiones incipiunt, *Status*, quando vigent symptomata & concoctio,

Cap. V.

coctio, maximaq; pugna naturæ cum morbo; *Declinatio*, quando peracta concoctione minuuntur symptomata donec desinat morbus. Febris putrida quæ hæc quatuor tempora velociter percurrit, acuta; quæ tardè, diuturna dicitur; acuta autem communiter dicta dividitur in peracutam, & acutam proprie dictam; & utraque in exquisitam, & non exquisitam; peracuta exquisite intra quartum diem ad statum venit; non exquisita intra septimum: Acuta exquisitè intra diem decimum quartum; non exquisite acuta intra vicesimum. Additur his acuta ἐκ μεταπτώσεως, quia ad diuturnas degenerat, quæ intra quadraginta dies desinit; Quæ verò hunc terminum superant, febres longæ aut diuturnæ sunt. Has febres sive durationem temporum in febribus demonstrant iuxta Gal: *com: in 1. Aphor. 12.* accessiones & constitutiones ipsius morbi, id est, forma ex talibus tantisq; universalibus temporibus constituta; deinde tempora anni, quibus congruunt aëris & regionis constitutio, ac ægri ætas & natura; tertiò circuituum invicem incrementa sive quotidie sive alternis diebus, sive pluribus fiant. Præterea signa mox apparentia, præcipuè concoctionis & cruditatis, in sputis, urinis, alvi dejectionibus & sudoribus, si statim initiò aut pòst apparuerint. Nam *primùm* ipsa

Febres acutæ & diuturnæ eàrumq; differentiæ & signa.

Signa temporum & longitudinis febris

I. Symptomatum incrementa.

febris species tempora universalia demonstrat, ejusque symptomatum incrementa; nam febres à sanguine aut bile putrescente, celeriùs ad statum deveniunt; tardius à pituita; tardissime à melancholia. Similiter in quibus symptomata febris tam propria quàm supervenientia celeriter & cum magna violentia incrementum suscipiunt, statum propinquum obtinent; quæ contrà, remotum. Quare ex putridis continuis synochus & causus exquisitus citissimè ad statum sua natura deveniunt; ex intermittentibus, tertiana intermittens exquisita, citiùs quam notha; aut quotidiana; & hæ, quàm quartana. *Deindè*, ostendunt tempora febrium ipsa anni tempora. Nam febres æstivales breviores semper sunt, longiores vernales & autumnales, longissimæ in sua specie hyemales: Similiter in aëris & regionis constitutione. Nam in constitutione aëris aut regionis calida sicca, febres acutiores sunt; in frigida humida, diuturniores, par ratio est in ætatibus naturis, victusque ratione: Nam juvenes aut natura calidi sicci, aut qui calida sicca tenuique victus ratione utuntur, febribus magis acutis obnoxij sunt &c: *Tertiò*, ostendunt tempora febrium, quæ typos habent, ipsi circuitus invicem succedentes quotidie, alternis diebus, aut pluribus, ac in circuitibus,

II. Tempora anni, ætas &c

III. circuitus accessionum &c.

tibus ipsa accessionum incrementa & decrementa. Plerumque tamen si accessio eadem hora redeat, febris in statu est, si anticipet, sine ullo errore in victus ratione &c. in augmento; si horam postponat, in declinatione. Verùm accessionis anticipatio per se signum non est incrementi, nec tardatio decrementi, nisi cũ anticipatione posterior paroxismus priore longior graviorq́; fuerit. Semper enim quando posterior accessio vehementior longiorq́; est priore, febris augetur; quando minùs gravis longaq́;, declinat; quando eadem vehementia affligit, in statu est. Verùm in exactè peracutis accidit, ut tempora ista sensibiliter distingui nequeant, & ut prior accessio contineat principium augmentum & statum ac in posteriori febris manifestè declinet. In febribus non lethalibus certissimæ universalium temporum notæ sumuntur ex signis concoctionis & cruditatis, primariò in urinis, quæ venosi generis excrementa sunt, deinde in alvi dejectionibus, aliquando in sudoribus, ac sputis, præcipuè in affectibus pectoris. In principio febris, ut diximus, signa cruditatis apparent, in augmenti initio levia signa concoctionis; quò magis ad statum accedit, manifestiora; in statu, manifestissima. Quare urina cruda, id est, aquosa sive tenuis & alba, ac sine contentis, præci-

IV. Signa mox apparentia.

In urinis.

pue hypostasi, suspenso aut nebula, febris principium demonstrat. Vrina tenuis, si ruffa aut subruffa evadat ac turbida, ad augmentum febris inclinat; si urina minus aquosa evadat ruffaque, aut in ea nebula alba conspiciatur, indicat augmenti principium: si eneorema continuum æquale, ad statum tendere: si hypostasis alba æqualis, & urina mediocris substantiæ, febrem in statu nunc esse. Semper enim quò contenta magis elevantur, eò longiùs à perfecta concoctione recedunt, potissimum in febribus benignis, in quibus incipiente concoctione nebula apparere solet, in progressu eneorema, in statu hypostasis laudabilis. Verùm ubi humores valde crudi sunt difficilisque concoctionis, initio sæpè materia multa mali coloris subsidet, deinde incipiente concoctione primum eneorema, hinc nebula attollitur, postea perfecta concoctione in hypostasin laudabilem terminatur. Pari fere ratione ex signis concoctionis & cruditatis in alvi dejectionibus tempora cognoscuntur, ex sputo in pectoris affectibus, ac etiam ex sudoribus, ut alibi in prognosticis dictum est; veluti sudores frigidi in acutis febribus, mortem; in longis, diuturnitatem portendunt. Semper in febribus signa cruditatis vel longum vel lethalem morbum designant, sed signa concoctionis securitatem

In Deiectionibus &c.

tem brevemque morbum; itaque in quibus primo ſtatim die concoctionis ſignum apparet, breve febris principium, citoque ſtatum denunciat, contra ſi multò pòſt appareant, tardè. In febribus lethalibus tempora non diſtinguuntur ex ſignis concoctionis, ſed cruditatis, & lethalibus praviſque ſymptomatibus, eorumque incremento, veluti ſi cum incremento ſymptomatum, urinæ tenues crudæque perſeverent, aut in ijs aliquid nigri ſuſpendatur aut ſubſideat, fœtidum odorem edant &c: Febres æqualiter tempora percurrere oſtendunt, æqualia acceſſionum & ſymptomatum ac concoctionis incrementa; contrà inæqualiter moveri arguit ſymptomatum magna inconſtantia, potiſſimum ubi concoctionis ſigna nunc apparent, nunc occultantur. De magis exquiſita temporum univerſalium cognitione infrà dicemus, & potiſſimum ubi agitur de tempore & modo ſalutis & mortis. Particularia tempora in ſingulis acceſſionibus faciliùs dignoſcuntur. Primum in febribus intermittentibus acceſſio cum rigore, horrore aut frigore incipit, & calore ad interiora revocato, extrema potiſſimumque pedes frigent, liventque, & pars humoris vitioſi ad interiora recurrens, anxietatem, vomitum, interdum alvi dejectiones excitat. In omnium putridarum acceſſio-

Signa temporum particularia in ſingulis acceſſionibus.

nis initio pulſus parvus inæqualis eſt, ſyſtole velocior quàm diaſtole, ac urinæ tenuiores minuſq; coloratæ. Augmentum oritur, ubi calor ab internis partibus paulatim ad exteriora ſe diffundit, & pulſus majores velociores fiunt, manēte majore celeritate ſyſtoles quàm diaſtoles. Vigor ſive ſtatus, quando calor vehementiſſimus in eodem ſtatu manet, cum maximis ſymptomatibus, quo tempore par fere velocitas eſt diaſtoles & ſyſtoles. Declinatio fit, cùm calor perſpirat & ab internis partibus ad pedes deſcendit, quo tempore urinæ magis coloratæ craſſæque ſunt, pulſus vehementiores magiſque æquales & ordinati, ſymptomata mitiora, & ſudor laudabilis erumpit. Accidit tamen febribus malignis aut lethalibus interdum falſa quædam caloris febrilis declinatio, nimirum exſoluto vitali robore, quod cognoſcitur ex pulſus magna debilitate & inæqualitate, ſudore frigido, crebris animi deliquijs &c.

Tria præcognoſcenda in ægris.

His præmiſſis conſequens eſt, ut de præſagijs in febribus putridis propriè agamus. Quemadmodum in alijs morbis, ita in his febribus tria medicum præcognoſcere convenit, *primò*, ægri ſalutem aut mortem; *ſecundò*, modum ſalutis & mortis; *tertiò*, determinatum tempus ſalutis & mortis. Signa horum ſumuntur à robore vel debilitate

Triplicia ſigna prognoſtica.

bilitate virium ægri, & à morbi violentia; quæ duo inter se pugnant: additur violentiæ morbi cognitio status morbi. Vt enim sciri nequit, an oneri ferendo aliquis sufficiat, nisi prius perspexerimus vires portantis, oneris magnitudinem, & itineris longitudinem; ita in febricitantibus eventus morbi prædici nequit, nisi priùs cognoscatur robur aut debilitas virium ægri, febris violentia, & tempus status sive longitudo pugnæ; nam post statum æger vi morbi non interit. Æstimantur autem vires ægri primariò ex functionibus, ut vires vitales, ex pulsu, naturales, ex signis concoctionis in urina, alvi dejectionibus & sudoribus; animales, ex functionibus sensus, motus, principisque facultatis, ac respiratione; æstimantur quoq; vires ex habitu vel dispositione totius corporis, vel partium, ut faciei, oculorum, narium, hypochondriorum, decubitus forma &c. ut docet Hipp. *libr. 1. Prognost*: Febris vehementia judicatur ex sua specie, magnitudine & more; species autem ex propriis symptomatibus; magnitudo ex magnitudine symptomatum; mos, id est, benignitas aut malignitas, ex supervenientibus symptomatibus, quæ triplicia sunt, alia ita simpliciter dicta, nonnulla quæ signa conco-

Signa viriũ ægri.

Signa vehementiæ febr.

ctionis & cruditatis vocantur; quædam, quæ signa critica. Accidentia simpliciter supervenientia idem semper significant, scilicet eventum bonum aut malum, non concoctionem aut cruditatem, nec crisin, veluti morbum facilè aut difficulter tolerare, mente constare vel non constare, ad ea, quæ offeruntur, benè vel malè se habere, benè aut malè respirare &c. De signis temporum morbi jam dictum est. Hinc manifestè apparet, ex signis quæ febris magnitudinem ostendunt, multa virium ægri robur aut debilitatem arguere, & tempora febris. Ex mutua comparatione roboris virium ægri ad ipsam febris sive oneris magnitudinem sustinendam usque ad extremum statum prædicere oportet primùm salutem vel mortem. Nam pòst statum in declinatione jam peracta concoctione morboque superato, nemo illius morbi ratione proprie interit, nec etiam in vera declinatione particulari, licet in falsa sæpè accidat. Quare si unà cum virium robore & morbi magnitudine tempus status morbi cognoveris, certi aliquid statim poterit non solum de salute aut morte; sed etiam de crisis tempore & modo prædici; ac etiam institui conveniens aliqua victus ratio. Atque ut à magnitudine febris sive recessu à naturali statu incipiamus, febres aliquæ sua natura valde vehemen-

Modus præcognoscendi.

vehementes & periculosæ sunt, ut acutæ, nimirùm synochus, causus, & præ cæteris pestis: in quibus, teste Hipp. *2. Aphor. 14.* non sunt certæ prædictiones salutis & mortis. Febres intermittentes, quia non assiduè affligunt, minus periculosæ sunt, quàm continuæ, item quartana & tertiana minùs quàm quotidiana: præterea febres compositæ magis periculosæ sunt, quàm simplices, ac omnium compositarum putridarum pessima est hemitritæus: Perniciosæ sunt Lypiriæ syncopales, cardiacæ, syntecticæ & similes. *Deinde* in morbis ~~magis~~ [minus] periclitantur, quorum naturæ, ætati temporum anni &c: magis congruit morbus quàm non congruit. *2. Aphor. 35.* Igitur senibus, quorum corpora frigida sunt, febres valde vehementes accidere non solent *1. Aphor. 14.* si accidant, quales juvenibus, mortem minantur. Similiter hyeme, aut in aëre frigido, febri acuta laborare periculosum: eadem in cæteris ratio. *Tertiò* benignæ febres, quibus nulla sunt mala accidentia supervenientia, periculo carēt; malignæ, quib. prava accidētia superveniūt, quæ vires labefactant, valde periculosæ & lethales sunt: Maligna accidentia sunt, frigidi sudores, extremorum frigiditas, præsertim in acutis, pulsuum debilitas, frequentia animi deliquia, respirationis difficultas, deli-

Febres magis minusq; perniciosæ: earū signa, 1. à feb. magnitudine.

II. à natura ætate, &c.

III. à benignitate & malignitate.

rium, mentis ſtupor & ſenſuum, urinæ nigræ, lividæ, & virides, aut tenues cum contentis pravi coloris, niſi interdum in criſi, frigida expiratio, difficilis tolerãtia morbi, anxietates, perverſio oculorum, labiorum & narium, facies cadaveroſa, ad pedes delabi &c: ut deſcribit Hipp. *l. 1. Prognoſt.* Quibus circa dentes lentores naſcuntur, febres vehementiores ſunt. 4. *Aphor. 53.* quia significant magnam crudorũ humorum copiam, quam ob viſciditatem calor diſſolvere nequit. Peſſimæ ſunt lachrymæ involuntariæ in febribus. 4. *Aphor. 52.* niſi oculi ſint affecti, aut criſis per hæmorrhagiã inſtet. Valde periculoſa eſt ſpiratio interrupta: convulſionem enim minatur 4. *Aphor. 64.* Similiter delirium cum difficultate reſpirandi, & ſi æger nec videat, nec audiat, pernicioſum 4. *Aphor. 49.* Si febricitanti non leviter corpus eadem mole permaneat, aut plus æquo extenuetur, malum. 2. *Aphor. 28.* prius enim magnam vitioſi humoris copiam, poſterius vehementiam febris arguit. Pernicioſum eſt, ſi ſomnus laborem fecerit, aut à ſomno pavores & convulſiones oriantur. 4. *Aphor. 68.* Item in febribus circa ventriculum vehemens æſtus & morſus, malum. 4. *Aphor. 65.* *Quartò*, Decretoria, quæ non decer-

IV. A ſignis criticis.

decernunt (scilicet morbum & symptomata non minuunt, sed vires debilitant) lethalia sunt; proinde hæmorrhagia, sudores, alvi dejectiones, parotides, &c. si tempestivè fiant, peracta concoctione, & copiosè, cum robore naturæ, bona; si intempestivè, non peracta concoctione, parcè, sola proritatione morbi, mala, sæpe perniciosa: semper enim concoctio salubrem securitatem, & bonæ crisis celeritatem significat; cruditas vero crisis defectum, malos abscessus, vehementes labores, mortem aut recidivam. Deinde nil eorum, quæ decretoria sunt, exiguè secerni convenit, sed quæ ita evacuantur, alterum duorum subeunt: aut enim quod nequeant tolerare copiam aut malignitatem, ab affectis effunduntur partibus; aut imbecillitatem naturæ ostendunt, quæ superflua quidem expellere nititur, sed in ipso conatu deficit. Quare initio febris acutæ, si rubra sanguinis stilla è naribus defluat, malum: magis adhuc perniciosum & subitam mortem portendit, si cum atri sanguinis stillatione sudor frigidus appareat. Sudor crebrò accidens, febre non deficiente, malum. 4. *Aphor.* 58. denotat magnam vitiosi humoris copiam. Pessimi sunt sudores frigidi, circa caput & cervicem præcipuè, nam

nam cum acuta febre, mortem; cum mitiore, diuturnitatem ejus significant. 4. *Aphor.* 37. Quibus morbus regius ante septimum diem accidit, malum. 4. *Aphor.* 62. nisi aliqua evacuatione leventur. Rigor superveniens in continuis ægro jam debili, lethale. 4. *Aphor.* 46. Morbis incipientibus, si atra bilis supra infràve exierit, perniciosum. 2. *Aphor.* 22. Virium ægri robur & debilitas cognoscitur ex functionibus & habitu corporis, ut in præsagijs latiùs delaratur.

Ex comparatione virium ægri & magnitudinis morbi prædicere salutem aut mortem, &c.

Cognitis viribus & magnitudine morbi, ea inter se comparare convenit. Semper quò vires ægri robustiores sunt, eò periculi magnitudo ex morbo minuitur; quò debiliores augetur. Quare febres, quæ maxime lethales existimantur, ut pestilentiales, ob virium robur minus lethales aut periculosæ efficiuntur, & periculosæ, ut causus, salutares; contra ob virium debilitatem periculosæ, redduntur plane lethales. Ægri vires omnes hîc intelligo, quibus gubernatur quarum dignissimæ sunt vitales, quarum robur & debilitas ex vehementia & debilitate pulsus æstimatur. Verùm in bonis signis, quæ salutem promittunt, primum locum tenent, quæ robur virtutis vitalis demonstrant, nimirum signa concoctionis, in urinis præcipuè. Nam morbus ab humore

ante

ante concoctionem nunquam perfectè solvitur, attamen in extremè lethalibus febribus, ut febribus pestilentialibus & hectica, cum pessimis symptomatibus, interdum urinæ sanorum similes videntur. In signis mortem denunciantibus majorem vim habet debilitas, non solum virtutis vitalis, quæ ex debilitate pulsus crebrisque animi deliquijs, sed etiam animalis quæ in magna respirationis debilitate observatur. Vbi enim vis animalis ob debilitatem musculos thoracis movere nequit, respiratio læditur, unde vita tollitur. Quare ubi respiratio ad eam debilitatem devenit, ut ad eam perficiendam omnium musculorum genera concurrant, nariumque pinnæ contrahantur, spiritusque frigidus per os & nares exeat, lethale est.

II. Quomodo præcognoscitur modus salutis & mortis.

Modus salutis aut mortis paulatim, aut subitò fit: paulatim autem febres diuturnæ salutares concoctione interdum solvuntur, lethales extinctione caloris nativi sensim ad mortem aliquando tendunt. Subitus eventus alius cum pugna naturæ & morbi, alius sine pugna, ipsa natura à morbo ita violenter oppressa, ut resistere non valeat, unde subitus interitus, qualis interdum initijs accessionum contingit, ob humorum crassorum viscidorum copiam intrò confluentium, vias spirituum intercludentium, ut

calor

calor nativus ſuffocetur. Pleræque febres putridæ criſi terminantur ad ſalutem vel mortem. An criſis aliqua ſit futura, & qualis, ſcilicet bona aut mala, & quando ſciri nequit, niſi tempus ſtatus cognoverimus. *Criſis quando optima.* Optima, maximè ſalutaris criſis fit in ſtatu univerſali, peracta concoctione: deinde cum ſubitâ totius morbificæ cauſæ excretione per ſanguinis fluxum, ſudores, vomitum, alvi dejectiones aut urinas potiùs, quâm per translationem materiæ, unde abſceſſus, icterus, maculæ: tertiò ſine periculo & gravibus ſymptomatibus cum virium robore; præterea die critico bono ut die tertio, quarto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto, &c. prius indicato. Nam quartus eſt index ſeptimi; undecimus decimi quarti &c. *Mala criſis.* Mala criſis has omnes notas non habet, ac deterior ſemper eſt, quò ſtatum longiùs antevertit, cum malis ſignis & virium debilitate. Nam in febribus ſalutaribus quia ipſius magnitudo non feſtinat, nec expultricem violentius irritat, Criſis ipſùm ſtatum exſpectat: in minus ſalutaribus, quia expultrix violentia morbi irritatur, ante ſtatum & concoctionem perfectam ad pugnam cogitur, unde criſis mala imperfecta inſida, quod ſi ægri vires in aut poſt pugnam

Præcognitio crisis temporisq; salutis & mortis in qualibet febre.

gnam ad extremum statum sufficere nequeunt, necessariò morietur. De præcognitione temporis universalis status in genere suprà dictum est; in specie præcognitio temporis crisis in salutaribus, & mortis in lethalibus febribus, omnium dictorum signorum accuratam considerationem postulat. Si æger igitur primo die valde acutè febricitans, omnia signa salutaria habeat, & urinam mingat modicè crassam beneque coloratam, primis quatuor diebus crisin habebit, eoque magis, si nebula alba aut eneorema adsit, adhuc magis, si hypostasis laudabilis : contra si primo die signa omnia lethalia habeat, quarto die aut citiùs morietur. Iudicatur synochus putris ut plurimum quarto die, sed causus & continua tertiana, quia imparibus diebus moventur, si exactè peracuta tertio die, si minus peracuta, quinto aut septimo. Si primo die æger non valde acute febricitet & urina aquea sit, in longius tempus protrahetur febris; quamdiu autem, oportet in singulis quaternarijs adjectis, diligenter observare, qui indices sunt septimanarum ; Nam si quarto die manifestum, fidumque signum concoctionis appareat, nimirum nubecula rubra, febrisque peracute moveatur, septimo die crisis expectanda erit, si nihil fuerit erratum, viresq;

viresque robustæ. Sin erratum fuerit aut signa concoctionis non ita manifeste appareant, nono aut undecimo die: Qui verò quarto in pejorem statum convertuntur, sexto plerumque moriuntur, rarissime septimo, interdum si vires sufficiant octauo. Si post conversionem aliquam ad meliorem statum quarto die incidentem in peracutis, crisis sexto die evenerit, ut in causo exquisito, ea valde infida erit cum summa perturbatione & periculo, pravis aut immoderatis excretionibus, ictero aut malignis parotidibus. Si septimo die nulla sunt satis evidetia signa concoctionis, speranda est crisis decimoquarto, cujus index est undecimus; quare quando undecimo die manifestum signum adest, nihilque erratum, decimoquarto die crisis erit: si non ita manifestum, febrisque lentius moveatur, die decimoseptimo aut decimooctavo, aliquando vigesimo. Contra si undecimo die signa omnia prava appareant, circa decimumquartum morietur. Vbi verò undecimo die nihil indicatum est, decimo quarto crisis accidere nequit. Si die decimoquarto integra cruditatis signa permanserint, ante quadragesimum diem crisis bona vix sperari poterit. Si non integra, & morbus nonnihil acutè moveatur, circa vicesimum diem accidere poterit, quod decimusseptimus

mus indicabit, quo tempore quotidiana continua plerumq; terminatur, si nil erratum fuerit. Nam ob erratum vel medici in pravo usu medicamentorum, vel ægri in victus ratione, vel assidentiū, vel rerum extrinsecus advenientium, febres breves diuturnæ redduntur, & quæ periculo vacant, periculosæ, interdum lethales. Si febris nimis acuta & valde periculosa sit, viresq; debiles, mors in longum differri nequit, diem mortis indicabit quaternarius præcedens. In febrib. quæ circuitus habent, non solùm dies, sed etiam hora mortis interdum prædici poterit, si observaverimus, in quo accessionis tempore præ cæteris æger maxime gravatur, maximeq; periculosa symptomata sequunt; eo enim tempore paroxismi sive horæ reditus ejusdem morietur. In continuis febribus dies numerantur, & qui paribus moventur, paribus potissimum judicantur, qui imparibus moventur, imparibus potissimum judicantur, si nil erratum fuerit: at hæ febres nisi imparibus reliquerint, recidivam facere consueverunt. 4. *Aphor.* 61. In intermittentibus pro diebus numerantur ut plurimum circuitus accessionum, ita tertiana exquisita intermittens septem circuitibus terminatur. 4. *Aphor.* 59. quotidianæ intermittentes intra quadraginta dies ut plurimum desinunt. Quartanæ inter-

Prædicere horam mortis.

mittentes diuturnæ sunt, potissimum autumnales, quæ hyemem attingunt, desinunt interdum tribus mensibus, sæpè sex, aliquando anno aut biennio &c: Instans crisis præcognoscitur ex subita præter rationem corporis perturbatione, nam quibus futura crisis est, nox gravis est ante accessionem; pòst, ut plurimum levior. *2. Aphor. 13.* Interdum alvus & urinę præter rationem supprimuntur, & rigor criticus supervenit. Nam in ardente febre si rigor supervenerit, viresque debiles non fuerint, à morbo liberantur. *2. Aphor. 38.* Sed quibus in febribus rigores sexto die fiunt, difficulter judicantur. *4. Aphor. 29.* Quibus verò certo die rigores repetunt, eodem die solvuntur, *4. Aphor. 63.* Iudicatur febris putrida per hæmorrhagiam, vomitum, sudores, alvi dejectiones, urinas, menses; Aut translationem materiæ, ut abscessum, icterũ, maculas &c. Crisis per hæmorrhagiam accidit præcipuè vere, naturis temperatis, & juvenibus, aut biliosis ante tricesimum annum. Instantis hæmorrhagiæ signa sunt, gravitas circa frontem, tempora; pulsatio ibidem magna arteriarum, rubor faciei, oculorum, narium & cervicis, pruritus narium, crebræque sternutationes, manus tremulæ, urinæ alvique excrementa candicantia &c: Hic fluxus salutaris est, si fiat die critico, & affatim fluat non guttatim, & è directo partis affectæ:

Signa instantis crisis.

Quomodo fit crisis.

1. Signa crisis per hæmorrhagiam.

Nam ſtillare, ut diximus, peſſimum eſt, præcipuè quarto die. Criſis per vomitum accidit poſt annum triceſimum, ac pueris ſæpè, & in febribus valde bilioſis, ac morbis in cava jecoris: prænunciant, Dolor magnus capitis, cum gravitate, viſus hebetudine, vertigine, delirijs &c. horror partium inferiorum; pulſus altus, durus, inæqualis; faſtidium; morſus orificij ventriculi; inconſtantia labij inferioris, tenuis ſputatio &c. Criſis per ſudores familiaris eſt naturis humidis, conſtitutione humida: ejus ſigna ſunt, alvus & urina præter rationem ſuppreſſa; rigor vehemens ſuppreſſionem conſequens, & poſt ſudorem vapor calidus per totum corpus erumpens, cum externarum partium inſolita caliditate & rubore; pulſus mollis, undoſus; acceſſione increſcente deliriū &c. Cæterarum excretionum nulla propria ſigna ſunt: Verùm ſi rigor ſuperveniat citra ſuperiorum excretionum notas, ſi alvus ſit ſuppreſſa, & urina copioſior ſolito erumpat, Criſis per urinas erit: Contrà ſi urina ſit ſuppreſſa, & alvus liberaliùs fluat, cum rugitu & morſu inteſtinorum, criſis per alvi dejectionem: In mulieribus, lumbis prægravatis, tenſis & dolentibus, Criſis per menſtruorum eruptionem ſperanda erit. Si nulla adſint ſigna ſenſibilis evacuationis, ranslatione febris judicabitur. Quos fe-

II. Signa per vomitum.

III. Signa per ſudores.

IV. Signa per alvum, urinas, &c.

bres diuturnæ exercent; ijs tubercula, aut dolores in articulis fiunt 4. *Aphor.* 44. Quibus febris acutæ crises, per excretiones potissimum, ut per hæmorrhagiam, maximè in synochis, febribus ardentibus, & inflammatione viscerum, non raro per sudores, interdum per urinas: & in biliosis febribus etjam per vomitus & dejectiones biliosas &c. Verùm quibus abscessus in articulis expectatur, ab abscessu vindicat urina multa, crassa, alba, qualis in febribus laboriosis exire solet, quartum diem agentibus: Quod si hæmorrhagia accidat, multò celerius liberantur 4. *Aphor.* 74. Quibus per febres aures obsurduerint, ijs sanguis ex naribus profluens aut turbata alvus solvit morbum. 4. *Aph.* 60. Sudores in febricitantibus qui die 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. &c. eveniunt, boni judicij sunt, & febres solvunt: qui alijs eveniunt, laborem, morbi longitudinem, aut recidivam significāt. 4. *Aph.* 36. Quibus per febres morbus regius die 7. 9. 11. 14. supervenerit, bonū, nisi dextrum hypochondrium durum sit. 4. *Aph.* 64. In alvi profluvijs criticis excrementorum varietas juvat, nisi in pravam transmutata fuerint naturam. 2. *Aphor.* 13. Quæ post crisin relinquuntur, recidivas facere consueverunt. 2. *Aphor.* 12. relinqui autem ostendit virium debilitas, quæ alimentis refici nequit, ac proinde evacuatione indigent.

METHODVS CVRANDI FEbres putridas in genere.

CAPVT VI.

CVm artis ſcientiam nanciſci non liceat, niſi methodum quandam habuerimus per univerſalia theoremata, & in particularibus nos exercuerimus, ideo ut curatio febrium putridarum, quæ latiſsimè patet, accuratiùs explicetur, ratio exigit, ut primò methodum curandi febres putridas in genere proponamus; deinde in ſpecie ſingularum putridarum conſiderationem & curationem; quod enim omnibus commune eſt, communem; quod ſingulis ſpeciebus proprium, in tantum à cæteris diverſam requirit curandi rationē. Methodus curandi per indicationes procedit, quæ ipſa auxilia, verumq́ue auxiliorum uſum inſinuat, quare ut methodo curemus febres putridas, requiritur primùm, ut ipſa indicantia ad curationem ipſam neceſſaria proponamus; deindè materias auxiliorum earumq́ue uſum. Indicantia autem in febribus omnibus putridis authore Galen. *10. Meth. med. cap. 1. & 2.* ſunt primò febris ipſa; deinde ejus effectrix cauſa, tertiò ægri vires. Priora duo ſui ablationem inſinuant, tertium ſui cuſtodiam. Et quamvis à ſolâ febre ſumatur propriè curativa indicatio;

Methodus curandi.

Indicationes curativæ.

à causâ febris, præservativa; à viribus, conservativa: tamen in morbis, qui à causâ foventur, ut febres putridæ, per abusionẽ mixtum genus ex curatione & præservatione, quam προφυλακτικὴν Græci vocant, curatio etiam dicitur: nam putridarum curatio προφυλακτικὴν quandam adjunxit; cujus officium est, causam, quæ febrem excitat, adimere; quæ in diarijs & hectica necessaria non est. Vires quidem virtusque naturalis in ægris, sublationem febris putridæ non indicant, sed vires ipsas propter vitæ custodiam propriè respicimus: Verum quia virium gratia ipsam curationem mutare interdum cogimur, & sine viribus frustra remedia administrantur, in curatione putridarum virium respectus necessariò habendus est, quarum conservatio ex accidente ad curationem facit: nam cum putredo in corpore gignitur, curatio postulat, id, quod iam cõputruit, evacuare, quod adhuc putrescit, ad temperiem reducere, cum his, quæ alterant, refrigerando & ventilando ac simul concoquendo; quare quæcunque virtutem naturalem roborant, ea putrescentia sanant.

1. Indicatio à morbo. Prima autem indicatio, quam exhibet morbus, est contrarietas, ergo febris, qua intemperies calida sicca est, per refrigerantia humectantia propriè curari debet: verum cum satis non sit, calido affectui adhiberi frigida, nisi

nisi in debitâ mensurâ & modo, naturam, sive temperamentum corporis scire oportet ex habitu, ætate, sexu, consuetudine, vitæ victusq́, ratione & similibus: Nam febris illa, quæ plurimum à naturali ipsius ægri habitu recessit, validioribus refrigerantib. indiget; quæ parùm, levioribus: Itaq; natura calidiores, ut juvenes, in quib. minor recessus à naturali statu, mitiora refrigerantia postulant; contrà senes aut natura frigidi, validiora. Similiter natura humidi, ut pueri, & qui humidis assueti sunt, magis humectantia requirunt. Adjungendi his ex rebus non naturalibus aëris ambientis constitutio ex tempore anni, regione, & cęli statu, quatenus coindicat vel contraindicat morbo, id est, causæ nocentis vel juvantis rationem habet. Nam aëris ambientis cõstitutio calida, quia coindicat morbo, validiora refrigerantia insinuat, contrà aër frigidus, leviora. Affectui quidem simplici convenit simplex curatio; verũ in putridis, quia manet causa, simplex curatio locũ non habet. Nam quod febris iam receptũ est in corpore, id ex propria indicatione discutere oportet, quod futurum est, propulsare, sublata causâ; Causa immediata febris est, humorum putredo: putredinis verò præcipuè transspirationis prohibitio; hinc vasorũ obstructio, demũ excrementorum copia aut crassities & lentor, juxta

II. Indicatio à causis febris.

naturam & differentiam febris: Proinde ut indicationes, quæ à causa sumuntur intelligamus, oportet scire: Primò quot sint in universum putridarum differentiæ; deindè, quæ omnium communis indicatio, quæ singulis propria. Nam quod omnibus est commune, communem; quod singulis proprium, in tantum à cæteris diversam exigit curationem.

ut à putredine.

Ipsa putredo causa febris continens juxta Gal. *11. Meth. cap. 8.* duobus potissimum curatur: nam quemadmodum in corporibus, quæ non vivunt & putrescunt, primò, quantum eorum, quæ putruerint, separamus, deindè, quod reliquum est, in frigidum aërem sublato per transspirationem, refrigerationem molimur: ita & putredinem, quæ in vivis orta est, sanabimus, nimirum id, quod corruptū est, omni ratione evacuantes, quod reliquū est, moderatis motibus & refrigerante perspiratu ad exactam συμμετρίαν reducentes. Evacuatur id, quod corruptum est, sensibiliter, per dejectiones, vomitus, urinas & sudores, insensibiliter adhibitis frictionibus, aliquando balneis, moderatis motibus, medicamentis resolventibus, aëris bona temperie. Causæ putredinem gignentes, vel adsunt, actuque fovent, vel absunt: Deinde ipsa putredo vel æqualiter diffusa est per totum corpus, sive in omnibus vasis continetur,

tur, aut maximè principalibus inter alas & inguina, vel in una particula, quæ aut phlegmonem in se habet, aut citra phlegmonem, veluti in foco quodam principium febris in se continet. Causæ putredinem gignentes si absint, nil requirunt, sufficitque indicatio à putredine, quâ sublatâ, febris facilime tollitur: sed si adsint, pro sua natura contraria indicant, licet illa contraria, teste Gal. *12. Meth. med. cap. 13.* nominibus propriis interdum careant. Causa putredinis interdum est aer corruptus, ut in peste, de qua peculiari loco dicetur: Præcipua & immediata est, transspiratio prohibita, quæ indicat, ut fuliginosa excrementa retenta evacuentur, & quod retinendum est, prohibeatur sublatâ causâ, quæ rarius est sola meatuum sive pororum cutis constipatio, plerumque vasorum obstructio. Obstructionis causæ sunt humorum copia vel crassities aut viscidítas: singulę causæ per contraria submovenda sunt, ut meatuum constipatio per relaxantia fundentia; condensatio per rarefacientia; vasorum obstructio per deobstruentia, id est, aperientia, detergentia; nimia humorum copia per ea, quæ evacuant; humorum crassities per attenuantia; lentor per incidentia. Si totum corpus horum singula occuparint, toti per contraria est succurrendum; sin unam partem, illi ac-

A causis putredinis.

commodanda remedia, habitâ ratione temperamenti, formæ, actionis, situs & sensus ejusdem. Quemadmodum autem in febris curatione duæ sunt indicationes; quod iam genitum est, discutere; quod in generatione adhuc est, inhibere, submota causa; ita quoq; in singulis causis ad primam usq;: nam ab ipsa putredine erunt, quod putredinis genitum est tollere, quod adhuc futurũ, sistere sublata causa, id est, transspiratione prohibita. Similiter transspirationis prohibitæ indicantia sunt, quod retentũ est, evacuare, quod retinendum prohibere, sublata meatuum constipatione & obstructione. Eodem modo in obstructionibus, quod venis impactum est, educere deobstruentibus, id est, aperientibus, detergentibus, deinde affluxum humorum obstruentium prohibere; Prohibetur humorum obstruentium affluxus, revellentibus & refrenantibus; sed copia humoris, evacuantibus; crassities & lentor corrigitur primum attenuantibus; deindè affluxus eorum prohibetur evacuantibus. Hic ordo indicationũ à causis in putridis, ubi semper quod ultimum est in resolutione, id omnium primum sit in actione. His si adjeceris indicantia, quæ à curandis sumuntur particulis, & quæ à viribus, absoluta erit methodus curandi febres putridas.

III. Indicatio à viribus. Indicant autem vires sui custodiã, quæ similibus

libus perficitur, quia vero ſubſtantia virium completur ex ſpiritu, ſubſtantia carnoſa, ex ſolidis, unicuiq; cuſtodia moliri ſimilibus convenit: ſpiritui libera transſpiratione, reſpiratione, & qui à ſanguine attollitur, vapore; ſolidis ex ſolido alimento; carnoſis, per ea, quæ in medio ſunt humidorũ & ſolidorum. Servanda naturalis temperies in ægris habita ratione ætatis, conſuetudinis &c: ac ſimilia ſimilibus accõmodanda, quare qualitas eorum, quæ viriũ gratia exhibentur, ex ipſius ægri naturali temperie; menſura ex conſervandæ ſubſtantiæ quantitate æſtimatur. Conſervantur quoq; vires ex eo, quod de ipſarũ ſubſtantia non ſolum inanitum eſt, ſed & alteratum, corrigendo, deinde prohibendo, quæ ipſarum ſubſtantiã evacuant & alterant. Atque in genere hæ ſunt indicationes, obſervandæ in Methodica curatione omnium febrium putridarum. Verùm ut ritè curemus, conferendæ erunt indicationes interſe, & ſi conſentiant, quæ febrem extinguunt, & ejus cauſam oppugnant, (ut in bilioſis potiſſimum) & vires facilè ferant, ſine cunctatione agendum erit; incipiendo ab eo ſemper, quod cauſæ rationem habeat: ſin diſſentiant indicationes, & vel quæ febrem oppugnant, cauſam ejus augeant, vel vires ea ferre nequeant, diligens adhibenda conſideratio, utra indicatio magis urgeat: *Collatio indicationum.*

urgeat: si indicatio à causâ, ab eâ sine cunctatione incipiendum, ut in febribus pituitosis: si indicatio à febre, ei primum occurrendum non neglectâ causâ. Vbi conjicimus vires remedia ferre posse, primum causa, deinde febris tollenda erit, si non ferat, ante omnia virtus roboranda erit, ut præsidia sustinere queat: nam virium maxima dignitas est. Igitur quicquid indicationi, quam vires præstant, adversatur, id vel non administrandum, vel paulatim, aut quo tempore vires debiles sunt, tantum reficiendum, nihilq́; adhibendum, quod substantiam earum evacuat, aut vehementer alterat, ut purgationes, phlebotomiæ. Ab illis causis putredinis incipiendu erit, quæ in resolutione ultimum locum habent, ac primum redundantia humorum evacuanda erit: si plethora, per sanguinis missionem; si cacochymia, magis per purgationem. Sed ut humores affluentes & impacti educi melius queant, oportet crassa attenuare, viscida incidere, deinde obstructiones reserare aperientibus, detergentibus, & expurgantibus, semperq́ue interea virtutem naturalem roborare, ut humores vitiosos facilius concoquat; ac simul transspirationem liberam procurare per poros cutis, rarefacientibus relaxantibus; & si ulla sit malignitas, eam corrigere alexipharmacis.

Ordo in curatione observandus.

Quod

Quod si in curatione ista, vehemens symptoma incidat, vires debilitans ut syncope, vigiliæ, deliria, &c. ei primùm occurrere convenit: cum virium prima sit dignitas. Si putredo in totum corpus diffusa sit, sive in omnibus vel præcipuis venis contineatur, ut in febribus continuis, proprieque in synochis, toti succurrendum erit per venæ sectionem, quæ æqualiter à toto evacuat. Deinde si quid defecerit aut deinceps computruerit, expellendum quò natura fertur, per alias evacuationes; ac tandem ut corpus melius transspiret, cutem rarefacere & poros ejus aperire expedit. Si causa putredinis sive phlegmone in una parte constiterit ut in jecore, liene &c. ex obstructione vasorum: præter indicationes universales febris à putredine, obstructione &c. adjungendæ sunt indicationes sumptæ à partis illius temperamento, actione, forma, situ & sensu. Sin febris sit à phlegmone partis ut in pleuritide, phrenitide &c ubi febris putrida morbi symptoma est, in curatione cũ his omnibus indicationibus, observandæ sunt illæ, quæ ab ipsa inflammatione sumuntur: Nam dum inflammatio incipit, influentem humorem, à parte affecta revellere convenit, ipsique parti repellentia adhibere; In incremento, ubi fluxio nondum cessavit, repellentia mixta digerentibus; ubi

CAP. VI.

ubi nil amplius influit, tantùm digerentia &c. Hæ sunt indicationes & scopi adhibendi in cura putridarum.

Materia auxiliorum. Materia sive instrumenta auxiliorum, per quæ operationes istæ perficiuntur, sunt Diæta, Chirurgia & Pharmacia. *Diata*, quæ curam sex rerum non non naturalium continet, primum locum tenet in curatione. Nam vires morborum indicatrices tuetur, & sine diæta nulla febris curatur, licet sine pharmacia & chirurgia multę indies sanentur. Observanda autem eo diligentius est in his febribus commoda victus ratio, quod errores in victus ratione, præcipuè in usu alimentorum, totam ipsarum curationem ut plurimum pervertant, & ægros in summum periculum deducant. Ac primùm aer ambiens ad vires conservandas in sanis servit, quatenus substantiam spiritus reficit, & calorem in corde contemperat. Verum in febricitantibus, non solum vires reficit, sed etjam, si rectè administretur, ad ipsam quoque febrem curandam usum præstat, cùm assidua inspiratione ad cor feratur, ubi residet febris. Aër itaque in febribus purus nitidusque esse debet, qualitate evidente frigidus humidus, æstate potissimum: decet quidem febricitantem cubare in aperto loco, nitido, frigido, ut aër frigidus inspiretur, sed stragulis levibus mollibusque opertum,

Diata.

I. Aër.

 CAP. VI.

rum,ut calor ad exteriora trahatur, & fuliginosa excrementa melius transspirent; ne pori cutis ab externo frigore constringantur. Si aër ambiens talis non sit, ut æstate, paretur in cubiculo ad septentrionem verso, sternendo pavimentum herbis frigidis &c. ut in curatione hecticæ dictum est. Sin nimia frigiditas sit, ut hyeme, contemperatur nonnihil igne sine fumo. Deindè in victus ratione quo ad alimenta observanda est debita forma, quantitas, qualitas alimentorum, ac tempus modusque utendi: quæ omnia metiri convenit penes collationem virium ægri & morbi. Alimenta indicant vires, ut id, quod assidue absumitur, reficiatur, in sanis quidem absolutè, in ægris prout toleratur & permittitur à morbo. Morbus autem propriè cibos non postulat, & in febribus putridis cùm humor putrescens partim concoqui, partim educi debeat, si natura in cibo occupetur, necesse erit ab his actionibus averti, & accessu materiæ morbum augeri. Quare congrua moderatio alimenti requiritur, ut natura concoctioni materiæ morbificæ magis incumbat. Nam alimẽta amica quidẽ naturæ sunt, quatenus vires roborant, sed inimica quatenus materiā morbificā augent, quævires opprimit. Cum .n. corpora hac febri laborantia impura

II. Alimenta.

impura ſint, quantò magis nutries, tantò magis lædes. 2. *Aphor.10.* id eſt, copiam humorum & obſtructiones ac putredinem augebis. Vnde Hipp. 7. *Aphor. 67.* Si quis cibum febricitanti dederit, ſano quidem robur, laboranti morbus. In forma victus conſtituenda norma ſit ſtatus ſive vigor febris, ſemperque ea victus ratio conſtituenda, qua vires ægri ad ſummum febris ſtatum perdurare queant. Perdurant autem in acutis, in quibus brevi futurus eſt vigor, tenui victus forma, idque eò magis, quò magis acuta febris. Contrà in Chronicis quò diuturnior morbus & ſtatus remotior, eò plenior victus ad vires longiore tempore conſervandas requiritur. Cùm igitur febris peracuta eſt, & cito extremos labores habet, id eſt, ſummum vigorem, tenuiſsimo victu utendum eſt; quod ſi non eſt, pleniorem victum exhibere licet, tantum de extremo tenui remittentes, quanto extremis morbus fuerit remiſſior. 1. *Aphor. 7.* Quare in exquiſitè peracutis febribus, quæ intra quartum terminantur, ut ſæpe ſynochus & cauſus, exquiſitiſsimè tenuiſſima victus forma locum habet, quæ veteribus inedia fuit. In non exacte peracutis, quæ intra ſeptimum diem deſinunt, ſimpliciter tenuiſſima, ex aqua hordei, aqua panata, jure prunorum, aqua mulſa &c. In exquiſite acutis, quæ intra diem

Victus forma eiusq; norma.

diem decimumquartum, exactè tenuis victus forma, ex ſorbitionibus tenuioribus ut cremore hordei, jure pulli cũ modico panis &c: In non exactè acutis, quę intra viceſimũ diem, ſimpliciter tenuis ex ſorbitionibus craſſiorib. ut ptiſanâ integrâ, panatellâ, craſſiore avenato &c: In Chronicis febribus eò craſſior victus forma debetur, quò ab acutorum natura longius recedunt, ex piſcibus ſaxatilibus, carnibus pullorum gallinæ, vituli, hædi, ovis ſorbilibus &c: Verùm quia hoc tempore ob conſuetudinem & in his regionibus ſeptentrionalibus ægri inediam difficulter ferunt, ideò in exactè peracutis, loco inediæ, cogimur non ſolum potiones, ſed etiam ſorbitiones concedere; eadem in cæteris ratio, ut virium rationem habeamus. Nam ante omnia vires intueri oportet, & non ſolùm præſentes ſed etiam futuras; an cum tali victus ratione ad ſtatum uſq; perdurare queant; ſi nequeãt, potiꝰ in exceſſu quàm defectu peccare, quia nimis tenuis diæta multo periculoſior eſt paulò pleniori, *1. Aph. 5.* & ægri delicta in defectu quã exceſſu difficiliùs ferunt. Deindè conſiderandum, an debilitas virium per oppreſſionem fiat à morbi & ſymptomatum violentiâ, ex copia aut cruditate vitioſorum humorum; an per diſſolutionem ob utilis alimenti defectum, magnaſq; evacuationes: Si per oppreſſio-

R nem,

nem, tenuior victus debetur; sin per dissolutionem, victus formam augere oportet. Tertiò an virium debilitas contingat defectu substantiæ spirituosæ, carnosæ & solidæ, ut unicuiq; per sibi similia refectio præscribatur, ut in curatione Hecticæ latiùs demonstratum est. Tandem in Diætæ forma cæterisque partibus observare oportet ægri naturam, ętatem, consuetudinem, tempus anni & regionem. Nam juvenes & natura vividiores tenuem diætam graviùs ferunt; similiter qui crassiore victu multisque cibis assueti sunt, item hyeme, & in regionibus frigidis magis, quàm æstate, & in regionibus calidis, igitur plenius nutriendi sunt. In cujusque febris curatione una victus forma, quantum fieri queat, servanda est, & quantitas præcipuè mutanda, pro ratione temporum ipsius febris, & incremēto symptomatum. Quantitatis quidem norma sunt vires, in sanis, simpliciter; in ægris tantum, prout permittit aut prohibet morbus, quæ ut cognoscatur, vires cum febri sunt comparandæ. Nam pro incremento aut decremento febris, augetur aut minuitur quantitas alimenti. Vnde quando febris maxima vis est, ut in vigore, tunc omnium tenuissimo victu utendum est. *1. Aphor. 8.* sive nullis aut quam paucissimis alimentis, alijs temporibus plus, & initio febris liberalius,

Quantitas victus.

lius, in augmento parcius, in vigore parcissime, in declinatione liberalissime cibandum: semperq; ab initio ad statum usq; magis in excessu quàm defectu peccandum, in vigore minus. Verùm in his perpendenda est morbi natura motusq; secundum vehementiam symptomatum, potiùs quàm concoctionis vigorem. Plerumq; febres putridæ lentè incipiunt, sensimque augentur, ad concoctionis usq; vigorem & crisin: Interdum aliquæ circa initium gravissimè sæviunt, quę incipiente concoctione sensim mitescunt, ut pleuritis & febres nonnullæ biliosæ, ob copiam & cruditatem humorum: Nonnnullæ lentè incipiunt, augentur, sed ante crisin sensim se remittunt. In omnibus quo tempore maxima vis morbi est, & symptomata maxime urgent, tenuissimo victu utendum est, & remissis symptomatibus augendus. Sed in his moderandis observanda est ægri natura, consuetudo, anni tempora, & regio, ut suprà.

Victus, respectu qualitatis ciborum alius medicinalis non est, ex cibis quæ alimenta tantùm sunt, virium conservandarum gratia; alius medicinalis, ex alimentis medicamentosis, quæ vires reficiunt quidem, sed simul morbo & morbificæ causæ resistunt. *Qualitas victus.* Cibus autem ac etiam potus, ut alimentum tantùm vires respiciunt, in febribus facilis *Cibus simplex.*

concoctionis & distributionis esse debet, boni succi, pauci excrementi, & qui non facilè corrumpitur, sed in febribus acutis potissimum non multi nutrimenti, veluti primum sunt sorbitiones ex jure pulli gallinacei, aut vituli &c: Panatella ex jure pulli, jura restaurantia ex carnibus coctis contusis & expressis, jus in quo elixus contabuerit pullus gallinaceus &c: panis triticeus fermentatus benè coctus interdum lotus, deindè pisces saxatiles, aviculæ montanæ. In longis febribus, carnes pullorum gallinæ, capi, vituli, hædi, vervecis minoris, perdicis, phasiani, ova recentia tremula &c: Cibus, ut Medicina, febri, quà febris, frigidus humidus debetur; Ratione causæ id est, obstructionum &c: incidens, aperiens, detergens, sed non semper frigidus aut humidus, si causa febris repugnaverit, multoq; potentior fuerit. Nam ei, quod maximè urget, potissimùm occurrendum erit, veluti in quotidianis febribus, quia ipsa febris debilis est, sed causa, scilicet obstructio à crassis viscidis humoribus, valida est, maximeq; urget: Igitur causam, humorem pituitosum, alterantibus, valideq; extenuantibus & incidentibus, & proinde calefacientibus curare convenit, ut infrà apparebit. In omnibus putridis aperiens & extenuans victus ratio utilis est, sed in febribus à materià calidà,

Cibus medicinalis.

semper

semper refrigerãs, in cæteris minus, sed magis deobstruens. Ac primum ptisana hordei in febribus omnibus commendatur, refrigerat enim & humectat, simulq; extenuat & aperit, nullamque evacuationem sistit; ptisana autem duplex est, una simpliciter dicta, sive ptisana integra non colata: altera colata, succus aut cremor hordei. Sumatur hordei macerati horis aliquot in aqua tepida ac à corticibus mundati lib. 1. aquæ purissimæ affusæ lib. 18. aut 20. coquantur lento igne, donec plane concoctum fuerit, & in massam conglobetur, oritur ptisana integra, quæ posteà cum expressione colata cremor aut succus hordei dicitur; adduntur interdum in decoctione passulæ minores & radices appropriatæ: quidam hordeũ mundatum in jure pulli coquunt: Alij potius probant cremorem illum ptisanæ cum jure pulli alterati acetosa, fœniculo &c: miscere. Pro ptisana hordei substitui interdum poterit cremor avenæ, aut avenatum. Ex herbis in febribus ex materia calida, probantur lactuca, acetosa, endivia; Ex fructibus cerasa & cerasium, semina quatuor frigida, pepones, si citò ventre transeant, alioqui in bilem facile corrumpuntur, mala aut succus malorum granatorum, aurantiorum, acidi citri, limonum, berberorum, ribes. In febribus ex materia frigida apium, petroselinũ,

Ptisana hordei.

Herba & fructus.

fæniculu, hyssopus, buglossa, capparis, passulæ, pistacea, cinnamomum &c: cum his & similibus pisces carnesq; præparari poterũt, ac etiam jura carnis simplicis, aut contusæ & expressæ, & aquæ destillatæ caponis & similium, additis speciebus. Carnes autem & cibi solidiores, debentur morbis longis, ubi vires firmæ sunt. Si ita debiles, ut solidiores cibos digerere nequeant, dentur jura restaurantia: sin prorsus disjectæ, aquæ destillatæ caponis &c: ut in curatione hecticæ dictum est. Carnes elixæ potiùs quàm assæ probantur, nisi febris longior sit, aut alvus laxior. Plurimum autem ad delectum ciborum facit, intelligere consuetudinem ægri, & quo cibo maxime delectetur, nam is, etiamsi paulò deterior fuerit, permittendus erit. *2. Aphor. 28.* multúmque consuetudini tribuendum in ijs, qui crassiori diætæ assueti sunt, tempore locoque frigido. Tempus alendi in febribus æstimatur ex virium indigentium præsentia, id est, quando requiritur à viribus, & morbus non impediat: impedit, quo tempore morbus gravissime affligit, aut tempus paroxismi instat: permittit, cũ æger moderatissimè se habet, præcipue pectus & venter. Cum autem febrium omniũ eadem natura non sit, sed aliæ continenter moveantur, eodemq; modo, aliæ certos circuitus accessionum

Tempus cibandi.

 CAP. VI.

num & remissionum aut intermissionũ habeant: ideò si febris uniformis sit, ut synoch' dandus est cibus, secundum consuetudinem tempore sanitatis aut tempore indigentiæ: Si febris continua sit periodos habens, tempore remissionis; Sin ex genere intermittentium, post declinationem, idque eâ horâ, quæ æqualiter à statu prioris paroxismi, & sequentis initio abest: si tempus illud breve sit, ut in quotidianis plerumq;, in fine declinationis cibũ præbere cogimur, ut ante futuræ accessionis initium concoqui & digeri queat: In alijs post declinationem, longè ante initiũ sequentis paroxismi. Itaq; solidiores cibi difficilisq; concoctionis, nisi quinque aut sex horis ante futuram accessionem, non sunt concedendi; & cibi facilis cõcoctionis non nisi intra duas aut tres horas; Verũ instante paroxismo, aut dũ pedes frigere incipiunt, & ante finẽ status, sed præcipuè in initio & incremento, non solũ à cibo sed etiam à potu abstinere oportet; nisi summa viriũ debilitas ex dissolutione urgeat. Na ubi adest magna viriũ debilitas, metusq; syncopes, præcipuè in ægris temperamento calido sicco, & febris sit ex acribus biliosis humoribus, cum vigilijs &c. incipiente etiam paroxismo cogimur alimentum interdum exhibere, quod Galen. *10. Meth. c. 3.* in juvene bilioso, optimo cum successu se fecisse testatur. Quod si vires inducias concedat,

Modus nutriendi.

ſatius eſt tempus acceſſionis eligere, quo omnium minime gravatur. Tandem ad modum alendi quod attinet, quibus in febribus virtus robuſta eſt, cum humorum integritate, rarò, parumq; cibi exhibendum eſt: quibus virtus valida cum humorum defectu aut corruptione, ſæpè offeratur cibi magna copia: quibus verò virtus debilis eſt, cum defectu aut corruptione humorum, ſæpè parumq; concedatur. Sed in his, ut in cæteris, multum naturæ, conſuetudini, regioni, & tempori anni tribuendum eſt. Cibum ægri aſſumant, ſi fieri queat, in lecto ſedentes, aut erecti, ut ad fundum ventriculi facilius deſcendat; facta prius oris collutione aut purgatione. Ordo in cibis ſit, ut liquidiores faciliorisq; concoctionis, præcedant craſſos, ſolidos, adſtringentes.

Potus triplex uſus.

Potus in febricitantibus triplicem uſum præſtare ſolet: primò, vires ob humiditatum abſumptarum reſtitutionem reficit: Deindè medicamenti vim obtinet in febris curatione: Prætereà ſervit ad ſolidorum ciborum diſtributionem, ut commodum vehiculum; & concoctionem. Verùm febribus acutis quia tenuior victus per liquidiorem formam, ut ſorbitiones, debetur, quæ per ſe facilè diſtribuuntur: ideò in ijs potus pro diſtributione rarius exigitur, ſæpius potus reficiens aut medicamentoſus. Potus omnis

omnis in febribus boni ſucci, facilis digeſtionis & diſtributionis, nullius ingrati ſaporis, eſſe debet; ut nutrimentum vires reficiens, temperatus naturæq; ſimilis & familiaris, qualis eſt vinum nec fulvum nec auſterum, cerevisia bene cocta & defecata, aqua mulſa &c: Potus quatenus medicamentum contra febrem, frigidus humidus ſit, ut aqua pura fontana, aqua hordei, Iulep violarum &c: contra cauſam febris, incidens, attenuans, aperiens, urinas aut ſudores movens, veluti aqua mulſa, oxymel, ſyrupus acetoſus ſimplex, de endivia, oxyſacchara &c: Potum nutrientem indicant vires, modò permittatur à morbo: permittitur aut certe non repudiatur à morbo, ſi vires non avertantur, à morbo & morbificæ cauſæ concoctione: minus avertitur potu quàm cibo, cum faciliùs concoquatur & diſtribuatur: Deindè ſi à potus humiditate febrilis calor remittatur, qua ratione à febre potus indicatur, ut medicamentum. Itaq; potus, qui vires modicè reficit, ſimulq; refrigerat, humectat, attenuat, incidit, ut aqua decoctionis hordei, utiliſſima eſt in his febribꝰ. Verùm potꝰ pro viribus reficiendis tantus eſſe debet, quantū illæ deſiderāt, modò permittatur à morbo & morbifica cauſa: quò enim vires debiliores ſunt, eò potu reficiente citiùs magiſque utendum, niſi morbus urgeat; ſi febris

Potus qualitates.

Modus utendi potu.

aut causa febris magis urgeat, aut materia crudior fuerit, eò minùs; quò vero febris intensior, & materia calidior, eò frigidior humidior potus concedendus: nisi in affectibus nervorum & inflammationibus viscerum, qui non solùm nutriente potu ac calefaciente ut vino &c. augentur; sed etiam refrigerante (ut aqua gelida) crudiores & ad discussionem inepti redduntur: Alioqui potio, ut medicamentum, liberaliùs sumpta efficacior est, modo toleretur à viribus, quæ ubi debiles sunt, metus est, ne debilis calor à multo potu extinguatur. Quare si vires debiles sint, sæpe parumque potus exhibendus; si validæ, rarò multumque, potissimū eò tempore, quo maxime permittit morbus, permittit, post, ac in declinatione prohibet, in accessione, & potissimum initio, cum pedes frigescunt, deinde in augmento. Ex potionibus usitatis in febribus Hipp. *lib. 3. de morbis Acut.* numerantur vinum, aqua, mulsa, oxymel, additur hodie cerevisia septentrionalibus usitatissima, item julepi &c.

Febricitantium quatuor genera potus.

1. Vinum.

Vinum triplex est, potens, tenue, & medium. Vinum quò potentius, eò magis nutrit, vires & spiritus celerrimè reficit, sed febrē, sitim doloresq; capitis auget, nervos tentat, humores crudos commovet; tamen vinum album, tenue, in assuetis potissimum, apparentibus signis concoctionis, post alias evacuationes, ad reliquias humorum con-

coquendas, urinas & sudores movendos confert. Cavendum à vino, si delirij suspicio sit, aut adsit gravitas capitis, aut catharrus, aut materia morbifica cruda sit, aut cocta sed copiosa, nulla alia præcedente evacuatione, præcipue in continuis febribus; nisi ex virium dissolutione instet syncope: tum enim ad vinum quod celerrime vires reficit, confugere cogimur. Eligendum in febribus est vinum album, non rubrum, nec fulvum, & tenue, aquosum, sive aqua dilutum, nunquam potens, nec austerũ neque dulce, crassum, & assuetis magis quàm non assuetis indulgendum: in lentis vel intermittentibus febribus liberalius, in alijs parcius, valdeq; aquosum. Deindè aqua vires non reficit, & in hypochondrijs diu hærens in naturis biliosis juxta Hipp. *3. Acut.* facilè amarescit sive in bilem convertitur. Si aqua per se laudabilis sit, aut rectè præparetur, ut ventrẽ citò transeat, quia frigida humida calori febrili resistit, interdũ (ut pòst dicetur) febrem extinguit. Eligitur aqua pura, limpida, nullo alieno sapore prædita, levissima, quæ cito & calefit & refrigeratur, citoq; ventriculũ permeat, eumq; nec inflat, nec gravat, in qua cibi brevissimo tempore elixantur &c: Si talis alicubi non detur, & cruda sit, lentâ decoctione corrigatur, addito in ijs, qui ex debilitate ventriculi flatibus

II. *Aqua.*

tibus infestantur, nonnihil seminũ anisi & coriandri, vel cinnamomi, vel modico vini albi. In usus febricitantium aqua variè paratur: primùm cum hordeo mundo diligentissimè cocto, dum turgescens rumpatur, unde aqua hordei, quæ magis reficit quàm aqua pura, simulq; attenuat, incidit, sudores & urinas interdum movet: Adduntur sæpe inter decoquendum passulæ aut pruna, interdum nonnihil radicum glycirrizæ, ac etiam seminum anisi: si febris ardentior sit, aliquid lactucæ, acetosæ, tamarindorum, sem: frigid: &c: Si lenta, radices fæniculi, petroselini &c: Deindè paratur aqua cum pane triticeo infuso, unde aqua panata, maceretur medulla panis triticei in aqua pura, & crebra transfusione à vase in vas accurate misceatur, hinc coletur, & dulcoretur saccharo albo, quantũ sufficit, aromatizetur modico cinnamomi, aliquando misceatur nonnihil succi aut syrupi granatorum, limonum &c: vel guttæ aliquot spiritus vitrioli ad gratam aciditatem. Nonnulli primam infusionis aquam abijciunt, & secunda utuntur. Præterea ex aqua cum modico carnis, quod jus longum à practicis dicitur, paratur: Nam partem carnis capi aut vituli prius semicoctam, deinde concisam, cum aqua nova copiosa in diplomate co juunt, aliqui interdum destillant, sed jus magis

Aqua hordeo

Aqua panata.

Ius longum.

magis reficit quam aqua destillata. Insuper ex aqua cõmuni vel destillata cum saccharo parantur julepi. Accipe aquæ lib. 4. sacchari ℥ ij. cinnamomi ʒ iij. coquantur lente despumando, & per manicam hippocratis transmittantur; Poterit etiam addi aliquid succi granatorum, vel limonum, vel aceti rosacei. *Iulepi.* Tandem paratur potus ex aqua cum melle unde mulsa, vel cum melle & aceto, unde oxymel. *III. Mulsa.* Mulsa vires reficit, & vi incidendi & aperiendi, obstructiones reserat, sputum promovet &c: sed febrilem calorem auget, minùs tamen, quò magis aquosa fuerit. Quare mulsa aquosa eligenda erit potissimùm in febribus lentis pituitosis, non acutis & biliosis. Oxymel vires *IV. Oxymel.* non reficit, sed commodissimum est corporibus, refertis crassis glutinosis humoribus, validè enim incidit, attenuat, abstergit, urinas movet; Easdem vires obtinet syrupus acetosus, sed infirmiores multò. Obest tamẽ laborantibus ex tenui acriq; destillatione, & febribus à bile valde tenui & calida, ubi conveniunt julepi aut syrupi violarum, rosarũ, de papavere &c: In calidis naturis pro lentis crassisq; humoribus incidendis, attenuandis, magis convenit syrupus acetosus aut oxysacchara simplex &c: Exhiberi debet oxymel ac syrupus acetosus &c: non cum cibis, sed post concoctionem humorũ, ne crudos cibos in venas rapiat. Cerevisia

Cerevisia lupulata & non lupulata.

septentrionalibus populis usitatissima, alia lupulata est, alia sine lupulo, utraq;, ut vinũ, triplex est, potens, tenuis, media, sed vinum magis caput & nervos tentat, fluxiones concitat & urinas movet. Potens cerevisia manifeste calefacit, multumque nutrit, tenuis contra magis refrigerat, minùs vires reficit. Eligẽda est cerevisia bene cocta & defecata, non ingrati saporis, in febrib. acutis semper tenuis, in longis interdum mediocris, & lupulata potiùs quàm non lupulata. Nam quæ lupulo caret, ut plurimũ crassioris substãtię, magisq; flatulẽta est, faciliusq; corumpitur, attamen ijs conceditur, qui ea delectatur, & tẽpore sanitatis utuntur, quòd potus paulò deterior, sed suavior, meliori quidẽ sed insuaviori sit anteponendus 2. *Aph.* 38. præcipuè potus consuetus. Gal. *Com. l.* 4. *de Ratio. vict.* 7. serũ lactis in his febribus probat. Nã refrigerat, abstergit, urinas alvumq; movet, præcipuè lactis asinini & caprini, flatus tamen movet, unde corrigitur ut plurimũ infusione sem: anisi aut cinnamomi, datur cõmodissimè post concoctionẽ ciborũ. Nam cum cibis aut ante concoctionẽ naturam ad eorum expulsionem intempestivè excitat. Britanni posseto utuntur, quod nil aliud est, quam cerevisia aut vinum sero lactis dilutũ aut temperatum, cujus præparationem habes capite *de Curatione febrium in genere.*

Serum lactis.

Tertiò,

Tertiò, somni & vigiliarum moderatio ad vires reficiendas febrimq; curandam pertinet utriusq;.n. immoderatio nocet, quia immodicè vires exhauriunt, concoctiones impediunt, corpora exsiccant &c: Somnus immodicus multa retractione caloris nativi ad interiora, noxios humores ad viscera colligit, eorumq; vires obruit, caput vitiosâ materiâ replet. Verùm somnus moderatus cõcoctiones juvat, spiritus reparat, vires reficit &c: in febribus ardentioribus somnus paulò longior confert, nisi conjuncta sit visceris inflamatio, quæ initio per somnũ augetur. Quia verò retractione caloris nativi per somnũ spiritus cũ sanguine ad interiora cõfluunt, idemq; initio paroxismi febricitantibus semper evenit; ideò ne utroque raptu humorum calor nativus suffocetur, initio accessionis febrilis à somno abstinere semper oportet: In declinatione somnus juvat, & quò magis paroxismus ab initio ad declinationem tendit, eò somnus minùs nocet. Quomodo immodicæ vigiliæ, ac profundior somnus curari debeat, docebimus, cum ad symptomatum curatione deuentu fuerit.

III. Somnus & vigilia.

Quartò motus & quietis eade fere ratio est ut somni & vigiliarum: Motus enim calefacit, humores commovet, contrà quies magis refrigerat, humectat, coctioni potissimũ servit. Proinde febricitantib. quies imperanda erit, & ab omni exercitio abstinendum, nisi

IV. Motus & quies.

febris diuturna ſit, longa habens intervalla ut quartana: conceduntur tamen pro exercitijs in alijs febribus circa declinationem ad ſudores movendos, leves molleſque frictiones.

V. Perturbationes animi. *Præterea* exercitationibus corporis correſpondent perturbationes animi, & quieti tranquillitas animi, caſdemq; vires habent, ideò tranquillitas animi in his febribus maximè requiritur, illæ verò animi perturbationes graves, quæ calorem nativum accendunt, aut confertim ad interiora revocant, nocent; præcipuè ira, deindè triſtitia & metus, minùs quæ ad exteriora effundunt, ut ſpes & gaudium niſi valdè profuſum.

VI. Excreta & retenta. *Tandem* in his febribus præcipuè laborandum, ne ea retineantur, quæ ſecundum naturam expelli debent, nimirum excrementa alvi, urinæ, ſudores &c: ſed naturali modo procedant, alioqui calorem nativum obruunt. Similiter omnis immodica evacuatio vitanda eſt, quia vires exhaurit & diſſolvit. Quo pacto evacuationes ſuppreſſæ promoveri, & immodicæ ſiſti, & ad naturalem modum reduci queant, infrà demonſtrabimus in curatione ſymptomatum febrium. Hactenus de Diæta, ſequuntur præſidia chirurgica.

Chirurgia. Ex Chirurgicis præſidijs præcipuum locum tenet venæ ſectio: nam cum putre-

dinis

dinis causa sit prohibita transspiratio ab obstructione potissimum, cujus quod futurum est prohibere initio oportet, per ea, quæ evacuant, priusquã ipsa obstructio tolli queat. Quare Galen. *11. Meth. cap. 13.* saluberrimum esse scribit in febribus, venam incidere, & non in synocho solùm, sed etiam in alijs omnibus, quas putrescens humor concitat, si & propriè nulla adsit plenitudo, & nec vires nec ætas prohibeat: nam phlebotomia per se plenitudinem evidentissimè evacuat, & influxum humorum obstruentium revellit, & si rite adhibeatur, per accidens refrigerat, corpus perspirabile reddit, coctiones juvat, & febrem cum putredine restinguit. Sed cùm phlebotomia magnum remedium sit, viriumq; robur exigat, igitur phlebotomiam indicat febris magna, nimirum febris à plenitudine, ex redundantia omnium humorum, vel unius humoris cum sanguine, sive ea sit in toto omnibusque venis, sive in parte aliqua interna: & in parte vel jam facta; vel in fieri tantum, ex affluxu humorum: Indicat enim ejusmodi febris phlebotomiam, ut causa febrem actu fovens removeatur, idq; per se tribus potissimum de causis. I. ut ipsa plenitudo, quò ad vasa, aut vires detrahatur, sive ea sit in toto sive in parte. II. ut impetus sanguinis influentis, partem replentis, avertatur, id est, revella-

Phlebotomia.

tur aut derivetur. III. ut ſanguis jam corruptus & naturæ inutilis evacuetur: Ex accidente verò ſubducta plenitudine, & evacuato, quod noxium eſt, ut perſpirationi refrigeranti aditus præbeatur. Nam per venæ ſectionem facultas naturalis onere levata, quo premebatur, non ſolùm id, quod reliquũ eſt, faciliùs vincit, id eſt, meliùs cõcoquit, & aliena expellit, ſed etiã dum refrigerãti perſpirationi aditus præbetur, putridæ fuligines educuntur, & id quod putrefieri poteſt, ad exactam συμμετρίαν reducitur, in quibus duobus ſumma curationis putridarũ conſiſtit. Quare in febrib. putridis quò major eſt plethora, ſanguiniſq; corrupti copia, aut influentis impetus cũ neceſſitate frigidæ reſpirationis, in ijs phlebotomia eò magis neceſſaria eſt, & initio ſtatim adhibẽda, ut in ſynochis & continuis febribus potiſſimùm; ſi vires non prohibeant. Æſtimantur vires ex functionibus, ætate, corporis habitu, temperamento, conſuetudine, aëris ambiẽtis conſtitutione &c: ſemperq; phlebotomia prohibet virium debilitas ex diſſolutione, ſubſtantiæ corporis & ſpirituum, ab immodicis evacuationibus, delirijs, vigilijs, dolorib &c: non ex oppreſſione virium à copia & cruditate humorum: ſed conſiderare oportet non ſolum vires præſentes, ſed etiam inſtantes & futuras ad ſtatum morbi. Ob has cauſas prohibent venę ſectionem ętas ſenilis, pręcipuè

Prohibentia phlebotomiã.

decrepita, & puerilis, habitus corporis mollis, laxus, raræ texturę, temperamẽtum siccũ frigidum cũ angustis venis, aeris constitutio valde calida, ut sub Cane & ante Canem, aut intensè frigida &c: nisi adsit summa necessitas. Item gravidæ si sanguis mittatur, abortũ faciunt. 5. *Aph.* 35. Attamen si vires sint robustæ, & periculũ sit à plenitudine, ne fæta cũ fætu intereat, cogimur interdum venã aperire, sed minùs detrahere, quàm vires patiuntur, idq; à tertio mense ad septimũ. Præterea venæ sectionẽ difficilime ferunt, quibus os ventriculi debile est & acuti sensus, aut amara bile vexatur, aut qui in syncopen facilè incidunt &c: Si fomes mali sit circa jecur, secetur basilica; aut si latet, mediana: si redundãtia ex suppressis mensibus, inferiores venæ secentur: si met⁹ ex impetu ruẽtis sanguinis in partẽ aliquã ex hæmorrhagia aut inflammatione interna, revulsio instituatur ex venis partis contrariæ, servata cõmunione & rectitudine. Verũ quib. menses aut hæmorrhoides fluunt, totũ negociũ naturæ permitte, & si non tantũ evacuatũ fuerit, quantum morb⁹ exigit, venã secato: quod si mensiũ aut hæmorrhoidũ fluxus tantùm instare videatur, & morbus urgeat, minus detrahendũ, tantumq; relinquẽdum, quantũ per alias vias evacuandum putas. In continuis secanda est vena initio statim aut primis diebus, pręmisso

Qua vena secatur.

Tempus secandi venam

misso clystere aut balano nisi quid urgeat, ut viriū oppressio à copia materię. In intermittentibus, quia in mora periculum non semper est, prius evacuatâ primâ regione corporis, aut post secundum aut tertium paroxismum, secetur vena, eâ horâ diei, quâ febris minùs affligit, ac tantum sanguinis detrahendum, quantum plenitudo postulat, una vice si vires ferant, & periculum in mora sit, alioqui pluribus vicibus: sed ante reiterationem vires priùs reficiendæ erunt. Deindè detrahendus est sanguis in plethora quo ad vasa & exquisita, ac ætate juvenili copiosiùs, in plethora notha & quo ad vires ætate declinante, corporibusq; laxis, mollibus &c: parciùs multò. Tantum dè Phlebotomia admonuisse hoc loco sufficiat, cætera multò pleniorem considerationem requirunt.

Quantum sanguinis detrahi debet.

Hirudines & sacrificatio seu cucurbitulis.

Quod si venam secare permissum non fuerit, hirudinibus aut sacrificatione crurum vel brachiorum cum cucurbitulis humorum redundantia detrahi poterit: & quibus hæmorrhoides sunt detentæ, has aperire oportet hirudinibus & similibus admotis: quibus menses sunt suppressi, eas provocare malleolorum scarificatione, & apertione saphenæ.

Pharmacia.

Tertiò, Medicamenta, quibus febres curantur, in genere duplicia sunt; evacuantia & alterantia. Sub evacuantibus comprehendi-

hendimus, quæcunque per superiora aut inferiora purgant, & quæ urinas aut sudores movent. Sub alterantibus, refrigerantia, humectantia, attenuantia, incidentia, obstructiones aperientia, viscera corroborantia & concoctionem juvantia; quorum alia febrem ipsam, alia causam ejus tollunt. Febris ipsa refrigerantibus, humectantibus curatur, at ex causis febris aliæ evacuantibus, aliæ alterantibus, ut suprà, diximus. Ab ijs quæ in resolutione ultimum, in actione primum locum obtinent, incipiendum erit, nimirùm à purgatione illorum humorum, qui febrem putridam excitant foventque, si nil impediat. Itaque initio peccantem humorem dignoscere convenit, an bilis flava, aut nigra, aut pituïta; deindè idoneo medicamento purgare. Nam si talia purgentur, qualia purgare oportet, confert, & æger facilè feret. *2. Aphor. 25.* In omnibus enim putridis, quia initiò humores crudi sunt, & adhuc putrescunt in venis, ijsq; natura non dominatur, igitur eò tempore validis purgare non debemus, nisi turgeant, potissimum in acutis, multo minùs urinas aut sudores provocare: sed levibus tantum medicamentis quod in ventriculo & prima corporis regione blandè educere, deindè concoctionem humorum in venis expectare, quæ utilia ab inutilibus separat, & in-

Purgantia.

Modus purgandi.

terea vires confortare, & humores ad concoctionẽ præparare. Nam purgatio concoctionẽ humorum impedit; itaque quo tempore concoctiones vigent maximè, nimirũ in statu, eo à purgatione maximè abstinendũ, sive quiescendum est. In principio, antequam incipiat concoctio, si quid movendum sit, move, *2. Aphor. 29.* deinde ad perfectam concoctionẽ, præcipuè in continuis, abstine, nisi materia turgeat; Nam factâ concoctione, quod putridi in vasis est, natura sponte, aut adjuta, primùm medicamento purgãte, deindè sudoriferis & diureticis, facile utiliter & sine molestia expellere solet; concoctio enim utilia ab inutilibus sive putridis separat. Verùm quod jam putrefactum est, quia ad benigniorem naturã reduci nequit, si sponte à natura non expellatur, evacuantibus medicamẽtis educi debet, observando semper impetũ naturæ, modumq; motus, an vergat ad ventriculũ, an ad alvum, & quò vergit, ducito vijs & locis eò utiliter ferentibus. *Quantitas purgationis.* Quantitas purgationis correspondere debet quantitati humoris purgandi, qui si multus est, & vires robustæ magnas evacuationes ferunt, validiori pharmaco totus simul educi poterit: sin debiles sint, cogimur purgationes leves repetere, aut epicrasi uti. Concoctos humores purgare oportet, nõ crudos, nisi turgeãt *1. Aph. 22.*

sive

ſive propter acrimoniam, tenuitatem, malignitatem & copiam huc illuc in corpore inordinato motu ferantur, cum pravis ſymptomatibus. Nam ubi humores turgent, ſtatim ſunt expurgandi: Item perfectè putridi, aut ſeroſi, ut in hydropicis, qui ad meliorem ſtatū reduci nequeunt: Præterea in initijs febrium, ubi in venis tanta eſt humorum copia, ut vires premant, & natura eam ſuperare nequeat, utile eſt non ſolum venæ ſectione, ſed & levi purgatione ſubducere, deinde in incremēto & vigore quieſcere, concoctionēque expectare: peracta autē concoctione, ſi à natura, quod corruptū eſt, non ſufficiēter expellatur, diligentiſſimè omnib. præſidijs evacuare. Quare non ſine cauſa *1. Aph. 24.* precipit Hipp. in acutis febribus raro & per initia medicamēto purgāte uti, nec id inconſiderate facere: Quę vero decernuntur, aut decreta ſunt in genere, nō movere, nec novare ſive purgantibus, ſive alijs irritamētis *1. Aph. 20.* Verùm ea tantùm, quæ non integre, & defectum illum ſempèr ſupplere: nam quæ poſt criſin in febribus relinquūtur, recidivam facere conſueverunt. Itaq; ſi febre ſoluta, ſymptomata quædam adhuc perſiſtant, ut cibi faſtidium, ſitis &c: ac æger non facile convaleſcat, ne, quæ relicta ſunt, poſt criſin recidivam faciant, purgatio quoque neceſſaria eſt. Hæc eſt ratio in ijs febribus

Quæ purganda ſunt.

Quando purgandum.

potiſſimum, quarum materia ad unam criticam expulſionem reſervatur, quales ſunt continuæ. In cæteris febribus evacuatâ primâ regione corporis, per intervalla purgare, cæteriſq́ue evacuantibus uti oportet, potiſſimum apparente ſigno aliquo concoctionis, præmiſſis ſemper, quæ humores ad concoctionem præparant. In diuturnis autem febribus, ubi nullum adeſt periculum, ſæpè purgamus, modò adſint ſigna quædam concoctionis: aliquando autem ante manifeſta ſigna utile eſt minorativo humorem ſubducere, &, ut ſcribit Trallianus, non permittere humores in vetuſtatem abire, quia concoctiones ſæpe occultantur. Verùm quo tempore cum impetu movetur febris, & ſymptomata urgent, à purgationibus abſtinere convenit. Quare cavendum eſt à purgantibus in acutis potiſſimum, diebus imparibus ſive criticis, quibus humores maximè turbantur: item diebus paroxiſmorum, niſi in intermittentibus, ubi humores ægrè moventur, & vires robuſtæ ſunt: In talibus enim ipſo die paroxiſmi purgare interdum utile eſt. Vbi humor peccans continetur in ventre aut primis venis, eum initio ſtatim educere oportet aut per ſuperiora aut inferiora. Si humor vitioſus in ventriculo contentus ſit, aut ad ventriculum feratur, (ut in initijs paroxiſmorum intermittenti-

Vomitoria.

um ſic-

um fieri consuevit) detur initio morbi vomitorium leve ex *aqua hordei* ℥ v. *cum syrupi acetosi vel oxymelitis* ℥ ij. Si natura validiora exigat, & humor lentus crassusque fuerit, exhibendus *succus raphani* ℥ ij. vel cape *rad: aut sem: raphani* ℥ j.s.

sem: anethi
attriplicis an. ℥ s.
coquantur in aqua hordei: colaturæ ℥ v. *admisce oxymelitis* ℥ j.s. *aliquando nonnihil agarici triti in oxymelite, fiat haustus. vel pul: Iuli Inglandium, vel rad: asari* ʒ j. *in hydromelite vel jure pulli &c:*

Verum à validioribus, quæ à venis majoribus ducunt, initio abstinendũ est. In ijs, qui difficulter vomunt, aut quibus humor deorsum vergit, satius est purgatione per inferiora redundantiam subducere, ac initio morbi clysteribus aut medicamentis lenientibus blandè purgantibus: Vbi materia calida est, Clysteres.

℞ *Malvæ*
violariæ, ana m j.
lactucæ m s.
mercurialis m j.
fiat decoctio in aqua hordei, in colaturæ ℔. 1.
dissolve cassiæ extractæ
sacchari rubri ana ℥ j.
olei violarum ℥ ij.
lini ℥ j.

salis

salis ʒ j.
fiat enema. Pro materia frigida crassa.
℞ *malvæ,*
althææ,
betæ,
mercurialis una m j.
furfuris macri m s.
fiat decoctio in aqua q. s. In colatura ℔. *i.*
dissolve elect. hieræ picræ,
diacathol. ana ℥ s.
diaphænic: ʒ iij.
mellis rosati, vel mercurialis ℥ j.
olei chamomillini,
anethini,
lini ana ℥ j.
salis ʒ j.
fiat enema.

Boli & potiones purgantes singulos humores.

Per os exhibentur initio lenientia forma boli aut potionis, raro pilularum. Si materia calida *ex cassiæ extractæ, vel elect: lenitivi vel diacatholici Nicolai* ℥ j. *cum saccharo fiat bolus, vel cum decocti flor: & fruct: aut endiviæ, acetosæ, prunorum, tamarindorum* ℥ iiij. *fiat haustus.*

1. Calidos.

Si humor ille calidus sit tenuis acrisque, detur *cassiæ* ℥ j. *cum pulpa tamarindorum* ℥ s. *vel cum pul: rhabarbari irrorati aquâ endiviæ* ʒ j. *vel accipe Rhabarbari electi* ʒ ij. *spicæ gr.* vij. *infunde aquæ endiviæ, vel decocti endiviæ, acetosæ, prunorum, tamarindorum* ℥ iiij. *Colaturæ expressæ adde mannæ* ℥ j. *vel sy: rosati sol:* ℥ j. s. *fiat haustus.* In quibus se-

bribus materia frigida crassa lentaq; est, pro alvo lenienda, & evacuanda prima corporis regione detur *cassiæ extractæ* ℥ j. *cum sp: hieræ* ℈ iiij. *vel elect: diacatholici Nicol:* ʒ vj. *diaphænic:* ʒ iij, *cum saccharo fiat bolus:* vel *cum decocti aperitivi* ℥ iiij. *fiat haustus.*

Frigidos crassos.

℞ *Rad: polipodij querc:* ℥ s.
glycirrizæ,
fœniculi,
sem: carthami ana ʒ ij.
anisi,
flor: capil: ven:
agrimoniæ,
ceterach. ana m s.
flor: borrag:
buglos: ana P j.
passul: mundat. ℥ s.

concisa coquantur in aquæ q. s. ad dimidias. Colaturæ ℥ v. *infunde fol: senæ* ʒ iij. *agarici trochiscati* ℈ iiij. *rhabarb. electi* ʒ j. *spicæ gr.* iij. *cinnamomi* ℈ j. *post aliquot horarum infusionem colentur cum expressione, colaturæ admisce syr: diasireos vel manna* ℥ j. *fiat haustus.*

His aut similibus alvũ lenire & primã corporis regionẽ evacuare poteris, quib. purgatis quod in majorib. venis continetur nõ initio, nisi turgeat, nec postea, nisi præmissa cõcoctione. Concoctio autẽ naturę op⁹ est, beneficio caloris nativi. In putridis vero febr. quia natura debilis est, & calor nativus non propor-

Concoctio humorum.

proportionatus, deinde humor peccans minus ad concoctionem idoneus, igitur medici erit primùm impedimenta illa tollere, quæ humorum concoctionem impediunt, deinde vires reficere, & calorem nativum juvare. Concoctio humorum duo comprehendere videtur, primò, humoris peccantis ad quandam ſubſtantiæ mediocritatem naturæ convenientem revocationem ſive exæquationem, deindè viarum, per quas humor tranſit, apertionem: utrumq; præſtat primariò natura partium ſolidarum adminiculo caloris nativi: ſecundariò medic⁹, quatenus naturæ ſubſervit, & impedimenta removet. Humor à mediocritate recedit non ſolum intemperie calida aut frigida, ſed etiam craſſitie, lentore, nimia tenuitate, & copia. Vias claudit nimia ſui copia, aut craſſitie, & lentore. Quare humores ad concoctionē præparantia unius generis non erunt: nam intemperies omnis ad temperiem reducitur contrarijs, ut calida medicamentis frigidis, frigida calidis; craſſities attenuantibus, lentor incidentibus, impactus humor deobſtruentibus, nimia copia vires premens, eventilationem caloris nativi prohibens, venæ ſectione, aliquando levi purgatione minuente: nam hac eventilatione calor nativus reficitur, & natura onere levata meliùs concoquit. De humorum tenuitate,

Præparantia humores ad concoctionē.

tate, an incrassantibus ad mediocritatem reduci debeat dubitatur, quòd crassities obstructiones augeat, & concoctiones impediat. Verùm humores nonnulli tenues sunt, qui concoctionem & incrassationem non admittunt, ut serosi in hydrope, & ichorosi, ac proinde sine ulla præparatione evacuantur: Cæteri humores tenues, ut biliosi, si consistant sive quiescant, incrassari non debent, alioqui obstructiones augent: si moveantur, ad vias expulsionis moderate, sinantur: si immodicè, incrassentur medicamentis frigidis lentæ substantiæ; quæ sunt syr: Iujubinus, violarum, myrtinus, diatragacanthum, ladanum opiatum &c: si ad partes primarias ferantur, statim sistantur revellentibus & incrassantibus. In his omnibus perficiendis oportet unà vires naturales augere & confortare. Augentur autem vires calorque nativus idoneis alimentis reficientibus, aut medicamentis confortantibus: item ijs omnibus, quæ symptomata vires debilitantia (ut sunt vigiliæ, syncope, deliria &c:) tollunt aut mitigant. In febribus putridis triplex consideratur humorum concoctio, *una* crudorum, nimirum crassorum lentorum, dum à natura partium solidarum ad modum ipsi convenientem reducuntur, aut ad nutritionem apti efficiuntur: atque hæc concoctio juvatur attenuantibus,

An tenues humores sunt incrassandi.

Triplex concoctio humorum quæ juvari debet.

antibus,

CAP. VI.

antibus,incidentibus,aperiẽtibus,&quæ calorem nativum excitant augentq́,,de quibus in ſpecie poſt dicetur. *Altera* eſt concoctio humorũ ſemiputridorũ: corrigũtur humores ſemiputridi & ad temperiẽ reducuntur refrigerante perſpiratu, & moderatis motibus; Nã primariò & per ſe putredinẽ incipientẽ reſtinguũt,quę calorẽ peregrinũ,dominantẽ in humoribus,refrigerant,& humiditatẽ redundantẽ exſiccant, ac calorẽ nativũ corroborant,ejuſq; eventilationẽ procurãt: ſecundariò & propter eventilationẽ obſtructiones aperiũt, meatus cutis relaxant. Itaq; ad humores ſemiputridos corrigẽdos&concoquendos cõvenientiſſima ſunt, quę refrigerant,exſiccant,&ſimul incidũt, attenuãt, aperiũt, ut ſyr:acetoſus ſimplex, oxyſaccha-ra,ſyr:limonum,acetoſit: citri&c.pro natura humoris peccantis,ut mox dicetur.*Tertia* concoctio eſt humorum putridorum nõ ad nutritionẽ aut alium uſum corporis, ſed ut facilius evacuari queant, ijſq; natura dominetur,putrida inutilia ab utilibus ſegregãs, qua ſegregatione abſolvitur putridorum concoctio, nam ante ſegregationem ab incorrupta evacuari nõ debet,ſed ſtatim factâ ſeparatione. Segregat natura vi caloris nativi,eamq́; ſegregationẽ promovent medicamenta, quæ calorem nativum juvant, &

calorem

calorem putridum restinguunt, cæterasq; qualitates corrigunt pro natura humoris. In omnibus itaq; febribus putridis, quia putredo ab obstructionibus fovetur, ideo medicamenta humores concoquentia incidenti, aperienti & attenuanti aliqua facultate constare debent. Cùm autem deobstruentia propriè dicta, quò validius deobstruunt, eò calidiora sunt, ac proinde febrilem calorem magis augent, in biliosis febribus ac potissimum continuis exhibenda erunt deobstruentia minus valida, quæ aliqua vi refrigerandi prædita sunt, ut sy: acetosus, endiviæ, cichorei, oxysacchara simplex; si adsit malignitas, syrupi acetositatis citri, limonum, granatorum dulcium, de succo acetosæ. Si bilis valdè acris tenuiqsue sit, miscenda sunt contemperantia, ut julep aut syrupi rosarum, violarum, jujubini; aliquando nymphææ, papaveris &c. si violentius moveatur. In progressu incipiente concoctione si bilis crassa sit, syr: de endivia compos: capill: ven: de bizantijs &c: exhibentur initio cum aquis destillatis, vel decoctis, endiviæ, cichorei, acetosæ, lactucæ, sem: quatuor frigid: tamarind: &c: In progressu incipiente concoctione adduntur rad: glycirrizæ, graminis, asparagi, fol: capill: ven: agrimoniæ, hepaticæ, &c: veluti ad obstructiones à bile tollendas, Accipe *Rad: cichorei.*

Præparantia biliosos humores.

acetosæ

acetosæ ana ℥ vj.
graminis
glycirrizæ ana ℥ s.
foliorum endiviæ
acetosæ ana m j.
hepaticæ
agrimoniæ,
capill: ven: ana m s.
florum violarum P j.
sem: quat: frigid: major: ana ℨ ij.
concisa coquantur in aquæ q. s. ad dimidias: Colatura vel dulcoretur saccharo, & aromatizetur santalis, vel admisce syrupos idoneos pro libitu ut accipe colaturæ ℥ x.
syr: acetosi simplicis,
oxysacchara,
syr: de cichoreo ana ℥ j. *fiat apozema.*

Præparantia pituitosos humores.

Adduntur interdum guttæ aliquot spiritus vitrioli ad gratam aciditatem. In pituitosis febribus ad concoctionem humoris peccantis requiruntur medicamenta magis incidentia, attenuantia, aperientia, quàm in ulla alia febre, quòd febris ista languida sit, & præpolleat indicatio à causa. Verùm initio debiliora conveniunt, qualia sunt syr: acetosus, oxymel simplex, mulsa, mel rosatum, syr: capillor: ven: de bizantijs &c: In progressu adduntur validiora, ut syr: acetosus compositus, de duabus vel quinque radicibus, de betonica, de hyssopo, oxymel compositum

positum &c: Dantur talia initio cum aquis, vel decocto capill: ven: agrimoniæ, betonicæ, rad: glycirrizæ, passularum, pòst adduntur radices quinque aperitivæ, fol: hyssopi, chamædris, carduiben: & similia: & si materia impacta valde viscida crassaq; sit, Sum: centaurij minor: rad: gentianæ, aristolochiæ rotundæ &c: Accipe *Rad: quinq; aperitivarum maceratarum prius in aceto ana* ℥ s.

sem: anisi,
fœniculi ana ʒ ij.
fol: betonicæ,
capill: ven:
hyssopi ana m j.
carduib:
centaurij minor:
agrimoniæ ana P j.
passularum enucleatarum ʒ vj.
concisa coquantur vel in hydromelitis vel in aquæ q. s. & colaturæ ℥ x. *admisce oxymelitis simplicis,*
syr: capill: ven:
betonicæ ana ℥ j.

Præparantia melancholicos humores.

In febribus melancholicis attenuantia requiruntur, sed quæ vim aliquam humectandi obtinent, præcipuè si melancholia sit adusta fervidaq; ut syrupi violarum, buglossæ, borraginis, de pomis dulcibus, procedendo ad syr: de fumaria, lupulorum; in progressu syr: de epithymo, de melissa, de

ſcolopendria, oxymel ſcylliticū, oxyſaccha-ra compoſita, de quinque radicibus &c: Initio cum aquis vel decocto bugloſſæ, borrag: capill: ven: fumariæ, lupulorum, ceterach, rad: bugloſ: glycirrizæ; deinde cuſcutæ, thymi, ſcordij, centaurij minor: rad: polypodij, aſari, ariſtolochiæ, cort: capparum, tamariſci, fraxini &c: veluti,

℞ *Rad. bugloſſæ,*
cichorei,
glycirrizæ ana ℥ s.
cort: rad: capparum,
tamariſci ana ℥ iij.
fol: ceterach,
capil: ven:
Sum:
fumariæ,
lupulorum,
cuſcutæ ana P ij.
centaurij minor:
ſcordij,
flor: borrag:
bugloſ: ana P j.

paſſularum enucleat: ℥ vj. *conciſa coquantur in aquæ q. ſ. ad dimidias, colaturæ admiſce ſyrupos competentes.* In nothis febribus ex commixtione diverſorum humorum mixta requiritur curandi & præparandorum humorum ratio, ſed quæ humorem prædominantem maximè reſpiciat, & ad eum, con-

tempe-

temperandum præcipuè declinat, ut latiùs in ſpecie infrà dicetur. Præterea juvatur concoctio humorum ijs, quæ calorem nativum confortant, vireſque reficiunt, nimirum idoneis alimentis, ſomno, quiete, &c: ut ſuprà, item medicamentis, quibus excitatur facultas naturalis concoquens, ut Tabulæ, condita, potiones, aliaque viſcera corroborantia, concoctionemque ventriculi & jecoris juvantia, quæ variant pro differentiâ febris, veluti, in febribus ardentioribus Tabulæ Diatrion ſantalon, Diamargariti frigidi, manus chriſti &c: Condita ex conſer: roſarum, violarum, cichorei, aliquando nymphææ &c: cum ſpeciebus diatrion ſantal: diamargariti frigidi &c: In minus ardentibus diarrhod: abba: aromatici roſati, dianthos, aliaque de quibus latiùs in ſpecie infrà dicetur. In omnibus febribus putridis ad concoctionem commendatur ab Aëtio decoctum florum chamomillin. nam humores ſine evidenti calore digerit. In febribus ex materia frigidiore, & potiſſimum in intermittentibus, apparentibus ſignis concoctionis poſt purgationes, ad reliquias obſtructionum tollendas, probantur Trochiſci de eupatorio, de Rhabarbaro, de abſinthio, aut de capparibus; Item aqua deſtillata, pulvis, decoctum, aut extractum cen-

Confortantia

taurij minor. gentianæ, aut carduiben: valide enim extenuant, & putredini resistunt. Verùm in naturis calidis extenuatis cautio adhibenda est, ne eorum multo usu debilitentur viscera, febrisque augeatur. Quare semper his addenda sunt, quæ viscera corroborant, febrique resistunt, ut species diatrionsant: diarrhod: Abb: &c: post concoctionem apparentibus signis evidentibus, tempus oportunum est humores evacuare, primum catharticis, deinde diureticis, & sudoriferis. In usu purgantium considerandus est motus naturæ & impetus humorum. Nam si humor sursum feratur, & fomes circa hypochondria fuerit, consultum est vomitorio evacuare, in debilioribus, ut suprà, & potissimum *cum pulveris asari* ℨ j. *vel infunde asari* ℨ s. *in decocti florum chamomillin. Sum: centaurij minor: sem: anethi* ℨ v. *colaturæ expressæ adde syr: acetosi vel oxymelitis* ℨ ij. *fiat haustus.* Pro robustioribus dantur valentiora.

Purgationes post concoctiones.

℞ *gratiolæ* ℨ s.
flor: camomillin.
centaurij minor: ana ℈ j.
Sem: anethi,
rad: asari ana ℨ ij.
cinnamomi ℈. ij.
coquantur in aquæ ℔. j *ad dimidias, colaturæ misce oxymelitis* ℨ. j. s. *fiat haustus.*

Conce-

Conceditur etiam robustis & assuetis stibium, Accipe *vitri antimonij gr:* viij. *infunde vini albi* ℥ iij. *per horas 18. in loco tepido, coletur, tepidè propinetur*: sed talibus cautè utendum, & corpus priùs præparandum. Si æger difficulter vomat, aut humores deorsum ferantur, satius erit per alvum cathartico humori peccanti appropriato purgare. Veluti in febribus biliosis, diluto Rhabarbari ut suprà, robustiores Elect: de succo rosarum vel diaprun. sol: &c: In febribus quotidianis pituita purgetur phlegmagogis, ut diluto agarici & turbith, ex decocto polypodij, sem: carthami, fol: hyssopi, betonica, capill: ven: carduiben: &c: vel elect: diaphænicon: diaturbith, diacarthami, aut elect: Indi &c: aliquando pilulis hieræ cum agarico, pilulis cochijs &c: In febribus quartanis purgatur melancholia diluto fol: senæ, epithymi, in decocto florum & fructuū, vel Aperitivi majoris; pro robustioribus additur aliquid rad: hellebori nigri præp: Purgant melancholiam elect: diasenæ, confect: hamech, hieræ magnæ &c: In febribus nothis mixti humores mixta exigunt pharmaca, de quibus omnibus latiùs aliquantò in specie dicemus in singularum febrium curatione. In horum aliorumque omnium purgantium usu cavendum sedulò, ne in fe-

Cathartica singulos humores purgantia.

Legitimus usus purgantiū

bribus ea, quæ perfectè judicantur aut judicata sunt, ullo purgante moveamus, sed naturæ permittamus. *1. Aph. 20.* Nam si natura debite movet, & perfectè expellit, periculum est à pharmaco, ne æger in lethalem fluxum incidat; si non perfectè movet, consultum est, tùm demum defectum supplere. Deindè in acutis raro & in principio purgandum est, atque id faciendum cum judicio, quia in morbis, quos perfecta crisis terminat, post principium rarissimè purgationi locus est: In minus acutis sæpius purgandum, & purgationibus interserenda sunt præparantia, quæ crassos humores attenuant & incidunt. Transacto principio febris & legitimis evacuationibus præmissis, utile est, reliquias humoris peccantis per urinas evacuare medicamentis diureticis. Nam tempus diureticis oportunissimum est, post humorum concoctionem & purgationem, extenuatis crassis humoribus, & reseratis obstructionibus, idque longè à cibo, ac ad minimum duabus aut tribus horis ante cibum: febres diuturnæ, quæ, sensim solvuntur, diureticis potissimum juvantur.

Diuretica triplicia. Diureticorum autem triplex est differentia, nam alia exquisite talia sunt, intense calida sicca, tenuium partium, quæ sangui-

anguinem fundunt, urinas validè movent, ut radices dauci, ſeſeleos, valerianæ, pij, petroſelini, fæniculi, aſari, ciceres rui, ſemina calida, oxymel diureticum, yr: de quinque radicibus, vinum album, piritus terebinthinæ, juniperi aqua & oleam, aniſi, fæniculi &c. Alia magis temerata ſunt ut Rad. graminis, aſparagi, glyirrizæ, pentaphylli, ceterach, capill. ven. etonicæ, agrimoniæ, ſyr. de bizantijs, yr. acetoſus compoſitus &c. Quædam rigida ſunt, ut radices plantaginis, acetoæ, ſem. quatuor frigida, aqua hordei, ſeum lactis, ſpiritus vitrioli & ſulphuris, yr. acidi ut ſyr: acetoſus ſimplex, de limoibus, oxyſacchara &c. Diuretica validiora in febribus ardentioribus vitanda ſunt, & etiam in minùs ardentibus ante concoctionem, corporiſque purgationem, nam ubi multitudo aut craſſities humorum, à diureticis obſtructiones augentur. In febribus ergo bilioſis initio conveniunt ſyr. acetoſus ſimplex, oxyſacchara, ſyr. limonum, lac quatuor ſem. frigidorum ex aqua hordei decocta cum modico glycirrizæ; In fine decoctum rad: acetoſæ, plantaginis, graminis, aſparagi, apij, ceterach, capill: ven: agrimoniæ, quat: ſem: frigid. major. &c. cum ſyr. de bizantijs, acetoſi compoſiti. In chronicis

Legitimus uſus diureticorum.

febribus dentur syr: de duabus vel quinque radicibus, oxymel diureticum, cum decocto quinq; radicum aperitivarum, asari, dauci, betonicæ, ceterach, cicerum rubrorum &c: Expurgato corpore per alvum & urinas, quod reliquum est materiæ peccantis, per sudores & halitus evacuari poterit, nisi fortasse circa articulos & emunctoria impactum aliquid fuerit, post crisin imperfectam, per translationem, quod topicis remedijs præcipuè curatur. Vacuat autem per sudores interdum natura sola in crisi perfecta, interdum natura adjuta medicamentis sudoriferis. Natura enim per sudores evacuat primùm habitum corporis, deindè venas, in acutis potissimum febribus ex tenuibus succis. In diuturnis rarò sola natura, sæpius arte eliciuntur sudores: Tempus maximè idoneum est post concoctionem in fine status aut in declinatione, purgato corpore, præmissis ijs, quæ crassa extenuant, ac refectis etiam viribus ægri. Nam ubi requiritur evacuatio per sudores, oportet vires debiles priùs reficere, febris fervorẽ remittere, multitudinem materiæ minuere, crassitudinem extenuare. Sed quandò à natura per sudores febris integrè judicatur, quiescere medicum oportet; si non integre, sudoriferis defectum illum supplere. Medicamenta autem alia assumpta intra corpus sudores movent,

Sudorifera eorumq; usus

vent, quæ sudorifera propriè dicuntur, alia extrinsecus admota, quatenus cutem relaxant, porosque ejus aperiunt, ut contenta melius alliciantur & evacuentur. Medicamenta exactè sudorifera omnia calida sicca tenuium partium sunt, proindè vitanda, ubi febris vehemens est, & eligenda minus exactè talia levioraque, quæ ut minus obesunt, ita minus proficient. Laudatur in omnibus febribus putridis & ad humorum concoctionem, & sudores movendos decoctum flor: chamomillin. in aqua hordei alteratâ glycirrizâ, peculiariter in febribus acutis conceditur pulvis aut decoctum, pentaphylli, tormentillæ, & glycirrizæ, in aqua hordei, lapis bezoar, cornu cervi, aut eius decoctū. Quod si vires ferant, & æger boni habitus sit, & frigidæ assuetus, eique viscera satis firma sint, sine dolore, inflammatione, obstructione, cruditatibus, crassorumq; humorum redundantia, nec alvi dejectio nimia, utile est, aquam frigidam copiosè exhibere, apparentibus signis concoctionis in vigore febris acutæ, siti urgente, ea enim ardorem febris restinguit, & simul si vomitu aut dejectione non reijciatur, sudorem copiose movet: Verùm qui bibit, multis stragulis cooperiendus est, & ipsa aqua per se laudabilis esse debet, aut corrigenda ut suprà, aut pro aqua communi danda est aqua

Sudoriferorū differentia.

Aqua frigida potus quando & quibus cōvenit?

hordei, & tempestivè servatis conditionibus, exhibenda tantũ; nam intempestivè exhibita in summum periculum ęgrum adducit. In minus acutis febribus, necessarijs omnibus præmissis post concoctionem conceditur decoctum rad. chinæ, aut sarsę parillæ; si materia frigida crassa lentaq; sit, decoctum ligni sancti aut sarsafras, cum appropriatis, his enim & sudores & urinæ moventur; idem facilius sæpè præstant Theriaca aut Mithridatium, admixtis ijs quæ febri resistunt viresque reficiunt. Probatur pulvis, decoctum, aut extractum carduibenedicti, centaurij minoris, aut gentianæ, item rad. angelicæ, pimpinellæ, zedoariæ, diptami &c. præterea sal absinthij, arthemisiæ, chamomillin. &c. Aqua Theriacalis aut spiritus tartari vitriolati Paracelsi. In febribus diuturnis præcipuè, ut in quartana, quotidiana, tertiana notha, ad sudores movendos, putredinem tollendam, apparentibus signis concoctionis.

Valida sudorifera.

℞ *fol. carduiben.* m j. s.
centaurij minoris m. s.
rad. asari ℥ s.

coquantur in aqua q. s. addito sub finem modico vini albi. Colatura detur haustus mane in lecto sudorq; provocetur, vel

Medicamẽta appropriata febribus putridis diuturnis.

℞ *rad. pimpinella aut gentiana* ʒ iij.

dipta-

diptami albi ʒ j. s.
rasuræ eboris ℈ ij.
misce, fiat pulvis subtilis. dosis ʒ ij. *ex aqua carduiben:* Efficacior fere est hic pulvis.

CAP. VI.

Pulveres expulsiui.

℞ *gentianæ,*
zedoariæ,
zinziberis albi,
boleti cervi,
piperis albi & longi ana ʒ j.
fiat pulvis, vel
℞ *rad: pimpinellæ,*
diptami albi,
tormentillæ ana ʒ ij.
fol: centaurij minor.
carduiben:
sem: cichorei,
lapidis percarum ana ʒ j.
succini albi,
coralli rubri,
cornu cervi ana ℈ j.
salis absinthij ʒ j.
fiat pulvis subtilis, dosis ʒ j. s Item
℞ *Sem: hypericonis* ʒ j s.
rad: gentianæ,
cranij humani ana ʒ j.
fol: carduiben:
fumariæ ana ʒ s.
bacc: lauri,
zinziberis ana ℈ j.

misce

misce fiat pulvis. Pro febribus minus acutis & pestilentialibus.

℞ *Rad: petasitidis,*
diptami albi,
zedoariæ,
Aronis præpar:
fol: scordij,
carduiben: ana fiat pulvis. vel

℞ *Zinziberis albi* ℨ j.
camphoræ ℨ s.
sacchari candi ℨ j. s.

Pilulæ. *fiat pulvis.* Probantur ejusmodi pilulæ in longis febribus incipiente concoctione.

℞ *troch: de eupatorio, vel capparibus,*
de absinthio,
extracti gentianæ ana ℈ ij.
extracti centaurij min: ℨ s.
salis absinthij ℈ s.

fiant pilulæ xv. *dentur quinq; aut sex horis quatuor ante accessionem.* Ab Aëtio in omnibus febribus, quæ per circuitus moventur, laudatur opiatum Aphrodæ; In quotidiana & quartana præcipuè decoctum chamædryos, vel pulveris chamædryos ℨ. j. ex decocto absinthij una hora ante paroxismum. Hujus generis empirica plurima à medicis re-

Topica. censentur. Extrinsecus primùm ad cutem relaxandam porosq; aperiendos conferunt frictiones molles, balnea tepida, fomenta ex decoctis flor: chamomill. meliloti, Sum: anethi

 CAP. VI.

nethi &c: aut decocti vaporem excipere. Inunctiones ex oleis relaxantibus, sed in febribus ardentioribus cum oleis minùs calidis, ut amygdal: dulcium: In alijs cum oleis chamomillino, anethino, irino: &c: vel

℞ *olei chamomillini* ℥ j. s.
amygdal: amararum ℥ s.
nitri ℨ ij.
aquæ chamomillinæ ℥ j. s.

coquantur ad aquæ consumptionem, cum hoc oleo dorsum illinatur, si magna sit constipatio pororum cutis, procedendum ut in ephemera ex constipatione. Deindè pro concoctione ventriculi juvanda utendum unguentis stomachalibus ex oleo masticino, absinthij, interdum nardino &c: Præterea si ingens fervor sit circa cor aut jecur, adhibeantur epithemata ferè ut in curatione hecticæ, & synochi non putris: de quibus infrà latiùs in specie dicetur; sed in eorum usu cavendum, ne eorum multo usu transspiratio per poros prohibeatur. Ad restinguendum etiam calorem adhibentur à nonnullis, plantis pedum, radices raphani contusi, cum modico aceto & salis, item sapo cum sale & fermento: Pulsibus brachiorum anserina, vel bursa pastoris, vel chelidonia contusa cum modico aceti & salis. Quidam illinunt plantas pedum, volas manuum, & tempora succo sempervivi mixto cum modico aceti & lactis muliebris &c: Tantùm

de Curatione febrium putridarum in genere. De ſymptomatibus febrem putridam conſequentibus, eorumq́; curatione in fine hujus operis ſeorſim agemus. Conſequens nunc ut ſingulas febrium putridarum ſpecies ſeorſim conſideremus, initio facto à ſynocho putri.

DE SYNOCHO putri.

Capvt VII.

Synochi differentiæ.



Ebris ſynocha, quæ à principio ad finem continenter una eademq́ue forma affligit, ſine ullis acceſſionum circuitibus, duplex eſt; *Una* de genere ephemerarum ex ſpirituum & ſanguinis effervеſcentia, *Synochus non putris*, de qua ſuprà egimus. *Altera* de genere putridarum ſtatim initio, aut ſynocho non putri ſuccedens, *ſynochus putris*. Synochi autem putris duæ quoque ſpecies ſunt, *Una* ex ſanguine putreſcente in omnibus aut maximis vaſis, quæ ſynochus ſimpliciter dicitur, quam febrem Gal: *lib. 9. Method. cap. 3. & 5. ac 2. Method. cap. 1. & 9.* explicat. *Altera* de genere febrium ardentium aut biliosarum, ex bile putreſcente in majoribus vaſis, ut ſcribit Galenus *lib. 2. de Criſib: cap. 6. & 2. de differ: feb: cap: 2. ac Com: in 5. Aphor. 58.* de

rs. de hâc ſequenti capite dicetur. Nunc de febre ſynocha putri ſimpliciter dicta, orta ex ſanguine non ſolum efferveſcente, ſed etiam putreſcente, potiſſimum dicemus. Hæc propriè eſt febris putrida continua, continens, id eſt, à principio ad finem perdurans, ſine ullis excandeſcentiæ circuitibus, orta à ſanguine putreſcente in omnibus aut majoribus venis, cordique propinquis. Nam febres, quæ acceſſionum circuitus & typos non habent, ex membrorū diſpoſitionibus non oriuntur, nec in ijs pars aliqua præcipua læſa eſt, ſed qui in vaſis omnibus aut majoribus continetur ſanguis, qui putreſcens calorem præternaturalem continenter & ſine intermiſſione cordi impertit. Itaque cauſa ſynochi putris eſt ſanguis putreſcens; locus omnia vaſa vel majora vel cordi proxima. Sub vaſis majoribus Gal: *Comment: primo in ſextum Epid: text: primo* comprehendit venas uteri, quem ex omnibus partibus plurimas maximaſque habere aſſerit, quibus ſanguine repletis ex menſibus aut purgamentis à partu ſuppreſſis, aut phlegmone aliqua ut cunque orta, deinde putreſcente, ſi febris oriatur inter ſynochorum ſpecies ipſam reponere opus eſt. Sanguis autem dupliciter accipitur, uno modo pro maſſa in venis

Definitio ſynochi putris.

Cauſa & locus.

aggre-

aggregato ex quatuor ſuccis alimentarijs; alio, pro quarto ſucco à cæteris tribus diſtincto, qui ſanguis abſolutè dicitur. Deindè per ſanguinem intelligimus & ichores & craſſiorem ſubſtantiam maximè alimentarem. De febre orta ex putredine ſanguinis à Galeno ſtudio quodam diſſentiunt Arabes. Averrhoës Galenum inconſtantiæ arguit, quod febrem ortam ex putredine ſanguinis, nunc bilioſam, nunc non bilioſam vocet. Avicenna *ex lib. 2. de Criſib. cap. 10. & lib. 2. de differ. feb. cap. 9.* contra Galen: diſputat, non quòd negaverit, febrem à putreſcente ſanguine fieri poſſe, ſed quòd illam febrem noluerit ſanguineam veram bilioſam eſſe. Nam ex locis iam dictis Avicenna errore quodam inductus arbitratur, Galenum exiſtimaſſe, ſanguinem ſtatim ut putreſcere cœperit, formam ſuam amittere, & partem majorem in bilem flavam tranſire, ac proinde ſub propria forma febrem putridam non efficere, ſed ſub aliena; ut bilis cauſum aut tertianam continuam; quam ſententiam errore aliquo & fortaſſe prava verſione Galeno impingit, eamque plurimis argumentis fruſtra adverſus Galenum refellit. Nam Gal: *lib. 2. de differ. feb. cap. 9.* expreſsè ſcribit, ſicut ex utraque bile & pituita ſunt quædam ſpecies febris, ita ex ſanguine putreſcente; Item *lib. 9. Meth: med: cap. 3.* poſt-

Opinio Arabum contra Galenum de hac febre.

Refellitur error Arabum.

CAP. VII.

postquam unum genus febris sanguineæ, quod sine putredine fit, explicârat, subjungit alterum genus, quando in omnibus vasis aut majoribus succi æqualiter putrescunt, quam febrem in tota curatione à sanguine fieri dicit, nunquam à bile, Idem *2. Method: cap. 1. & 9.* Quod vero *lib. 2. Crisium cap. 12.* scribit, sanguinem, dum putrescere incipit, non amplius bonum remanere, sed unà biliosum fieri, non est existimandum, quod ei falso impingit Avicenna, Gal: volvisse sanguinem, statim ut putrescere cæperit, bilem fieri, ac proinde ex putrescente sanguine febrem biliosam non sanguineam oriri, sed potius sanguinem sua natura calidum humidum ex putrefactione à calore peregrino affectum, seipso calidiorem sicciorem tenuioremque reddi, ac bilis nonnullas qualitates participare, sive ad naturam bilis inclinare: atq; hoc sensu biliosum fieri, non bilem, sed sanguinem; atq; sub sua forma tamdiu remanere, quamdiu sanguinis putrefactio in fieri est, antequam pars tenuior in bilem flavam, crassior in atram convertatur. Nam putrefactio sanguinis in instanti fieri nequit, sed in tempore paulatim per gradus quosdam: quare donec alteratio ista exigua est, sanguis licet bonus non remaneat & bilis nonnullas qualitates acquirat, bilis tamē non est, sed sanguinis adhuc formam retinet.

Quādiu durat sanguinea febris.

net. Demonstratum suprà est, putrescente sanguine, non solum omnes ejus partes putredinē æqualiter nō suscipere, sed etiā quæ putredinem suscipiūt, non æqualiter putridas esse, verum partem quandam corruptam esse, quæ corrigi nequit, sed evacuatione indiget, cæteras non item, sed semimalas aut semiputridas, quæ concoctione & refrigerante perspiratu corrigi & ad suam pristinam naturam reduci poterunt. Quare dum sanguis adhuc putrescit, & nondum in bilem transmutatus est, nemo febrem biliosam dixerit, sed sanguineā: post transmutationem sanguineam biliosæ plerumq; consequuntur, quas tamē Gal: *2. de diff. feb: c. 9.* mitiores esse dicit, quàm alias ex bile febres. Sanguis sive sincerus, sive aggregatus ex quatuor succis alimentarijs, quia calidus & humidus, si non diffletur, putrescere solet. Ex putredine autem quatuor succorum æqualiter se habentium in omnibus aut majoribus vasis, synochus putris exquisitus potissimùm oritur, ut sentit Gal: *9. Meth. cap.*

Synochus exquisitus.

Ex putredine verò sanguinis sinceri synochus quidem fit, sed qui in febrem biliosam citò convertitur. Aliquando tamen juxta Avicennam accidere consuevit, ut sanguis putrescens ob admixtionem bilis flavæ biliosior & tenuior, aut ob admixtionem pituitæ tenuis aquosior & frigidior, aut pituitæ

Synochus nothus.

crass

crassæ crassior reddatur: quæ diversitas sanguinis inspectione deprehenditur post venę sectionē alijsq; signis. Verùm febris,quæ inde oritur,synochus exquisitus non videtur, sed potius spurius. Deinde putrescūt initio præcipuè ichores,hinc,nisi occurratur,succorū crassior sive alimentalis substātia: quod si putrefactio istaexigua sit,facile corrigitur & ad pristinam naturam reducitur,ac synochi mitiores fiunt; sin magna,sanguis in aliam formam naturæ noxiam corrumpitur, idq; non uno modo. Nā nonnunquam à calore externo prædominante & deurente, partes dissimiles segregantur, ac pars sanguinis tenuior in bilem flavam, crassior in atram(quę in carbunculis febrium pestilentialiū cernitur) transmutatur,quo tempore febris sanguinea appellari propriè nequit: aliquando sanguinis partes dissimiles nō segregantur,sed totus in pus aut materiā puri non absimilem convertitur. Nam in abscessibus sanguis putrescens in pus; in venis in materiam puri similem: quo autem tempore sanguis in venis putrescit, aut pus in abscessibus fit,febres & dolores magis fiunt, quam confecto pure: hac putrefactione sanguis in venis tanta mutatione interdum depravatur,ut venæ sectione detractus,non solum fætidus appareat;sed etiam non cohæreat&concrescat,omnib.ejus fibris putredine ab-

Sanguis putrescens in varias species permutatur.

ne absumptis, qualis corruptio in febribus malignis & pestilentialibus accidere solet. Nam grassante peste aut febribus petechialibus, juvenes plethorici synocho pestilenti aut maligna maximè corripiuntur, & variolæ ac morbilli synochum plerumque comitantur ex ebullitione sanguinis. Causæ putredinis sanguinis & synochi putris eædem sunt, quæ synochi non putris, sed multò valentiores, ita facultatem partium debilitantes, ut sanguinem in venis contentum regere nequeat: quarum efficacissima est, non sola cutis constipatio, verùm ipsorum vasorum obstructio, à multo sanguine & crassis lentis humoribus impactis, unde impeditâ fuliginosorum vaporum transspiratione, initio ut plurimum sanguis tantùm effervescit & synochum non putrem excitat, deinde nisi phlebotomiâ alijsque maturè subveniatur, & causæ ita validæ fuerint, ut facultas amplius sanguinem contentum regere nequeat, sanguis necessariò putrescit, & synochus putris consequitur. Aliquando tamen accidere solet, licet rarius, ut statim à principio synochus putris invadat, ob causarum vehementiam, aut quia putredo in portione sanguinis à corde remota incipiens, lente per partem post partem ad cor serpit. Constipationis cutis & obstructionis vasorum eædem causæ hîc sunt, quæ suprà propositæ

Causa synochi putris aut putredinis sanguinis.

CAP. VII.

positæ sunt in synocho non putri. Synochi putris tres sunt differentiæ, ut non putris. Nam ex synochis febribus aliæ sunt, quæ in eadem magnitudine & vehementia ad finem perdurant, quod in ijs par putredinis modus sit, tantumque dissipatur, quantum putrescit, quas Græci ὁμοτόνους & ἀκμαστικούς, id est, in eodem statu manentes, vocant; aliæ semper augentur, paululumque adijciunt, quod plus putrescat, quàm dissipetur, Græci ἐπακμαστικούς & ἀναβατικούς, id est, ascendentes & crescentes appellant; aliæ contra paululum diminuuntur sive decrescunt, ubi plus humoris dissipatur quam putrescit, easque παρακμαστικούς, id est, decrescentes nominant. In homotonis status iuxta symptomatum vehementiam longissimus est, in epacmasticis augmentum, in paracmasticis declinatio, & reliqua tempora citissimè transeunt. Verùm in febribus putridis status duplex consideratur, unus quo ad symptomata eorumque sævitiam; alius quo ad humorum concoctionem, qui duo in alijs febribus plerumque coincidunt, in synochis non item. Nam in synochis verus status cæteraque tempora æstimari debent non ex sævitia symptomatum eorumq; incremento, aut decremento, sed ex signis concoctionis præcipuè in urinis, ut alibi docuimus. Deinde ex suprà dictis colligitur, synochum

Differentia synochi putris

Status duplex in febribus.

putrem alium exquisitum; alium nothum esse, item alium mitem, alium vehementẽ, alium malignum aut pestilentem &c: Febris continens nullis accessionum circuitibus distincta est, sedab una accessione incipiens, sine repetitione ad finem tendit, quâ notâ à cæteris putridis distinguitur. Hæc febris si exquisita fuerit, simplicior est, cùm in calore, tùm in cæteris accidentibus, quàm aliæ putridæ, ac initio ijsdem signis se prodit, quibus synochus non putris, sed manifestioribus, ac plerumque non putrem consequitur. Nam adsunt utrobique signa redundantiæ sanguinis, ut lassitudo tensiva, rubor faciei, tensio venarum, temperamentum calidum humidum succiplenum, ætas juvenilis, vernum tempus, consueta evacuatio sanguinis omissa, liberalior victus præcedens, aliaq; quę causæ rationem habent. Deindè in utroque synocho calor tangenti multus valdeque vaporosus occurrit, sed parum acris & molestus, item pulsus magnus, vehemens, celer, frequens est &c: Distinguitur tamen putris à non putri urinâ, pulsu, caloris qualitate, & alijs nonnullis accidentibus. Nam in synocho putri pulsus non solum magnus, velox, frequens est, sed etiam, ut in alijs putridis, inæqualis & inordinatus, & systole velocior est, quàm diastole. Deindè in synocho

Signa synochi putris.

Signa distinguentia synochum putrẽ à non putri.

cho putri urina rubra aut subrubra & crassa est ac turbida, sine sedimento, præcipuè initio, aliquando crassa cum lividitate & fætore. Tertiò, calor magnus magisq; acris percipitur in synocho putri, quàm non putri, sed magis halituosus blandusq; , quam ex aliorum humorum putredine, præcipuè flavæ bilis & nigræ. Præterea in hac febre accidentia vehementiora sunt, quàm in synocho simplici, scilicet major capitis dolor, major inquietudo, vigiliæ, inappetentia, nausea &c: quæ symptomata in synocho exquisita & miti mitiora sunt, in vehementi & biliosa sæviora, in maligna & pestilenti sævissima. Nam malignos & pestilentes synochos comitantur anthraces, ecthymata, exanthemata, delirium & vigiliæ, interdum profundior somnus, extremorum frigiditas, animi deliquia &c. ut in peste latiùs dicetur. Synocho opportuni præcipuè sunt adolescentes & juvenes, aut natura calidi humidi, sanguine affluentes, qui liberaliore victu utuntur, vere potissimū, non senes, frigidi sicci, exangues &c. Febris ista de genere acutarum est, ac proinde periculosa, nam terminatur ut plurimum septimo, undecimo, aut decimo quarto die, si error nullus contingat: & septimo, si quarto die signa evi-

Qui opportuni sunt synocho.

Prognostica.

dentia concoctionis appareant; quod si septimo signa quædam apparere incipiant, decimoquarto judicabitur: quantò autem initio urina rubicũdior est, cæteris paribus, tantò citius terminabitur ad bonum, cum signis concoctionis; ad malum, cum cruditatis: præcipuè si vires sint debiles. Pessima in synocho est urina alba, nam mortem plerumq; denunciat. Si Signa concoctionis diu non appareant, ægrique tornatilem faciem sive instar sphæræ turgidam habeant, morbum longum designat. Deindè ex synochis Epacmastici omnium periculosissimi sunt; pòst Acmastici; omnium minimè periculosi paracmastici. Prætereà synochus exquisitus benignus, si ritè curetur, periculo vacat: non exquisitus & vehemens aut malignus, cum sævis symptomatibus & virium debilitate, ut plurimùm lethalis. Pessima accidentia sunt anxietas, dyspnœa, ventris inflatio & rugitus, lachrymæ involuntariæ, à somno male habere, frequentia animi deliquia, frigus extremorum, pustulæ lividæ aut nigræ &c: Initio plerumque synochus, si phlebotomia alijsque remedijs dextre tractetur, non ita difficilis curationis est; si negligatur, periculum affert suffocationis, phrenitidis, pleuritidis, aut alterius gravioris affectus, nisi virium robur aut larga hæmorrhagia, aut plurimus sudor eos à peri-

à periculo vindicet: si alvus immemor officij reddatur, & cervix collumque gravetur, in procinctu est phrenitis, aut lethargus: aliquando in febrem biliosam, ut causum, degenerat, Iudicatur ut plurimum hæmorrhagiâ aut sudoribus, aliquando exanthematibus, ut pustulis aut maculis, quæ si die bono critico post concoctionem accidant, bonū: si contra, malum denuntiant. Fluxus alvi initio magnus, copiosus, vires dissolvens, aut ex materia valde prava, mortem minatur. Scopus curationis in hac febre est, ut in cæteris putridis, nimirum calorem febrilem refrigerantibus alterare, putredinem causasque putredinis contrarijs tollere, vires, si deficiant, confortare & reficere. Incipienda est ordinaria curatio à remotione causarum, quæ in operatione primum locū obtinent, præcipuè à plenitudine, tollendâ per sanguinis detractionem, quo detracto ad humores crassos attenuandos, lentos incidendos, obstructiones aperientibus reserandas ordine perveniendum erit, hinc ad cutis constipationem rarefacientibus & aperientibus tollendam, concoctionem juvandam &c: Sublatis causis, putredo facile cohibetur, & febris refrigerantibus extinguitur. Vires ægri si validæ, valida purgantia & alterantia permittunt, & exigua refectione indigent; sin debiles, valida medicamenta non ferunt, & multam refe-

Curatio.

Indicationes.

ctionem requirunt. Reficiuntur vires convenienti diæta, primùm in alimentis, deindè in cæteris rebus non naturalibus. Cùm autem febris ista sit aut peracuta, aut exquisitè acuta, & vires plerumq; minus debiles sint, ideo aut tenuissimo, aut exquisitè tenui victu utendum est. Qualitas victus sit semper refrigerans humectans, si una bilis redundaverit, aut in febrem biliosam transitura videatur: probantur cremor aut ptisana hordei, panatella ex jure pulli cum succo granatorum &c: aliaque ut suprà. Si sanguis tenuis sit & biliosus aut magnam patiatur ebullitionem, ut in morbillis & variolis fieri consuevit, Avicenna jubet lentes cum aceto exhibere, cibos condire succo granatorum, sumach, berberum &c. Quidam lentes duplici aqua coquunt, & primam abjiciunt, deinde aceto aut succo berberum aut granatorum aspergunt & exhibent; Item jura carnium decocta cum portulaca, lactuca, acetosa &c. Tempus oportunum sumendi cibi in hac febre, quæ circuitus accessionum non habet, est ea hora potissimùm, qua in sanitate cibari consueverunt, aut minus affliguntur. Potus sit aqua hordei non excorticati, vel cerevisia tenuis, aqua panata &c. ut in superiore capite. Si magna sit sanguinis ebullitio cum siti, detur decoctum tamarindorum,

Diæta.

Cibus.

Potus.

rum, berberum & prunorum, addito modico ſem: fæniculi. In cæterarum rerum non naturalium adminiſtratione procedendũ, ut in ſuperiori capite docuimus. Nam ſemper ſub eadem via particulares febres curandæ ſunt, quam ſuprà in univerſali methodo curandi putridas ſervandam eſſe monuimus. Deindè Gal: *lib. 1. ad Glauc: c. 8.* duo maxima continentium febrium remedia eſſe dicit, venæ ſectionem, & frigidæ potionem. Nam venæ ſectione uberior perſpiratio procuratur, & aquæ frigidæ potione tempeſtivè exhibitâ fervor humorum reſtinguitur. & ſolidæ partes confortantur. *Phlebotomia.* Auſpicandum autem eſt à venæ ſectione, & ſi virtus valida, ætas, cæteraq́ue permitant, veteres ſanguinis detractionem ad animi deliquium imperarunt, quod animi deliquium ex accidente refrigeret: Verùm tutius multò eſt, initiò minus detrahere, deinde, quod defuit, iteratione ſupplere. In juvenibus & robuſtis nonnulli ultra duas libras detrahunt: Aperitur potiſſimum vena baſilica aut mediana; Arabes deinde venam frõtis aperire jubent; ſi ſuppreſſa ſint menſtrua venam tali. Vbi periculum eſt in mora, quavis diei aut noctis hora vena ſecari poterit, alioqui melius eſt, tempus matutinum expectare. Si ætas aut vires miſſionem ſanguinis dehortentur, conſultum eſt

hume-

Cucurbitulæ cum scarificatione.

humeros, nates, aut crura sacrificare, & admotis cucurbitulis sanguinem detrahere; ijsdem quoque partibus adhiberi poterunt hirudines. Quibus in febribus corpus maculis aut pustulis fædatur, initio larga sanguinis detractio requiritur, erumpentibus verò maculis aut pustulis, parcior sanguinis evacuatio, aut ejus loco scarificatio crurum; natium &c: Nam scarificatio ad circumferentiam humores ducit, quod in malignis febribus maxime necessarium est. Ante phlebotomiam, si alvus laxa non sit, neque periculum in mora, utile est alvum lenire, clystere, aut alio leniente medicamento.

Alvum lenientia.

℞ *malvæ,*
bismalvæ,
violariæ ana m j.
lactucæ.
mercurialis,
hordei ana m s.
florum violarum P j.
prunorum num: vij.
coquantur in aqua, pro ℥ xv. *colaturæ misce,*
cassiæ extractæ,
sacchari rubri ana ℥ j.
olei violarum ℥ iij.
salis ʒ j.

fiat Enema. vel detur bolus *ex cassiæ extr:* ℥ j. *pulpæ tamarindorum* ℥ s. *dissolvi poterit in seri lactis vel decocti florum & fructuum* ℥ iij. Initio

ſtio potiſſimum conveniunt lenientia quæ blandè alvum ſubducunt, metu immodici fluxus alvi; In progreſſu apparentibus ſignis aliquibus concoctionis, & humoribus prius præparatis, ſi excrementa bilioſa cum ſanguine redundaverint. Accipe *Purgantia.*

Rad: cichorei,
acetoſæ ana ℥ s.
fol: endiviæ m s.
fumariæ,
flor: violarum,
bugloſ: ana P j.
pulpæ tamarindorum ℥ s.
cort: myrobal: citrinor: ℨ iij.
jujubarum num: iij.
paſſularum enucleat: ℥ s.
coquantur in aqua ad dimidiat, colaturæ ℞ ℥ iiij.
Rhabar: electi ℨ ij.
ſpicæ gr: ix.

ſtent aliquot horis in infuſione, poſt colaturæ expreſſæ admiſce mannæ, vel ſyr: multæ infuſionis roſarum aut violarum ℥ j. *fiat potio, detur mane.* Si pituitoſa excrementa redundaverint cū ſanguine, propinetur dilutum agarici vel turbith, ex decocto capill: ven: cuſcutæ, endiviæ, hyſſopi, paſſularum, cort: myrob: chebul: ſem: carthami &c: Quia autem in hac febre ſanguis putreſcens exiguo tempore ſuam naturam ſervat, ſed paulatim in alios

humo-

humores permutatur, præcipuè in bilem, ideo varia requiruntur medicamenta & purgantia & alterantia. Ante purgationem præparantia plerumq; præmittuntur. Nam post sanguinis detractionem levemq; purgationem, oportet ad putredinem coercendam, humorum crassitiem extenuandam, obstructiones aperiendas procedere, eadem via & methodo, quam in superiore capite proposuimus. Deligenda autem sunt præparátia, quæ citra calorem attenuant, incidunt, aperiunt, & putredinem cohibent, qualia sunt syr: acetosus simplex, de cichoreo, endivia, jujubinus, violarum, oxysacchara simplex, si suspicio sit malignitatis, syr: granatorum, limonum, acetositatis citri, de succo acetosæ &c: exhibentur cum duplo aquæ hordei, vel aquæ & decocti acetosæ, endiviæ, cichorei, flor: buglos: viol: sem: 4. frigid: &c: additis interdum spiritus vitrioli rectificati guttis aliquot. Sanguine cum pituita permisto, utendum syr: acetoso simplici, oxymelite, syr: capill: ven: cum aquis aut decoctis adianthi, capill: ven: cuscutæ, endiviæ &c. post præparationem, apparentibus signis concoctionis, si nil impediat, purgatione pleniore utendum erit. Deindè procedendum ad ea, quæ primum urinas movent, ut lac quat: sem: frigid: major: ex decocto hordei, glycirrizæ, vel

Præparantia humores.

Vrinas moventia.

℞ rad:

℞ rad: cichorei,
graminis,
asparagi ana ℥ s.
fol: capill: ven: P ij.
sem: quat: frigid: ana ʒ ij.
fiat decoctio in aqua hordei ad dimidias, colatura adde syr: acetosum &c.

In statu morbi apparentibus signis concoctionis, si vires validæ sint, servatis omnibus conditionibus, in præcedente capite & alibi enumeratis, Veteres aquam frigidam copiosè exhibuerunt. Nam aqua frigida, si tempestivè detur, fervorem humorum restinguit, & solidas partes corroborat, ut utiles humores facilius alliciant, & inutiles expellant, quæ si vomitu aut alvi dejectione non evacuetur, sudores copiosè movet. Intempestivè exhibitus, non observatis omnibus requisitis, ægros in summum periculum sæpè adducit, ut spirandi difficultatem, hydropem, tremorem, lethargum &c: Cum autem hæ aliæque febres acutæ per manifestam evacuationem ut plurimum judicentur, instante crisi, valde frigida ac etiam adstringentia vitanda erunt, quia humores incrassant naturæque conatum impediunt. Deindè si post concoctionem die critico signa manifesta crisis per hemorrhagiam, sudores, &c: appareant, consultũ est me-

Aqua frigida potus.

est medico, quiescere,& naturæ negocium committere: quæ si non perfectè moveat, nec integrè judicet, tum naturam juvare oportet ut in Causi curatione dicetur. Si post crisin aliquid relictum fuerit, ne recidivam faciat, Evacuantia per alvum, urinas & sudores locum habent. Interea viscera per calorem febrilem debilitata corroboranda sunt Tabulis diatrionsantalon, diamargariti frigidi, diarrhod: Abb: &c: vel Conditis ut

Confortantia

℞ conservæ acetosæ,
acidi citri,
buglos:
rad: cichorei cond: ana ℥ s.
spec: diamarg: frig:
diatrionsant: ana ʒ s.
diarrhod: Abb:
spodij ex ebore,
coralli rubri ana ℈ s.
cum syr: de cichoreo aut buglos: fiat conditum. Si alvus immodicè fluat, detur vetus conserva rosarum rubr: cum troch: de spodio, corallis &c: Si adsit malignitas, probatur Diascordium, aut confectio liberantis, aliaque ut in pestilentibus febribus. Extrinsecus primùm ad constipationem cutis tollendã, & poros aperiendos, adhibeantur frictiones molles, inunctiones ex oleo chamomelino, anethino, aliaque ut suprà in ephemerâ, ex constipatione cutis. Deindè ad vires partium

Topica.

ium confortandas & restinguendum calorem febrilem, admoveantur cordi & hepati epithemata, qualia suprà in synochi non putris curatione tradita sunt, aut infrà in Causi curatione tradentur.

DE CAVSO, ID EST, FEBRE *ardente & tertiana-continua.*

CAPVT VIII.

Febrium biliosarum tres differentiæ sunt, una tertiana intermittens, ex bile putrescente extra vasa; altera tertiana cõtinua à bile putrescente in venis à corde remotis; Tertia καῦσος, Latinis *febris ardens* à bile putrescente in venis omnibus aut majoribus cordi propinquis. Per bilem intelligimus quamvis, excrementitiam & alimentariam, sive per se putrescat, primumque partes ejus ichorosæ, sive in excrementitiam mutetur. Nam bilis in majoribus vasis reliquo sanguini permixta putrescens, febrem ardentem; in minoribus vasis, continuam tertianam simplicem: extra venas, à sanguine secreta & expurgata per habitum corporis, tertianam intermittentem excitat. Quælibet harum vel exquisita est, à sincera bile putrescente, vel notha, potissimum à bile mixta cum pituita, interdum cum melancholia. De febre ardente primùm agemus, & simul de continua

Febris biliosa triplex.

De febre ardente & continua

tinua tertiana. nua tertiana, quæ ardente levior est, & ab ijsdem causis, sed levioribus oritur, & proinde ijsdem remedijs sed levioribus curatur. Καῦσος, à Gal: & Hipp: non uno modo accipitur, sed nunc cōmuniter, nunc propriè. Cōmuniter autē insignis æstus aut fervor in toto corpore omnibusque venis aut in una parte, Causus à Gal: *lib. 4. de Ratione Victus comm: 1.* vocatur. Ita febres quæ inflammationes & erisypelatem comitantur, ac febres omnes à materia calida, ut synochi omnesque tertianæ, ardentes erunt. Propriè vero illa febris continua ardens est, quæ vehementem sive urentem totius corporis caliditatem, & sitim assiduam & inextinguibilem habet: Hæc duplex est, una exquisita, altera notha: exquisite ardens est febris continua, assiduè deurens cum siti inextinguibili, orta à bile putrescente in venis omnibus aut majoribus cordi propinquis. Notha ardens est febris continua, non ita multùm deurens, nec sitim vehementissimam excitans, orta à salsâ pituitâ aut bile permixta pituita, putrescente in ijsdem vasis. Exquisitæ autem febris ardentis vicissim duæ sunt species, Vna, quæ unam duntaxat à principio ad finem accessionem obtinet, quæ à Galeno *lib. 2. Crisium cap: 6. & 2. de Differen: febr: cap. 2.* synochus ardens vocatur: Altera ardens periodica; quæ

Febris ardens communiter dicta.

Ardens propriè dicta eiusque differentia.

plures in se continet accessiones, sive tertio quovis die sive intermedio recurrentes ad formam tertianæ simplicis aut duplicis. Synochus biliosa ardens quia unica accessione continetur, ac proinde in vasis omnibus aut cordi propinquioribus excitatur, ideo magis deurit & violentiorem sitim, cæteraque symptomata efficit quam ardens periodica, nisi ea pestilens & maligna fuerit. Deindè febris continua biliosa periodica etsi plures accessiones habeat, tamen ardens dici non meretur, si ad manifestam caloris remissionem deveniat, sed si assiduè deurat: quo ardens à cæteris biliosis febribus distinguitur Nam in ipsa ardente periodica minus ægri tertio die exacerbantur,& ad sensum æqualiter uri videntur: cujus causa est,quòd in ardente periodica bilis putrefcat in venis propinquioribus cordi, quàm in febre continua tertiana, minusque per venas moveatur, licet omnis periodica à membrorum dispositionibus ortum habeat. Nam continua tertiana exquisita, ut ab exquisitis ardentibus distinguitur,est febris continua de tertio in tertium diem, manifestas exacerbationes ac etiam sensibiles remissiones habens,orta à bile sincera, putrescente in vasis à corde longius remotis. Venæ autem à corde longius remotę,quando ex membrorũ dispositioni-

Febris tertiana continua quid?

bus novam humoris putredinem contrahunt, si extrà in habitum corporis propellere nequeant, ad majores venas & cor transmittunt, febremq́; continuam periodicam gigaunt, quæ tantò magis manifestas exacerbationes & remissiones obtinent, caloremque minus deurentem; quantò à corde humor longiùs putrescere incipit. Sub tertianâ istâ continuâ illa febris biliosa continetur, quæ synochum biliosam consequitur, ex sanguine transmutato in bilem, quòd ea calorem minus acrem obtineat, quàm cæteræ ex bile putrescente febres. Causus ergò & tertiana continua simpliciter dicta ex eadem materia putrescente oriuntur. Verùm Causus à magis copioso aut acriori bilioso humore, & in venis omnibus majoribus aut cordi propinquioribus: semper enim humor putrescens cordi magis vicinus, majorem calorem excitat. Sub venis majoribus cordi propinquis comprehendit Gal: venas pulmonis, jecoris, ventriculi &c: in quibus bilis putrescẽs, sine aut cum inflammatione, sive erisypelate partis, febrem ex genere ardentium gignere putatur. Verùm quæcunque ex inflammatione partis oritur, propriè sub nomine inflammationis partis: ut peripneumoniæ, phrenitidis &c: non febris ardentis continetur. Nam ut scribit Gal: *com: 7. Aph: 42:* Veteres nullam febrem

Sedes febris ardentis & tertianæ continuæ.

ex in-

CAP. VIII.

ex inflammatione febrem vocarunt. Sub his febribus ardentibus comprehenduntur lipyriæ, in quibus ob magnitudinem internæ inflammationis, & humoris malignitatem, calorem cum sanguine ad se trahentẽ, externa rigent, interna deuruntur. Aetius febrem ortam ex erysipelate ventriculi *lipyriam* propriè appellat: ex jecoris erysipelate, febrem *typhodem*: ex pulmonis, *crimodem* sive algidam. Causæ putredinis bilis aut febrium biliosarum est prohibita transspiratio propter obstructionem vasorum à multa bilis copia aut crassitie & lentore, interdum ob constipationem meatuum. Nimia bilis copia coacervatur præcipuè in juvenibus, aut naturis calidis siccis, qui calido sicco sunt temperamento jecoris, æstate media, sub Cane &c: ac etiam ijs, qui multos labores, curas, vigilias, iram, vehementes solis ardores patiuntur, aut multa venere utuntur &c: ex multis cibis calidis, acribus, & biliosis, multa vini potione, interdum ob nimiam ciborum paucitatem aut inediam, ac etiam ob consuetam bilis evacuationem omissam; à causis autem illis calefacientibus venæ corporis exsiccatæ humores biliosos congerunt, qui vasa obstruentes, quia à natura non gubernantur, putrescunt, atq; putrescẽtes in venis cordi propinquis Causum exquisitum generant &c. Causi nothi causa præci-

Causa febris ardentis & tertianæ continua exquisita.

Causa febris.

præcipua eſt pituita ſalſa, in ijſdem venis putreſcens, aut bilis permixta pituita; Pituitam ſalſam Gal: fieri putat à putredine aut permiſtione ſalſæ ſeroſæ humiditatis cum pituita: Avicenna ex bilis permixtione cum pituita aquoſa, quas opiniones non eſt hujus loci pluribus conſiderare. Conſtat tamen maris ſalſedinem à calore oriri, & ubi calor ſolis vehementiùs dominatur, & mare aquam dulcem non recipit, magis ſalſum eſſe: in locis calore ſolis aduſtis, amarum videri. Coacervatur & putreſcit pituita ſalſa in naturis calidis ſub finem autumni aut initium hyemis, ob victus rationem, vitæ ſtudium, & cætera gignendæ pituitæ accommodata. Differentiæ febris ardentis ex ſuprà dictis intelliguntur. Febrium bilioſarum præter cauſas evidentes bilem multiplicantes ſigna ſunt, quæ ſymptomatum rationem habent, calor acris fumoſus valdè moleſtus, magna ſitis, vigiliæ, aut ſomnus levis, cum inſomnijs iracundis, interdum alienatio mentis, oris amaritudo, ſiccitas linguæ & labiorum, pulſus initio, dum vires conſtant, vehementes, ſed ſemper celeres, frequentes, inæquales, ſyſtoleque multò celerior, quàm diaſtole, urina flammea, acris, pauci ſedimenti, Vomitus cæteræque excretiones bilioſæ, laſſitudo ulceroſa, faciei & corporis color

Signa cõmunia febrium bilioſarum.

colo

color pallidus aut citrinus, levamen ab ijs, quæ bilem evacuant, quæ omnia ſymptomata in febre ardente vehemētiora ſunt, quàm in tertiana continua ſimplici aut intermittente. Nam febris ardentis ſigna pathognomonica ſunt, calor corporis vehementiſſim⁹ ſive deurens, nunquā deficiens, & ſitis aſſidua, inexpugnabilis, quæ duo cū ardente incipiunt & deſinunt. Verùm ſi ſuperveniat ſicca tuſſis, leviter irritans, ex amygdalis viciniſq; locis aliquid humoris attrahens, ſitis quidem vehementia nonnihil retunditur, ſed nunquam durante febre tollitur. Cætera ſigna ardentis febris magis aſſidentia ſunt, nam primùm ob vehementem aduſtionem proprium hujus febris eſt, lingua ſæpè etiam labia ſicca aſpera, nigra tandem, extremo ſiccato gutture vox clangoſa: ob acrimoniam humorum in cerebrum aſcendentium perpetuæ vigiliæ, vehemens dolor capitis, delirium, interdum rapto bilioſo humore in cerebrum phrenitis, convulſio &c. aliquando elevatis craſſioribus vaporibus ſomni profundi, nonnunquam fatigata virtute animali, falſus ſomnus aut ſomni impotentia, item ex ingenti ardore cum humorum tenuium acrimonia corpus undique afficientium, magna anxietas & inquietudo, ingenſq; præcordiorū æſtus, ac ex confluxu humorum acrium ad ſtomachū,

Pathognomonica ſigna ardētis febris

Signa aſſidentia.

aut alvum, morſus oris ventriculi, faſtidium, nauſea, vomitus bilioſi, ſyncope cardiaca, ventris eroſio, dejectiones bilioſæ, interdum à calore colliquante fluxus alvi ſyntecticus; præterea ob vehementem æſtum circa cor reſpiratio magna, denſa, efflantq; continuo ægri os aperientes, ac ignei ſpiritus efflatione levantur. Pulſus in hac febre celerior & frequentior eſt, quàm in ſynocho putri, magiſque inæqualis, quia ſyſtole multò velocior quam diaſtole, deinde ob ingentem ſiccitatem durus; proinde nec adeo magnus & vehemens eſt, ut in ſynochis. Vrina valde flammea & acris eſt, ſi Cauſus malignus aut peſtilens ſit, plerumque livida aut nigricans, cum malis contentis cæteriſque pravis ſymptomatibus. Quò enim humor violentius aduritur, & maligniorem qualitatem contrahit, eò ſæviora ſymptomata inducit. Ardentis nothæ, ut ab exquiſita diſtinguitur, ſigna ſunt, calor aſſiduus, ſed non ita deurens, & ſitis magna aſſidua, ſed non tanta, ut in exquiſitâ. Nam à ſincera bile ardor major provenit, item dolor capitis magis gravans, ſæpè profundior ſomnus, convulſio &c: anxietas & corporis perturbatio propè par, excretiones minus bilioſæ, magis crudæ, pituitoſæ aut corruptæ, lingua ſicca arida non amara ſed potius ſalſa eſt, urinæ craſſæ turbidæ confuſæ paucæ. Ac-

Signa ardẽtis nothæ.

cæ. Accedunt his signa sumpta à causis prægressis & habitu corporis. Distingvuntur continuæ biliosæ ab intermittentibus, quòd ad infebricitationem non deveniant, priusquam ex toto desinant, licet accessionum circuitus habeant, deindè quòd ipsorum accessiones cum rigore aut horrore non incipiunt &c: Causus à continua tertiana simpliciter dicta, quòd sitis & ardor ingens sit, ac etiam constans & perpetuus, & quanquã in Causo periodico ægri leves exacerbationes habeant, tamen ad sensum æqualiter deuri videntur, ut suprà diximus. A synocho putri discernitur, ut in præcedente capite demonstratum est. Causo cæterisque febribus biliosis maximè obnoxij sunt juvenes natura calidi sicci, biliosi, æstate media, minus senes, aut natura frigidi humidi &c: senibus verò si accidat Causus, lethalis plerumque est. Est autem ardens exquisita, genus febris vehementissimum & brevissimum sive peracutum, nam ob ingentem ardorem cæteraque symptomata ipsa natura diu perferre non valet, sed brevi aut febrem vincit, causamque molestam excutit, aut ab eadem evicta fatiscit & succumbit. Ardens notha minus acuta est, & ex continuis tertianis illæ longiores minusq; acutæ semper sunt, quæ oriuntur à bile putrescente in venis longius à corde remotis. Nam ardens

Distinguitur biliosa continua ab intermittente.

& Causus à tertiana continua.

Qui Causo opportuni sunt.

Prognostica.

exquisita ut plurimum septimo die judicatur, raro ad nonum, rarissime ad undecimum extenditur; si protinus ab initio mala signa appareant, quarto die morietur; si quarto die prava signa augeantur, sexto. Nothæ ardentes & continuæ tertianæ plerumque die decimo quarto judicantur. Cùm autem in omnibus febribus acutis, sed præcipuè ardentibus, non sint omnino certæ prædictiones salutis & mortis, sed conjecturales, ut igitur quam minimùm decipiamur, non parva experientia, sed crebra exercitatio requiritur; primum in morbi violentia & virium magnitudine æstimanda: deinde in ijs inter se comparandis, ut suprà capite de signis putridarum in genere demonstratum est; Nam summa totius præsagitionis est, quoties violentia morbi cum ægri viribus comparatur: Si enim morbus multò validior sit, quam vires ægri, omninò morietur: contrà si debilior multò, sanitati restituetur. Ardens autem exquisita in suo genere morbus magnus est ob magnum recessum à naturali statu, ac proinde valde periculosus; augetur periculum primùm, aucto illo recessu à naturali statu, ut in senibus; aut tempore hyberno magis, quàm in juvenibus, tempore æstivo. Deindè, ob febris & sym-

ſymptomatum ſævitiam & malignitatem, ut in cauſis malignis & peſtilentibus. Tertiò, ob febris celeritatem ut in exquiſitè peracutis. Quartò, ob partium affectarum majorem præſtantiam. Tandem, ob virium ægri debilitatem, quæ à febris magnitudine facilè vincuntur. A contrarijs cauſis periculum minuitur, & ſpes ſalutis oſtenditur. Salutaria autem ſigna ſunt, quæ virium robur morbiq́ue debilitatem aut benignitatem demonſtrant, ægros febrem facilè tolerare, non nimiùm æſtuare; nec ſiti inextinguibili plane detineri; nec graviter angi; nec cibos prorſus faſtidire; ſed ad ea, quæ offeruntur, non malè ſe habere; mente conſtare, aut leviter delirare; facilè beneq́ue reſpirare; quod in omnibus acutis magnam vim habet, totum corpus æqualiter calidum eſſe; nullam partem interiorem dolere; linguam non admodum ſiccam aridam & nigram eſſe; dormire & ſomno juvari; benè de ſalute ſua ſperare; acceſſiones imparibus diebus habere; urinas bonas citoq́ue coctas apparere; item pòſt concoctionem conſtante viriũ robore die critico bono rigore corripi; & aut per ſudorem copioſum calidum è toto corpore erumpẽtem aut per largam hęmorrhagiam judicari; Nã ardenti

exqui-

exquisitæ proprium est, teste Gal: *Comm: 9. in 1. Epid: 1.* per sanguinis fluxum inprimis judicari, pòst verò solutio per sudores ei præ cæteris evacuationibus maximè familiaris est, solvitur etiam biliosis vomitionibus &c. Quæ his signis salutaribus maximè contraria sunt, periculosissima aut lethalia judicantur, veluti vehementissimo æstu torqueri, aut exteriora algere, interiora uri, extrema livescere, ad pristinum calorem non facile revocari posse, ingenti siti cruciari; aut febre non cessante cum prius sitierint, non amplius nunc sitire, quod signum perditi sensus est. Item statim initio febris rigore affici, vigilare, cibos fastidire, multum delirare, floccos carpere, stragula colligere, difficulter respirare, spiritum frigidum efflare, pulsum obscurum densum & intercisum aut inæqualiter deficientem habere; diebus paribus febres exacerbari; extremè exsiccato gutture vocem raucam & paucam edere; involuntarie illachrymari, nisi instante crisi per hæmorrhagiam &c: Ex somno convulsiones, labores, & tremores oriri; convelli, & circa viscera fortes dolores, circa præcordia ingentem æstum cordisq; motum pati, merè biliosa aut corrupta superne aut inferne dejicere, & præcipuè nigra aut pinguia fætida colliquativa excrementa: Vrinas tenues crudas nigras lividas aut paucas min-

 CAP. VIII.

cas mingere, item nullo existente tumore in faucibus ægrum repentè suffocari, aut ipsius collum perverti, & vix deglutire posse; signa decretoria non decernere, & excretiones intempestivas aut exiguas apparere. Omnis enim excretio parva in hac febre prava est, sive per nares, alvum, sudores, urinas, vomitum, sive uterum; cujus generis sunt, sanguinis ex naribus stillationes, potissimùm tertio aut quarto die; sudor frigidus quovis tempore præcipuè quarto die, nam sexto mortem minatur; eodem modo sudor levis in fronte & claviculis erumpens; icterus ante septimum diem apparens sine ulla evidenti evacuatione per alvum &c. Præterea terminantur hæ febres ad mortem interdum in convulsiones ex inanitione, colliquationes, tabes, phrenitidem, peripneumoniam &c: Ardens notha ratione accidentium licet ita sæva non sit, tamen ob diuturnitatem non minus periculosæ putantur. Hæc de Prognosticis dixisse nunc sufficiat: Cætera de signis salutis & mortis earumque tempore & modo, aut qualis sit futura crisis, ex ijs, quæ suprà dicta sunt, capite *de signis putridarum in genere*, plenius intelliguntur.

Superest, ut ad curationem nunc deveniamus. Indicationes præcipuæ in hac, ut in alijs febribus putridis, sumuntur ab ipsa *Curatio.* *Indicationes.*

febre,

febre, à causis febris, & à viribus: Febris ipsa ejusque causa bilis refrigerantia humectantia postulat, sed causa præter alterantia etiam evacuantia. Verùm ut erysipelas, ita & ardens majorem refrigerationem quàm evacuationem requirit. Itaque in febre ardente refrigerantia & humectantia efficaciora & copiosiora esse debent, quâm in ullà putridarũ, non adstringentia sed leviter aperientia, incidentia, attenuantia, item malignitatem & acrimoniam contemperantia. Sed in toto decursu curationis & usu evacuantium & alterantium virium ægri ratio inprimis habenda est, ac etiam symptomatum urgentiũ, quæ in hac febre non parvam curationis partem ad se plerumque trahunt. *Diæta.* Diæta itaq; in omnibus febribus biliosis, præcipuè verò ardentibus, sit refrigerans humectans: *Aër.* Decumbat ægri in loco frigido ad nitidum suavemq; aërem exposito, in lecto amplo super molli culcitra, quę frequenter sternẽda est, cooperti stragulis & linteis mollib⁹, tenuib⁹, mundis, sed non recenter lotis aut lotionem redolentibus: ideo lintea sordida, contra opinionem vulgi, sæpiùs commutanda sunt, nisi instet crisis: cavendum, ne corpus perfletur aut refrigeretur, sed ut frigidum aërem inspiratione solum attrahant. Æstate aut locis calidis aër arte refrigeretur, ut suprâ capite

capite *de curatione putridarum in genere*, dictum est. Victus ratio (quo ad alimenta in his febribus) tenuis, qualitate refrigerans & humectans esse debet, sed in ardente exquisita, quæ peracuta est, tenuissima, si virium debilitas, consuetudo, aliaque non impediant. Pro cibo itaq; utatur ptisana aut cremore hordei prius excorticati, addito pauxillo succi granatorũ, acidi citri, limonum &c: Vel decocto prunorum, jusculis pullorũ alteratis lactuca, acetosa, endivia, portulaca, panatella aspersa succo granatorũ & saccharo, lacte quat: sem: frigid: &c: Vbi propter virium debilitatem aut consuetudinẽ plenior victus requiritur, dentur jura carnium contusarum & expressarum, pisces saxatiles, carnes pullorũ elixæ cum lactuca, acetosa, portulaca &c. Offerantur cibi hora minoris afflictionis, pręcipuè manè, quo tempore ex aura frigidiore & post somnum febris mitescit. Potus sit aqua hordei priùs excorticati, adjecto tantillo succi granatorum &c. vel aqua cocta saccharata, vel aqua panata, vel cerevisia tenuis; vinum aquosum assuetis, aut ijs, qui propter consuetudinem abstinere nõ possunt nec volunt, conceditur, pręcipuè si vires debiles exigant. Vinũ concoctionem juvat & urinas ac sudores movet, sed ne febrim & dolores capitis augeat, multùm diluitur aqua hordei, vel aqua cocta, addito

Victus ratio quo ad alimenta.

Potus.

Somnus & vigilia.

modico ſucci aut ſyrupi acidi citri &c. Præterea ſomnus, quantum fieri queat, procurandus eſt, ut pòſt dicetur, quod vigiliæ plurimum noceant, item quies imperanda eſt, & vitandi ſunt immoderati affectus ut ira, triſtitia, metus; Alvus, ſi ſponte non fluat, citetur levibus clyſteribus alijſque, ut mox dicetur. Initio febris ardentis, ſi vires ætaſque non impediant, Græci venæ ſectionem præcipiunt, & nonnulli ad animi uſq; deliquium. Avicenna contrà, niſi urina craſſa rubraque fuerit, omnem phlebotomiam prohibet, metu ebullitionis choleræ. Verùm cum hæc febris ſit morbus non ſolum magnus, ſed etiam maximus, & multa refrigeratione indigeat, præterea largo ſanguinis profluvio plerumq; judicetur, ac bilis in venis putreſcens nunquam ita ſincera ſit, quin aliquid ſanguinis ei permiſceatur, inſuper hæc febris phrenitidis periculum minetur, ideo phlebotomia inprimis requiritur, quæ per ſe humores ex omnibus venis totoque corpore evacuat, & parte oneris, quo premebatur, naturam liberat, ac à præcipuis partibus revellit, ex accidenti corpus refrigerat, & potius ebullitionem bilis prohibet quàm promovet. Parcius tamẽ ſanguis mittatur in naturis bilioſis æſtate mediâ ſub Cane &c: & tantum ad eventationem. In alijs plenior ſanguinis detractio con-

ctio convenit, ſed non ad animi deliquium; tutius enim eſt initio minus detrahere, quàm neceſſitas exigit, deinde ſectionem repetere: Secetur interna dextri cubiti vena, & ſi pars aliqua ſit affecta, ea quæ è directo reſpondet. Quantum ſanguinis detrahendum ſit, pulſus nos edocebit. Si ætas aut virium debilitas ſectionem venę prohibeat, cucurbitulæ cum ſcarificatione coxis aut cruribus admovendæ ſunt. Ante venæ ſectionem, ſi alvus non reſpondeat, citetur clyſtere leniente,

℞ *malvæ,*
violariæ,
lactucæ,
mercurialis ana m j.
ſempervivi,
florum nymphææ ana m s.
prunorum num: vij.
coquantur in aqua, in cuius ℔ j. *diſſolve caſſiæ extractæ,*
ſacchari rubri ana ℥ j.
olei violarum ℥ ij.
nymphææ ℥ j.
ſalis ʒ j.

fiat Enema. Pro decocto illo uti poteris tanto aquæ hordei, vel ſeri lactis, & in progreſſu ubi vehemens eſt ardor addere mucilaginis ſem: pſilij ℥ j s. Poſt phlebotomiam alvus ſubduci poterit lenitivo,

℞ *cassiæ ext:* ℥ j.
pulpæ tamarindor: ℥ s.
cum saccharo, fiat bolus

dissolvi poterit in seri vel decocti prunorũ, acetosæ, endiviæ; flor: violarum &c: ℥ iiij. addita syr: rosaci sol: vel de cichoreo cum Rhabarbaro ℥ j. vel *cape, Mannæ Calabrinæ* ℥ j.
syr: rosati solutivi vel infusionis violarum ℥ j s.
detur cum decocti hordei & tamarind: ℥ iij.

Pro naturis robustioribus his addi poterunt Elect. de succo rosarum, aut diapruni solutivi ℥ j s. à validioribus tamen abstinendum metu diarrhææ. Probantur enim in hac febre cholagoga mitiora, quæ bilis acrimoniā obtundunt, ut Cassia, tamarindi, syr: infusionis rosarũ & violarũ &c. Manna, quia mellis naturā refert, quod in bilem facile permutetur in biliosis valde ardentibus minus convenit, nisi bilem contemperantibus misceatur. Rhabarbarum & myrobalani citrini nisi adstrictoria vi spoliētur, biliosis febribus adversissima sunt, veluti si infundatur Rhabarbarum aqua aut decocto endiviæ: cortices myrobal: præparati oleo amygdalarum, macerentur in sero lactis captini aut aqua fumariæ &c: conceditur tamen Rhabarbarum in substantia in alvi immodicis fluxionibus. Tutissimè in hac febre lenientibus utimur aucta eorum dosi, ita enim non solum com-

communes materias educunt, ſed etiam aliquid de materia propria febris. Si materia bilioſa turgeat, ut præcipit Hipp: ſtatim purgare oportet,

℞ *Rhabar: electi* ʒ ij.
ſcænanthi gr: vj.
infundantur vel aquæ endiviæ vel decocti endiviæ, acetoſæ, tamarindorum &c: ℥ iiii.
Colaturæ expreſſæ ædmiſce mannæ calabrinæ, ſyr: roſati ſolutivi ana ℥ j. *fiat hauſtus.* Tenuioribus fortunæ naturaq; robuſtioribus Elect: de ſucco roſar: vel diapruni ſolutivi ℥ s. datur. Si bilis non turgeat ante evacuationem præparetur alterantibus, quæ fervorẽ mitigant, putredinẽ coercent, obſtructiones aperiunt, viſcera roborant, quæ omnia ferè præſtant oxyſacchara, & ſyr: acetoſus ſimplex, ſyr: granatorum, acidi citri, de ſucco acetoſæ, limonum, de cichoreo, de endivia &c. Si bilis tenuior, magis acris, & fervida ſit, Iulep aut ſyr: violarum, roſarum, de agreſta, de ſucco portulacæ, de nymphæa, de papavere &c: dentur cum duplis aquarũ aut decocti endiviæ, cichorei, acetoſæ, lactucæ, violarum, portulacæ &c: veluti ad refrigerandum & obſtructiones reſerandas, *Præparantia.*

℞ *oxyſaccharæ ſimplicis,*
ſyr: acetoſi ſimplicis,
de cichoreo ana ℥ j.

Aquarum endivia,
acetosæ,
violariæ,
buglossæ ana ℥ j s.
spiritus vitrioli rectificati ad gratam aciditatem misce, fiat Iulep aromatizetur spec: diatrion santalon ℈ ij.

Ad ardorem ebullitionem & acrimoniam bilis contemperandam,

℞ *syr: de succo portulacæ,*
de papavere ana ℥ j.
de nymphæa,
violarum ana ℥ s.
Aquæ portulacæ,
lactucæ,
nymphææ,
violarum ana ℥ j s.
misce, aromatizetur sp: diamargar: frig: ʒ s.

In progressu, si febris non cessaverit, detur hoc apozema,

℞ *hordei excorticati contusi* m j.
passularum enucleatarum.
tamarindor: ana ℥ j.
prunorum num: vij.
cons: flor: nymphææ,
violarum ana ℥ j.
sem: quat: frigid: major: mundat: contusorum ana ℥ ij.

fiat decoctio in aquæ lib. iiij. *ad tertiæ partis consumptionem, Colaturæ admisce oxysaccharæ* ℥ ij.
syr: vio-

syr: violarum,
de cichoreo,
vel, apparentibus signis concoctionis,
de Bizantijs,
aut de duabus radicibus ana ℥ j s.
fiat apozema, detur haustus mane & vesperi.

Post præparationem si vel neglecta, aut omissa sit venæ sectio, aut materia peccans multa fuerit & tanta, ut vinci à natura nequeat, dandum est pharmacum, quod non solum communes materias educat, sed etiã propriam febris minuat, ut dilutum Rhabarbari aliaque jam enumerata. Hipp. 4. *de Ratione Victus*, in his & similibus febribus potiones attractorias cõmendat, nimirùm sorbitiones nutrientes mixtis purgantibus, quia vires reficiunt & minùs commovent. Verum morbo ad statum tendente, observare dilligentissimè oportet motum naturę, & quo excretionis genere, sive qua via crisin moliatur, nihilque tentandum, quod motũ naturæ impediat. Quare diebus criticis potissimùm, à purgationibus abstinendum erit, ac etiam cavendum, ne alterantibus nimis frigidis aut adstringentibus naturę motus refrænetur aut sistatur. Nam in acutis febribus initio, si quid movendum sit, movere oportet, in statu quiescere, & crisin expectare ac naturæ motum, & defectum supplere, excessum reprimere. Quare si natura

imperfectè moveat, eam juvare convenit, per illas vias, quas crisin molitur: si per fluxum sanguinis, juvetur setis porcinis & similibus; si per sudores, levibus frictionibus, & fomẽtis, ac exhibito decocto flor: chamomillin: cum aqua hordei, vel decocto rad: tormentillæ, pentaphylli, glycirrizæ, in aqua hordei: Si per urinas, emulsione quat: sem: frigid: major: vel

℞ *Rad: acetosæ,*
graminis,
cichorei ana ℥ s.
glycirrizæ,
Sem: quat: frig: major: ana ʒ ij.
fol: capill, ven: endiviæ,
florum buglossæ ana P j.
coquantur in aquæ hordei q. s. Colaturæ admisce syr: de duabus radicibus ℥ j s.
oxysacchare simpl: ℥ j.

spiritus vitrioli rectificati ad gratam aciditatem guttas aliquot, f. apozema. Si natura moliatur crisin per vomitum, juvetur ijs, quæ fauces ad vomitũ irritant, assumat *aquæ hordei* ℥ iiij. *syr: acetosi simplicis* ℥ ij. *fiat haustus.*

Movetur natura ad expulsionem in Causo exquisito præcipuè die septimo; In continuis tertianis & Causo notho tardiùs. Quod si apparentibus signis concoctionis die critico natura ad expulsionem nõ moveatur, de-

inde febris nihil se remittat, oportet diem sequentem criticum expectare, ac intermedijs diebus naturam, ad crisin præparare: sin febris à die critico sensim se remittat, tum metu recidivę cogimur primùm validè purgare, deinde ad reliquias omnes tollendas, urinas, & sudores movere. Contrà si contingat, naturam in hac febre crisin facere, sed per immodicam aliquam evacuationem, ut metus sit, ne vires debiles succumbant, eam sistere convenit, ut infrà, ubi de Curatione symptomatum febrium in specie dicetur. Ad calorem febrilem contemperandum visceraque corroboranda varia præscribuntur alterantia, inter quæ validissimum est aquæ frigidæ potus, cujus legitima administratio in præcedentibus capitibus proposita est. Nam si exhibeatur à purgatione, apparentibus signis concoctionis instante vigore, viribus valentibus, nulloque eorum prohibente, quæ in superioribus capitibus enumerata sunt, magis utilis & necessarius est, quam in ulla alia putridarum. Aqua si cruda sit corrigatur, aut ejus loco sumatur aqua hordei, aqua panata, aut aliqua destillata cum oxysacchara &c: Ad calorem restinguendum commendat Avenzoar aquam Anguriæ: Amatus aquam, in qua maceratum fuerit semen psilij; item decoctum tamarindorum, sebesten, acetosæ,

Calorem contemperantia.

lactucæ &c: in aqua hordei, vel aqua in qua macerantur tamarindi, berberes, & pruna. Vtantur etiam frequenter conserva aut rob ribes, berberum, cerasorum acetosorum, Emulsione quat: sem: frigid: ex aqua lactucæ. Commendatur in ardentibus magnis nitri præparati ℥ s. ex aqua lactucæ vel portulacæ, similiter cristallum &c: Ad viscera corroboranda & calorem febrilem contemperandum exhibentur varia electuaria & condita, ut tabulæ diamargariti frigidi, diatrionsant. Elect: de gemmis, diarrhod: Abb: , manus christi perlatæ &c: Condita ex conserva acetosæ, acetosellæ, violarum, cichorei, buglossæ, nymphææ, rosarum &c: veluti ad sitim & calorem viscerum contemperandum,

℞ *conservæ acetosellæ,*
violarum ana ℥ vi.
nymphææ,
rob ribes,
berberum ana ℥ s.
sp: diatrionsant: ℈ ij.
diamargariti frigidi ℈ j.
spodij ex ebore,
cristalli optimi tenuissime pulverizati,
coralli rubri præparati ana ℈ s.
cum syr: acetosæ: fiat mixtura, vel
℞ *conservæ buglossæ,*
violarum,
rosarum ana ℥ j.

dissol.

dissolvantur in aquæ endiviæ,
acetosæ,
violarum, ana ℥ iij.
calefiant super cineres, & per colum transmittantur, adjectis speciebus diamargariti
diatrionsant: ʒ s. (*frigidi* ʒ j.
diarrhod: Abb:
coralli rubri præp: ana ℈ j.
syr: granatorum dulcium,
buglos:
acetositatis citri ana ℥ ij.
misce, detur singulis vicibus cochlear unum. Si fluxus alvi superveniat,

℞ *conservæ ros: rub: veter:* ℥ j.
troch: de spodio cum semine acetosæ ℈ ij.
corallorum rubr: præp:
margarit: præp: ana ℈ j.
cum syrupo de agresta vel rosis siccis, fiat mixtura. Si adsit malignitas aut fumi ex bile cor petant, cordisque palpitationes &c: inducant, detur manus christi perlatæ, Confect: hyacinthorum, Elect: liberantis.

℞ *Conservæ ros:*
violar:
acetosellæ ana ℥ s.
~~*theriacæ,*~~ *de citro* ʒ vj.
spe: diamargariti frig:
elect: de gemmis frigidis ana ℈ ij.
liberantis ℈ j.
solutionis margaritarum & corallorum ex

succo citri vel limonum ana ℈ j.
ossis de corde cervi aut potius extremitatum cornu cervi præparati succo scordij ℈ j.
fol: auri num: iij.
cum sy: acidi citri, fiat mixtura ad formam opiatæ. Si immodicis vigilijs infestentur & delirijs, exhibeantur syr: de papavere & nymphææ, cum duplo aquæ lactucæ, vel emulsione sem: quat: frigid: major: cum sem: pap: albi; Si nihil aut minimum profeceris, dentur ladani opiati grana tria aut quatuor: sed ab his & similibus abstinendũ instante crisi: De curatione horum cæterorumq; symptomatum urgentium in specie, pleniùs suo loco dicetur. Extrinsecus varia adhibentur, & potissimũ vel ad calorem febrilem contemperandum, vel ad poros cutis relaxandos, & fuliginem caloremq; febrilem foràs attrahendum, vel ad symptomata nonnulla mitiganda. Primùm ad calorem febrilẽ contemperandũ admoventur epithemata, linimenta, aliaque cordi, jecori, capiti, renibus &c. Temp9 oportunũ est, in statu aut declinatione, dum calor ad exteriora se diffundit, non initio, aut in augmẽto, dum circa viscera adhuc residet, nec etiã instante crisi. Pro Corde

Topica.

℞ *aquæ rosarum,* ℥ iiij.
violarum,
acetosæ,
buglossæ,

nymphææ,

nymphææ, ana ℥ j s.
aceti rosacei ℥ s.
spec: diamarg: frig: ℈ ij.
de gemmis frigidis,
santali citrini ana ℈ j.
corallorum rubr: ℈ s.
camphoræ gr: iij.
croci gr: v.
misce f. Epithema,

Addi poterit modicum vini odoriferi, cordi tepidè cum syndone rubra adhibe, vel

℞ *flor: rosar:*
violar:
nymphææ,
buglos: ana P j.
spec: diamarg: frigidi ℈ ij.
de gemmis frigidis,
santali citrini ana ℨ s.
troch: de camphora ℈ s.
croci gr: v.
concisa, cum syndone rubra fiat sacculus, qui in aqua rosarum calefacta expressus cordis regioni admoveatur, aliquando carpis.

Pro hepate

℞ *succi vel aquæ endiviæ.*
rosarum ana ℥ iiij.
solani,
lactucæ ana ℥ ij.
aceti rosacei ℥ j.
pul: omnium santalorum ana ℨ s.

spodij

ſpodij ex ebore,
coralli rubri præp: ana ℥ j.

miſce. Parari poterit linimentum, tàm pro regione jecoris, quàm renum, illinendũ ex unguento roſato, cum cerato ſantalino, & pauco aceti. Ad reprimendos humores & vapores in cerebrum aſcendentes, vigilias &c: poſt ſectam venam fronti & temporibus admoveatur oxyrrhodonum æſtate frigidum, hyeme tepidum,

℞ *olei roſarum omphac:* ℥ j s.
olei violarum,
aquæ roſarum,
aceti roſacei ana ℥ s.
miſce.

Si adſint deliria cum metu phrenitidis,

℞ *olei violarum,*
nymphææ, ana ℥ j.
aceti roſacei ℥ s.
miſce. vel

℞ *unguenti populeonis recentis* ℥ vj.
olei nymphææ ℥ ij.
opij ſoluti vino,
olei nucis moſchatæ expreſſi ana ℈ s.

miſce f. linimentum quo illinantur tempora & nares. vel: *ſemen papaveris albi cum albumine ovi & aqua roſarum diſtemperatum, addito tantillo aceti, & olei nymphææ, fronti epithematis modo imponito.*

Si magnum ardorem circa pectus ſenſerit, metuſq; maraſmi retorridi ſit, ℞ *ol:*

℞ *olei violarum* ℥ ij.
olei amygdal: dulcium recentis ℥ j.
aquæ violarum ℔. s. *agitentur simul, & intincti panni pectori admoveantur.*
vel: ℞ *olei violarum* ℥ j.
nymphææ,
mucilag.
sem: psilij ex aqua rof: ana ℥ s.
cum modico ceræ sæpius lotæ aqua violarum, fiat linimentum, quo illinatur pectus, spina, & regio renum.

Testes, quia cum toto & præcipuis visceribus magnum consensum habent, fomententur aqua rosarum cum vino & modico aceti, similiter mammæ in mulieribus. Veteres, pro ingenti æstu, hypochondrijs admoverunt Cataplasma ex farina hordei subacta cū succo lactucæ, endiviæ, plantaginis &c. Verùm his cautè & tempestivè utendum, ne febrilis calor ad interiora retrudatur. Prætereà ad contemperandum calorem, & cutis poros relaxandos, fuliginosósque vapores discutiendos, commendatur à veteribus balneum aquæ dulcis modicè calidum, in naturis bono corporis habitu præditis, balneisque assuetis, apparentibus signis concoctionis, si febris ardens exquisita, non notha sit, modò nulla suspicio fuerit inflammationis aut tumoris in visceribus. Gal: *2. Method. cap. 9.* in juvenibus *Balneum.*

nibus

CAP. VIII.

nibus robustis, sub cœli statu calido, febre existente ardentissima, cum evidentibus concoctionis notis, frigidum balneum concedit, præcipuè si marasmi metus sit, quia moderatus ejus usus non solum calorem contemperat, ægrumque non lædit, sed etiam, ut ille ait, naturam roborat, ut per sudores, aliasq; evacuationes id, quod inutile est, meliùs expellat. Ad cutem relaxandam, & fuligines expellendas, probantur frictiones molles, inunctiones cum oleo chamomelino & amygdalarum dulcium. Laudantur in doloribus fomentationes hypochondriorum cum oleo chamomelino, addito modico aceti albi, & aquæ rosarum. Aliqui sumunt, *olei chamomelini* ℥ j s.

amygd: dulcium ℥ j.

nitri præp: ʒ iij.

aquæ chamomelinæ ℥ ij.

& coquunt ad aquæ consumptionem eoq; totum corpus inungunt. Similiter ad fuligines & calorem igneum foràs attrahendum raso capiti, pectori, hypochondrijs, & plantis pedum adhibentur pulmones animalium recens mactatorum, aut columbæ, vel pulli, vel catelli per medium dissecti & exenterati. In hac febre vehementissimâ, quia sævissima symptomata incidunt, ut sitis, vigiliæ, delirium, dolor capitis, anxietas &c: quę ad se bonam curationis partem trahunt, ideo ea

eo ea lenienda & mitiganda erunt ſtatim, ut infrà docebimus, ubi de curatione ſymptomatum febres conſequentium in ſpecie agemus.

In febre ardente notha ex ſalſa pituita, aut bile permixta pituita eadem curandi ratio inſtituitur, & ijſdem remedijs alterantibus, concoquentibus, evacuantibus utimur, quibus in tertiana notha. Nam diæta ſit plenior, minus refrigerans, ſed magis attenuans, incidens, quàm in Cauſo exquiſito. Deindè niſi humor putreſcens ſanguini multo permiſceatur, venæ ſectio non conceditur, aut parca eventationis ſolum gratia, ſed magis purgatio. Purgantia ſint, quæ bilem cum pituita evacuant ut Elect: diacatholicon, dilutum agarici cum Rhabarbaro, ſyr: diaſereos &c. Humores digeruntur & præparantur ſyr: acetoſo, oxyſacchara, ſyr: de cichoreo, capill: ven: de bethonica, de Bizantijs, oxymelite &c: cum aquis aut decocto betonicæ, capill: ven: cichorei &c. Poſt evacuationes apparentibus ſignis concoctionis urinæ & ſudores promoveantur; ſed validioribus, quàm in Cauſo exquiſito, ac in ſumma tota ferè curatio ardentis nothæ ijſdem remedijs abſolvitur, quibus infrà curatio tertianæ nothæ.

Curatio ardentis nothæ.

DE

DE TERTIANA EXQVISITA *Intermittente.*

Caput IX.

Febres tertianæ intermittẽtes vel simplices vel cõposita.



Ebres biliosę, quæ periodos habẽt, & ad infebricitationẽ deveniunt, tertianæ intermittentes simplices, aut compositæ sunt: simplices autem, quæ tertio quovis die unicam accessionem & intermissionem obtinent; Compositæ vero quæ tertio die duas, tres, aut plures accessiones & intermissiones, quæ duplices aut triplices tertianæ &c: appellantur. Simplex autem tertiana, quæ tertio die affligit, alia exquisita est, ex bile ad sensum sincera putrescente, alia notha ex bile non sincera sed permixta cum alio humore, & præcipuè cum pituita, ita tamen ut bilis prædominetur. De tertiana exquisita hoc capite, de notha sequenti capite in specie dicemus. Ac primum *tertiana exquisita intermittens, est febris tertio quovis die circuitus accessionis & intermissionis habens, orta à bile putrescente, extra venas per sensiles partes delata & secreta.* Omnibus enim intermittentibus id commune est, humores putrescentes extra venas deferri, & dum deferuntur accessionem oriri, secreto & expurgato humore putrescente ad infebricitationem devenire. Expellitur autem ex venis, quia facultas expultrix robusta

Definitio tertianæ exquisitæ intermittentis.

est, hu-

est, humor minus copiosus, & viæ patentes, quæ in continuis febribus non accidunt. Quare in tertianis exquisitis, quod putrefactum est, in singulis accessionibus excernitur, plerumque per sudores & insensibilem perspirationem, aliquando una per vomitus & biliosas dejectiones. Causa hujus febris est bilis ad sensum sincera putrescens. Bilis ista sincera est flava, non quæ flavæ assimilatur, pallida, orta ex flava bile permixta cum tenui pituita, aut seroso humore; nec bilis vitellina ex crassioris pituitæ cum flava bile mixtione aut caloris intensione. Nam ex his tertiana notha gignitur: neque bilis æruginosa aut porracea, quæ in febrib⁹ salutaribus, qualis est tertiana exquisita excerni nunquam visa est, sed pro eâ bilis flava. Fomes hujus febris plerumque est jecur, aut vesicula febris, aliquando quæ circum præcordia & cava viscerum sunt loca. Coacervatur biliosus humor & putrescit ab ijsdem causis, quibus suprà in febre ardente, nimirum in juvenibus aut natura calidis siccis ætate media, post iras, curas, laborem, vigilias, ex inedia, alimentis calidis siccis, suppressione consuetæ evacuationis bilis &c: In quibus causæ bilem coacervantes maxime concurrunt, tertiana maxime exquisita oritur. Quia vero in naturis quantumvis biliosis ex victus ratione alijsq; gignendæ pituitę

Causa.

accommodatis, nonnihil pituitæ plerumque colligitur, quæ tertianam à ſincera bile fieri prohibet, ideo tertianæ proſus exquiſitæ rariſſimè, aut ferè nunquam inveniuntur, & quæ à veteribus deſcribuntur, exemplar aut idea quædam tertianarum exquiſitarum ſunt, ad quas quæ propiùs accedunt, earumque ſymptomata manifeſtiora obtinent, magis exquiſitæ exiſtimantur; eadem ratio in cæteris febribus eſt. Exquiſitæ tertianæ acceſſio duodecim horas non ſuperat, plerumq; ſex, ſeptem, aut octo horarum eſt, ac tota duratio pluribus, quàm ſeptem circuitibus, non definitur. Semper autem acceſſionis major longitudo oritur à majore bilis copia aut craſſitie ſive permixtione pituitæ cum bile, aut virtutis expultricis debilitate, corporiſque denſitate, ſenſuque obtuſiore. Contrà brevitas paroxiſmi à bilis paucitate, tenuitate, ſinceritate, virtutis expultricis robore, corporiſque, per quod defertur, raritate, ſenſusque acumine. Ob mixtionem pituitæ cum bile in tertianis nothis, quæ à natura non ita facilè ſuperantur, circuitus ultra ſeptem proferuntur, & acceſſiones ultra horas duodecim. Signa tertianæ exquiſitæ intermittentis, quòd febris primo ſtatim die cum valido rigore vehementer pungente carnemq; feriente incipiat, quo ſigno non ſolùm

Cauſa longitudinis & brevitatis paroxiſmorum.

Signa.

ſolùm à continuis febribus, ſed etiam ab aliis intermittentibus diſtinguitur. Nam quotidianis intermittentibus fortis rigor non accidit, ſed frigefactio aut levis horror; & quartana ſtatim primo die cum vehementi rigore nunquã invadit, ſed in proceſſu rigor augetur, non cũ ſenſu acris punctionis, ſed refrigerationis aut doloris, oſſa quaſi penetrantis & frangentis; qualis rigor, ut in tertianis, non ſubito incipit & augetur facileque ſedatur: ceſſante rigore mox calor vehemens accenditur, tanquam purus ignis. In progreſſu aucta febris, calor plurimus & acris eſt, ſed non ita mordax, ut in febre ardente, qui admota manu ſuperari nequit; quod fervor vehemens intra venas contineatur; ſed ſolùm qui primo manus occurſu multus acriſq; ſentiatur, & cum vapore efferatur, verum paulò poſt à manu ſuperetur. In ſtatu calor ita æqualiter per totum corpus diffuſus eſt, ut nihilo plus pectus, quàm extrema caleant, quo tempore potiſſimum ægri vehementius deuruntur, & denſum magnumque ſpiritum trahunt, & quaſi flammam exſpirant, ſiti vehementiſſima torquentur &c. Pulſus initio acceſſionis parvi, debiles, rari, & tardi ſunt, non tamen ita tardi rarique, ut in initijs acceſſionum quartanarum, in quibus arteria alligata, & quodammodo ad interiora

retracta videtur: & licet in hac febre, ut in cæteris â putredine ortis, systole celerior sit quâm diastole, tamen nec in uno motu, nec in collectione inæqualitas sentitur, ut in aliis febribus, nisi raro: quia ab initio liberam & æqualem obtinet celeritatem, statimque ad magnitudinem & vehementiam excitatur, & celeritatem his correspondentem, adeo ut in augmento & potissimum in statu pulsus magni calidi vehementes frequentes & veloces sint. Præterea tertianæ exquisitæ accessio non ultra duodecim horas extenditur, sæpius quinque, sex, septem aut octo horis finitur, propter causas suprà enumeratas. Incipit accessio cum rigore, & sub finem rigoris interdum biliosi vomitus suboriuntur. Cum accessio in vigore constiterit, & necessitas aut oportunitas bibendi adest, statim plurimus vapor per cutem exhalat, deinde copiosus sudor erumpit. Vrina subruffa, subflava, aut rufa igneaque apparet, mediocris substantię, parte quidem inferiore subtilior, superiori umbrosa & nebulosa. Adduntur his signis symptomata febrem consequentia, ut sitis ingens, vigiliæ, dolor capitis acris sine gravitate, interdum deliria oris amaritudo, morsus orificij ventriculi, vomitus aut biliosæ dejectiones &c. Deindè causę evidentes, ut cœli constitutio calida sicca, solis ardores, ætas juvenilis, ira, curæ,

curæ, vigiliæ, labores, inedia, victus biliosus &c: confirmat judicium, si eodem tempore multos contigerit tertiana laborare.

Prognostica. Omnis febris intermittens sua natura minus periculosa est, quàm continua, non solùm, quia ad infebricitationem desinit, sed etiam quia oritur à materia longius à corde remota, extra venas putrescente. Verùm, si intermittens in continuam vertitur, ut plurimùm lethalis est, quia debilitatem virtutis arguit, quæ nequit humorẽ putrescentem extra venas depellere. Omnium intermittentium tertiana exquisita brevissima & tutissima est, & licet curatu facilis sit, tamen si à medico, qui nulla ratione & via utitur, malè tractetur, non modo curatu difficilis, sed etiam insanabilis aliquando redditur, quod Trallianus *lib. 12 cap. 6.* testatur, cujus rei exemplum proponit Gal. *1. ad Glauc cap. 9.* de eo, qui corrupto judicio calidis balneis usus, extenuato corporis habitu ad tantam devenit perniciem, ut tabe consumptus interiret. Deindè febris ista citò terminatur, &, ut diximus, ad summum septem circuitibus judicatur, & statum febris in quarto habet, initium in prima accessione, augmentum in secunda aut tertia, declinationem in quinta cæterisq; sequentibus. Attamẽ si primo aut secundo die sedimentum album leve & æquale in urina appareat,

Prognostica.

tertio circuitu terminabitur, si nebula alba aut sublimamentum, non transcendet quartum paroxismum: Atq; hæ tertianæ omnium exquisitarum simplicissimæ sunt. Quòd si primis diebus nil horum apparuerit, & urina rufa sit, septimus paroxismus expectandus est, quem si superaverit ac etiam nonũ, tertiana minus exquisita judicanda erit. Scribit Haly, in tertiana laborantibus si ulcera aut pustulæ in labijs & naribus erumpant, finẽ febris denotare. Superest curatio.

Curatio.

Scopi curationis in hac febre, ut alijs ex putredine ortis, est febrilem calorem refrigerantibus & humectantibus temperare, bilis putredinem ex toto factum educere,

Indicationes.

quæ adhuc in fieri est, calorem nativũ contemperantibus, refrigerantibus, præparantibus concoquere & corrigere; causã putredinis, ut obstructiones, incidẽtibus, attenuantibus, detergentibus tollere, sed levioribus, quia præpollet indicatio à febre bilisque fervore. Item viscera roborare, symptomata mitigare, & vires conservare aut reficere, Conservantur vires, & febris lenitur, accommodâ victus ratione. Tota victus ratio in

Diæta.

hac febre, ut in Causo, sit refrigerans humectans. Decumbant ægri in loco frigido & perflato, bene contecti; si aër sua natura frigidus non sit, arte corrigatur, ut sæpiùs in superioribus ostendimus. Victus ratio, quo ad

quod ad alimenta, ad ſtatum uſque tenuis ſit, & eo tenuior, quo citius futurus eſt ſtatus, ex ſorbitionibus tenuioribus aut craſſioribus. Poſt ſtatum plenior victus debetur, ex alimentis ſolidioribus magiſq; reficietibus, & diebus intermiſſionis magis, quàm acceſſionis. Probantur panis triticeus fermẽtatus & lotus, ptiſana hordei colata vel integra, panatella ex pane loto cum aqua & ſaccharo, aut cum jure pulli, vel cereviſia tenuiori & ſaccharo; Ex oleribus lactuca, acetoſa, endivia, malva, bugloſſa; Ex fructibus pruna, ceraſa, & ceraſium, berberis, ribes, eorumq; conſervæ & Rob. Succus malorum citreorum, granatorum, limonũ &c. Talibus condimenti loco utimur. Ex piſcibus probãtur ſaxatiles & quæ mollem friabilem carnem habent, ut aſellus minim⁹, perca, lucius, trutta &c. Ex volatilibus, pulli gallinarum, caro caponis, perdicis, phaſiani, aviũ montanarũ, teſtes gallorum, alæ anſerum, ova gallinarũ recentia ſorbilia; Ex terreſtribus caro vitulina, hædina, agnina, interdum pedes porci junioris &c. Delicatis & tènuiori victu aſſuetis ſufficiunt ſorbitiones primum ad ſtatum tenuiores, ut cremor hordei, deinde craſſiores. Alijs eligendus eſt victus pro natura conſuetudine & viribus ægri, peccantibus magis in paulò pleniore quã tenuiore. Ab omnibus acribus, ſalſis, valde dulcibus,

ut melle, abſtinendum. Oportunitas maxima ſumendi cibi eſt tempore quietis ſive intermiſſionis, niſi vires urgeant; Inſtante paroxiſmo cibi exhibendi non ſunt, ſed ſex aut ſeptem horis ante ejus adventum, ut cibus in ventriculo concoctus priùs deſcendat. Attamen ſi vires refectionem urgeant & præcipuè in corporibus gracilibus, raræ texturæ, & biliosis, ne nimium diſſolvantur, cogimur interdum in ipſa acceſſione cibum facilis concoctionis concedere, ut cremorem hordei Potus ſit, aqua hordei; cerevisia tenuis, aliaque ut in Cauſo. Vinum ante ſtatum & ſigna concoctionis non concedendum, ſed poſt ſtatum, idque vinum album, tenue, aquoſum aut valde dilutum. Tempus ſumendi potus in paroxiſmo eſt, in ſummo vigore, quo tempore bibant potiſſimum aquam hordei decorticati, aquam ſaccharatam, oxyſaccharam, ſyr: acetoſum, limonum, de cichoreo, violarum &c: cum duplo, aut plus aquæ endiviæ, cichorei, acetoſæ, bugloſſæ &c. Cætera ad victus rationem pertinentia ex præcedente capite, ac etiam ex capite, *de curatione putridarum in genere*, petenda ſunt. Illud in hac alijſque febribus, quæ circuitus habent, obſervandum eſt, quod in initijs acceſſionum nec dormire, nec cibum potumque, nec aliquod medicamentum aſſumere oporteat, niſi magna neceſ-

CAP. IX.

nessitas urgeat. Deindè ante accessionem quod alvi excrementa si sponte non excernantur, arte, medicamento leniente, aut mollibus clysteribus, subducenda sint &c. Secundo inter evacuantia primum locum obtinet phlebotomia, de qua ac etiam de tempore sectionis venæ nonnulli dubitant. Gal: *2. Method. cap. 39.* in omnibus febribus ex putredine ortis phlebotomiam cōmendat. Attamen *lib. 1. ad Glauc. cap. 9.* in curatione hujus febris ejus nullam mentionem facit, unde nonnulli venæ sectionem dissuadent, & alias evacuationes, nimirum per alvum, vomitum, & sudores commendant. Arabes ex urina rubra consilium sumunt phlebotomiæ, fallaci conjectura, quod dominantis sanguinis & gravioris incendij signum esse credant, cùm ex hepate infirmo aut rene plus æquo attrahente alijsque causis rubra interdum procedat. Avicenna, & practici nonnulli ejus sectatores, ante tertium paroxismum sanguinem detrahendum non esse statuunt, quod quibus aliter detractus sanguis fuit, in ijs febris plerumque exacerbata interdum in continuam conversa est. Cum autem febris ista sua natura, si nil delinquatur, periculo careat, citoq; judicetur, si quis pro eis curatione venæ sectionem non præceperit, præcipuè apparentibus signis concoctionis, non errabit; modò per eas vias,

Phlebotomia.

qua bilis decumbit, & natura vergit, ejus evacuationem juvârit. Quòd si multa bilis sit in venis sanguini permixta, nondum putrescens, si nil impedierit, venæ sectio requiritur, plenius quò sanguis magis redundat, venęq; copiâ turgēt, & vires robustiores sunt parcius in alijs; parcissimè, vel nunquā in naturis calidis siccis, extenuatis, valde biliosis, raræ texturę, æstate media, post inediā, labores &c. In his si vena secetur, vires dissolvuntur, aliquando bilis magis cōcitatur. Deindè & ante & post tertium paroxismum utiliter sanguis detrahi potest, nunquam post quartum, aut morbo ad declinationem tendente. Si enjm multa excrementorum copia sit in primis venis, ne in majores venas rapiatur, consultum est, ut prius expurgetur, aut à natura in singulis paroxismis per vomitū, alvi dejectionem aut sudores, aut arte, medicamentis, quæ per easdem vias evacuant. Deindè evacuatâ primâ regione corporis, parteq; redundantis materiæ, tùm demū opportunum est, venam secare, & cum sanguine partem biliosi humoris nondum putrescentis ex venis majoribus educere, & putredinem sistere. Secetur basilica dextri lateris, aut media, die intermissionis, manè post secundum aut tertium paroxismum. Interea si bilis sursum repat, aut in paroxismi principio nausea ægrotantem infestet, vomitu eliciatur.

Quid faciendum in paroxismo.

℞ syr:

℞ *syr: acetosi* ℥ j s.
aquæ hordei vel aquæ communis tepidæ ℥ v.

misce tepide propinetur, deinde penna aut digitis in o, immissis vomitus provocetur. Si tempore paroxismi in intestinis gravitas aut molestia sentiatur, balanus ex melle & sale immittatur. Enemata aliaque purgantia in paroxismo non conveniunt, nec potio ulla ante summum vigorem; tantum dum incipit febris, frictio levis convenit, ut poris apertis vapores evacuentur. In declinatione si sudet æger, cooperiatur leviter, & sudor calidis linteis abstergatur, ne poros obstruat, sed meliùs fluat: Verum nisi magna pars bilis per alvum aut vomitus fuerit exclusa, & manifesta signa concoctionis appareant, satis tutum non est, medicamentis sudores vel urinas movere. Die intermissionis potissimum alvus aut clystere aut alio medicamento moveatur. Clystere leniente *ex de-* *Alvum solventia.*
cocti malvæ,
violariæ.
mercurialis,
betæ,
furfuris &c: ℔ j s.
cui commisceatur olei rosarum & violarum ana ℥ j s.
cassiæ extractæ ℥ j.
Elect: diacatholiconis ℥ s.
salis ʒ j.

fiat

fiat Enema. Aut detur per os, ut in præcedente capite, *vel cassiæ ext: vel Elect: diacatholici, vel Elect: lenitivi* ℥ j. *cum pulpæ tamarindorum* ℥ s.
vel pro robustioribus, *cum Elect: le succo rosarum aut diapruni solutivi* ℥ ij.
vel plus in forma boli, vel in decocto communi *addito sy: rosati solut:* ℥ j s. Evacuatis communibus materijs, pòst, quæ febrem efficiunt, evacuanda sunt, sed non ante concoctionem, nisi turgeant, aut copia vehementer abundent, metusq́; sit, ne in partem nobilem irruant, aut febris in continuam mutetur; tũ cathartico purgentur; veluti, diluto Rhabarbari, alijsq́;, ut in præcedente capite. Si materia nec turgeat, nec copia redundet, expectanda est concoctio, quo tempore medici est, biliosum humorem ad concoctionẽ præparare, putrefactionem sistere ijs, quæ nativum calorem contemperant, vires roborant, obstructiones aperiunt. Vtendum

Præparantia. ijsdem ferè, quibus in curatione Causi. Laudantur præ cæteris, quæ unà refrigerant, & obstructiones aperiunt, ut syr: acetosus, oxysacchara simplex, syr: limonum, acidi citri, de cichoreo simpl: de endivia &c: cum duplo aquarũ aut decocti appropriati, veluti

℞ *oxysacchara simpl:*
syr: acetosi,

de cicho-

de cichoreo simpl: ana ℥ j.
aquæ endiviæ,
cichorei,
acetosæ,
buglos. ana ℥ j s.
spiritus vitrioli rectificati ad gratam aciditatem.misce,fiat julep, aromatizetur specierum diarrhod: Abb: ℈ ij.

Si obstructiones validiores sint, in progressu ascendere licet ad syr: capill: ven: de Bizantijs, oxysacch: composit:de radicibus, cum aquis aut decocto capill: ven: agrimoniæ,absinthij, fumariæ,carduiben &c. tandem ad trochiscos de Eupatorio, de absinthio,de rhabarbaro,de rosis, & ad alia, ut in sequēti capite, si bili pituita aliqua crassa sit permixta.aut obstructiones magnæ,alioqui à calidis temperandū. Apparentibus signis concoctionis, si natura sponte ad evacuandum non moveatur,cathartico utendum,& si materia sursum urgeat, vomitorio

℞ *fol: asari sex aut septem,concisa leviter bulliant in jusculo pulli aut decocto hordei & passularum tepideq; propinetur*, præcipuè instante paroxismo,vel maceretur rad: asari ℥ iij. in eodem jure vel decocto leniente addito modico vini,colatura expressa propinetur: Validiora in hac febre non conveniunt. Die quietis per inferiora purgandum. *Vomitoria.*

℞ *Rad: cichorei.* *Purgantia.*

acetosa,

acetosæ ana ℥ s.
glycirrizæ ʒ ij.
fol: endiviæ,
fumariæ ana m s.
flor: buglos:
borrag: ana P j.
passul: enucleat: ℥ s.
prunorum num: vij.
fiat decoctio in q. s. aquæ, in cujus colatura ℥ v.
infunde rhab: electi ʒ j s.
schœnanthi gr: vj.
fol: senæ ʒ iij.

(nam in progressu aliquid melancholiam purgans miscendũ est, quia ob ardorem febris pars bilis in melancholiam convertitur) *colentur cum expressione, colaturæ admisce*
syr: rosati sol: ℥ j.
mannæ calabrinæ ℥ s.
fiat haustus,

pro robustioribus addi poterit. *Elect: rosati sol:* ʒ j s. Post purgationes ad reliquias materiæ morbificæ tollendas utendum, quæ urinas & sudores movent. Vrinas movent, ut in pręcedenti capite, lac quat: sem: frigid: vel

Diuretica.

℞ *rad: cichorei,*
graminis,
apij ana ℥ s.
glycirrizæ,
sem: quat: frigid: major: ana ʒ iij.

fol:

fol: agrimoniæ,
capill:ven:ana m s.
carduiben:
flor: bugloss:
borrag: ana P s.
passul:enucleat: ℥ s.
concisa coquantur in q. s. aquæ, colatura aromatizetur spec: diarrhod: Abb:

Admisceri poterunt syr: acetosus simplex, de bizantijs capill:ven:& nonnihil spiritus vitrioli rectificati ad gratam acciditatem. Vel

℞ *diarrhod: Abb:*
diatrionsant: ana ℈ ij.
sem: melonum mundat: ℥ s.
sacchari albi q. s. soluti aqua endiviæ, fiat confectio in rotulis aut tabulis. Galenus dilutum absinthij ex melicrato concedit, tutius ex decocto cichorei, acetosæ &c: Ad sudores & urinas quoque movendas, apparentibus signis concoctionis, datur aqua cocta aut aqua hordei cum pauco vini albi; vel decoctũ florum chamomillin. ex aqua hordei; additur interdum parum fol: carduiben: vel syr: S. Ambrosij, ex decocti milij excorticati ℥ v. vini albi ℥ ij. Vel detur salis absinthij ℈ j. ex aqua carduiben: &c. Balnei calidi aquæ dulcis usus apparentibus signis concoctionis plurimùm confert; si quis ei assueverit, plus enim commodi quâm sudorifera *Sudorifera.*

affer-

afferre ſolet. In tota curatione ſedulò laborandū, ut calor febrilis contemperetur, ardorque reſtinguatur, quod fieri poterit ijsdem, quibus in curatione Cauſi. Viſcera roborentur, præcipuè jecur, tabulis Diatrionſant: diarrhod: Abb: Aromatici roſati, Diamargariti frigidi,

℞ *conſervæ acetoſæ,*
buglosſæ,
rad: cichorei conditi ana ℥ s.
ſpec: diatrionſant:
diarrhod: Abb: ana ʒ s.
aromatici roſati ℈ j.
raſuræ eboris ℈ s.

cum ſyr: de cichoreo & limonum ana q. ſ. fiat mixtura. Extrinſecus admoveantur quæ vel poros aperiunt, ut fuligines calorque febrilis melius expiret, vel ut calorem febrilem contemperent, visceraq; corroborent. Prioris generis ſunt mollis leviſque frictio, balneum aquæ tepidæ, ut diximus. Si tenſa ſint hypochondria ab humore vel flatibus, foveantur decocto

Topica.

ex agrimoniæ,
endiviæ ana m j.
malvæ,
biſmalvæ,
ſummit: abſinthij,
ſcænanthi ana P ij.
flor: chamomillin:

meliloti,

meliloti,
rosarum,
violarum ana P j.
coquantur in aqua addito sub finem modico vini albi, & aceti. Deindè post fotum inungantur hypochondria oleo amygdal: dul: absinthij, chamomillino vel anethino &c: Ad calorem aut ardorem contemperandū, admoveantur cordi, jecori, renibus, fronti, & temporibus epithemata, linimenta, aliaque ut in præcedente capite. Verum nunquam in accessione, nisi in fine declinationis, ubi sudores ex nimia debilitate profluunt; sed extra accessionem, si in jecore aut hypochondrijs suspicio obstructionis non sit. Sunt vulgaria nonnulla remedia, quæ extrinsecus admoventur commodissimè post purgationem corporis, apparentibus signis concoctionis, aliquot horis ante paroxismum: Præstantissimum putatur ex anserina trita cum modico aceti & salis, carpis admota, aliquando temporibus; eodem modo bursa pastoris & plantago, aut sambucus aceto subactus; Item unguentum populeonis, mixtum cum telis araneorum. Addunt nonnulli parum fol: urticæ Romanæ. Minus tuta in hac febre sunt caustica, vesicas excitantia, ut rad: ranunculi, bulbosi &c: De Tertianæ duplicis & triplicis curatione medici paucissima scripserunt, quia si ex-

quisita sit, eodem modo curatur, ut tertiana simplex exquisita; si notha, ut notha.

DE TERTIANA INTERMITTENTE notha.

CAPVT X.

Definitio tertiana notha intermittẽtis



Ertiana Intermittens non exquisita sive notha est *febris tertio die circuitus accessionum & intermissionum habens, orta à bile non sincera, putrescente extra venas per sensiles partes mota.* Nam causa proxima febris hujus est bilis non sincera, sed alteri humori exactè permixta, ita tamen ut vis bilis magis dominetur. Mixtio autem ista Galeno est bilis, cum pituita tenui vel crassa: Arabibus non solum cum pituita, quam choleram majoris famæ, sed etiam cum melancholia, quam choleram minoris famæ vocant. Vtramque duplicem statuunt, Nam cholera majoris famæ una citrina sive pallida est, quando bilis cum pituita tenui, aut aquosa miscetur; alia vitellina, quando bilis cum pituita crassa miscetur. Opinantur etiam, ex citrina per adustionem tenuium partium vitellinam fieri, & ex vitellina in venis porraceam, æruginosam, licet porracea sæpe in ventriculo gignatur ex pravis crudisque alimentis. Similiter & cholera minoris famæ duplex ab ijs putatur, una quando bilis miscetur melancho-

Causa.

Bilis non sincera differentia iuxta Arabes.

lancholiæ naturali, altera quando bilis flavæ portio in melancholiam, quæ atra bilis proprie dicitur, per adustionem convertitur, simulque miscetur bilis usta & non usta. Quare tertianam notham duplicem esse volunt, unam ex cholera majoris famæ, nimirùm ex citrina vel vitellina bile, alteram ex cholera minoris famæ, sive per adustionem bilis flavæ, sive per mixtionem cum melancholia naturali. Verùm de hac posteriori specie controvertitur, ac etiam de eà, quæ fit à bile vitellina. Præterea dubitatur, an febris ista aut alia intermittentium ex bile æruginosa aut porracea fiat. Quas opiniones non est nostri instituti pluribus hoc loco examinare. Constat tamen tertianas nothas ex bile majoris famæ frequentissimas esse, rarissimas à bile minoris famæ. Deindè vitellinam bilem duplicẽ esse, quemadmodum vitellorum ovorum duplex est color, recentium pallidior, veterum ruffior. Vitellinam autem pallidiorem fieri, ex mixtione bilis cum pituita crassa, vel per adustionem bilis citrinæ: Vitellinam vero ruffiorem, ob adustionem bilis flavæ, absumentem ejus tenues humiditates. Præterea bilem porraceam & æruginosam in venis genitam per bilis flavæ aut vitellinæ adustionem quia valde maligna est præcipuè æruginosam, consen-

Tertiana notha duplex iuxta Arabes

An tertiana fiat ex bile porracea vel æruginosa.

taneum est eam in corpore non ita diu morari, ut per se febrem tertianã faciat; aut graviorem affectum consequi, vel excitare; & propriè, nisi per superiora vel inferiora expellatur, subitam mortem inducere. Nam scribit Gal: *lib. 3. de Aliment. facult.* in febribus salutaribus bilem æruginosam nunquã excerni, item *lib. 5. de locis affectis cap. 7.* ejusmodi humores esse indicium magnæ inflammationis jecoris, in quibus vomitus fiunt, primum bilis flavæ aut vitellinæ, pòst æruginosæ. Bilis autem æruginosæ vomitus comitantur plerumque spasmus, syncope, aliaque pessima symptomata. Probabile tamen est, ex bile porracea, in ventriculo genita à crudis pravisque cibis, quia multum crudi succi admixtum habet, si intra corpus moretur, tertianam notham potius fieri, quàm ex bile porracea in jecore & venis genita; & ex hac magis quam bile æruginosa; licet hæ febres rarissimæ sint, valdeque malignæ & perniciosæ, & ex genere febrium syncopalium. Relinquitur ergo, quòd tertiana notha à bile mixta cum pituita, sive à bile citrina vel vitellina præcipuè oriatur. Verùm quæ ex bile citrina sive pallida, quia tenuis est, ab exquisita tertiana non multum differt, nec paroxismos multò longiores obtinet. Tertianæ autem nothæ accessiones ultra duodecim horas durant, sæpè ad octodecim

Præcipua causa tertianæ nothæ.

decim perveniunt, si ultra octodecim extendatur, *tertianæ extensæ* vocantur. Hæ vel simpliciter extensæ sunt, quæ 24. horas durant: vel paululùm extensæ, quæ ad horas 30. perveniunt: vel amplius extensæ, ad 36: vel plurimùm extensæ, ad 40. aut plures horas, nō enim in his aliquis certus terminus definiri potest. Agathinus teste Gal: *comm: 2. in 6. Epid: text: 3.* has non exquisitas, sed semitertianas perperam vocavit. Quantò autem longior fuerit accessio, tantò febris impurior erit, & tertianæ exquisitæ magis opposita. Invadit hæc febris ut plurimùm ociosos, obęsos, intemperantes, sub autumno, qui crapulis, repletione, balneis plurimis utuntur, cibosque non benè concoquunt. Tertiana notha, signis tertianæ exquisitæ dignoscitur; quantùm enim signa à signis tertianæ puræ defecerint, tantùm tertiana notha ab exquisitæ simplicitate recedit. Nam non amplius omnes bilis, sed multas etiam pituitæ notas satis manifestas obtinet, aut medias inter signa tertianæ & quotidianæ exquisitæ, præcipuè quæ à bile majoris famæ: Alternis diebus invadit, aliquando, ut tertiana duplex, singulis diebus: Accessio ultra horas duodecim longè producitur, quantoq; longior fuerit, tantò pituitæ crassioris mixtione impurior est: Septem circuitibus non terminatur, raró duodecim aut quatu- *Signa tertianæ nothæ.*

ordecim, ſępius in menſem, dies quadraginta, aut ſeptem ſeptimanas, nonnunquam in ſex menſes porrigitur, febriſq; deſinit ſæpe in vitia ventriculi aut lienis. Incipit acceſſio non cum vehementi rigore, ſed potiùs horrore, mitiorque eſt ejus caliditas, & in vigore minus mordax, quæ non ita confeſtim per totum corpus diffunditur, ut in tertiana pura, nec tanta ſiti affligitur æger, nec vomitus bilioſus ita ſubſequitur, aut in declinatione ſudores copioſi, ſed pauci humidi vapores, hinc febrilis calor ſenſim tranſſpirat & perfectè vix intermittit. Pulſus minores tardiores & rariores ſunt, ac prima & ſecunda die mediocriter duri, hinc ad diem ſeptimum plerumque ſenſim duriores, quod longum morbum portendit; deinde paulatim molleſcere incipiunt, morbo ad concoctionem tendente. Intermiſſionis tempore in pulſibus ſignum manifeſtum permanet. Vrina magis alba & craſſa eſt quàm in exquiſita, initio ſemper cruda, in quâ tardius ſigna concoctionis apparent, excrementa alvi non ita bilioſa, ſed potius cruda & pituitoſa. Oris exigua amaritudo, plurima totius corporis & præcipuè capitis gravitas, vertebrarum dolor, ventriculi inflatio, faſtidium &c. His ſignis illam notham tertianam dignoſces, quæ exquiſitæ maximè oppoſita

posita est. Extremis cognitis non difficile erit, nothas intermedias discernere, prout signa ad alterutram magis minusque inclinant. Febris notha ex commixtione pituitæ tenuis cum bile, vel à bile citrina, non ita multum recedit à tertiana exquisita. Nam paroxismos non multò longiores habet & 9., 11. 12. aut 14. circuitibus ut plurimum desinit, excrementa & urinæ magis citrinæ sunt &c. Contrarium evenit ubi cum bile miscetur pituita crassa. Nam paroxismos multò longiores habet, & rarò quatuordecim circuitibus finitur, urinas magis crudas crassasque obtinet, excrementa alvi cruda viscidaque &c. Si bili permixta sit melancholia, aderunt indicia nonnulla redundantiæ melancholiæ, ut in quartana, & tensio tumorvè lienis, siccior corporis constitutio &c. Item rigor in progressu longior, quàm in tertiana pura, ossa etiam contundens; si cum atra bile, magis cū rigore statim initio incipit, symptomataque habet atram bilem consequentia. Si accidat à bile porracea, paroxismus cum vehementibus symptomatibus incipiet, finis summo periculo non vacabit. Vrina ad viriditatem, lividitatem aut nigredinem inclinabit, aut tenuis erit colore subrubra, cum circulo viridi, livido, aut subnigro &c. Febris ista quia intermittit, si nil delinquatur,

Signa differentiarum.

riteq; curetur, periculo vacat, attamen quia crassa bilis difficulter concoquitur & evacuatur, longior est, ut diximus, & curatu difficilior: citiùs autem curatur, quò pulsus paulatim ad mollitiem non longe ab ejus initio tendit, aut quò in urinis concoctionis notæ citius appareāt, aut non longo tempore à febris initio accessiones minores fiant: Quæ autem diu perdurat, ægrū plerumq; ad hydropē, paralysin, tumorem lienis & similia perducit. A bile citrina sive bile flava permixta pituita tenui, febris omnium tutissima & brevissima oritur: contrà à bile permixta pituita crassa; Ea quæ ex melancholiæ permixtione oritur, citiùs terminatur, quàm quæ ex crassæ pituitæ mixtione oritur. A bile porracea omnium gravissima & periculosissima erit. Scopi curationis in hac febre non alij sunt, quàm in exquisita tertiana, nisi quod hic magis, præpolleat indicatio à causa præcipuè, ubi febris est à bile permixta pituita crassa; tum enim parcissimè refrigerare decet, & potius modicè calefacere, intensius humorem peccantem attenuare, incidere, concoquere, evacuare, viscera roborare. Febris si sit à bile flava mixta pituitæ tenui, curatur ferè, ut tertiana exquisita, sed minùs refrigerantibus, humectantibus; si à melancholia permixta, curatur ijs, quæ minus refrigerant, quàm in exquisita

Curatio. Indicationes.

magis

magis humectant. In summa curatio tertianæ nothæ mixta esse debet, ex tertianæ exquisitæ & quotidianæ, aut quartanæ cura. In genere, victus ratio hic plenior debetur, quàm in tertiana exquisita; in specie, quo febris diuturnior, eò semper plenior. Nam initio providendum est pro viribus idonea diætæ forma, ne nimia cibi copia morbus augeatur, nec ejus defectu ægri vires prosternantur, quæ longiori tempore aduersus morbum pugnare debent. Igitur si vires robustæ sint, & morbus concoctu difficilis, tenuior victus debetur; ubi vires debiles sunt, & morbus non ita contumax, plenior. Qualitas alimentorum sit leviter calefaciens, aut mixta ex refrigerantibus & calefacientibus, sed semper evidenter incidens, aperiens, detergens, præcipuè si bili admixta sit pituita crassa. Probatur à veteribus cremor hordei cum modico piperis, hyssopi, aut origani &c: Iura pullorum alijque cibi boni succi, facilis digestionis, præparati cum rad: fæniculi, petroselini, acetosæ, sem: calidorum, fol: hyssopi, rorismarini, origani, mentæ, cicerum rubrorum &c: Nutriendus est æger extra accessionem, aut in ejus declinatione, nunquã instante paroxismo, sed quatuor aut quinque horis priùs. Igitur si paroxismus unam diem occupet, alternis cibetur, nisi in accessione vires imbeciliores

reddantur, tum enim aliquid cibi facilis concoctionis dare cogimur, ut jus galli, pulli, cremor hordei, aut quid simile. Extra paroxismum die quietis, dantur cibi solidiores, ut carnes pullorum gallinæ, capi, perdicis, vituli &c: præparatæ, ut suprà: & initio cibi cappares sine sale cũ saccharo, amygdalæ amaræ &c. Veteres mulsa utebatur in qua ferbuerit hyssopus aut cinnamomum, spica nardi &c. Recentiores frequentius utuntur hydrosacchara, vel oxysacchara in qua eadem ferbuerint; Item aqua hordei alterata rad: fæniculi, sem: anisi, aut cinnamomo &c: veluti:

℞ *hordei mundi* m j.
rad: glycirrizæ,
fæniculi ana ℥ s.
sem: anisi ʒ ij.
fol: hyssopi m s.
passularum enucleat: ℥ j.
cicerum rubr: ℥ s.

coquantur in aqua q. s. ad dimidias, Colatura dulcoretur sacchari albi q. s. Conceditur assuetis cerevisia tenuior; vinum ante signa concoctionis nocet, quod si vini appetentia sit, conceditur assuetis vinum album tenue aut dilutum. Somnus in tribus primis partibus accessionis magis nocet, quàm in tertiana exquisita, alijs temporibus propter concoctionem humorũ somnus paulò longior

conce-

conceditur, dummodo capitis gravitatem no adaugeat. Motûs levisq; exercitatio diebus intermissionis utilis est, apparentibus signis con coctionis, non die paroxismi, nisi initio accessionis leves mollesq; frictiones. Si redundantia sit sanguinis in venis, nihilque dissuadeat, phlebotomia requiritur, secetur vena interna cubiti, tantumque sanguinis detrahendum, quantum præsens status requirit, parciùs tamen, ne cruda magis crudescant. Ante venæ sectionem venter primæq; venæ evacuentur, ne cruda in majores venas rapiantur. Si febris sit à bile mixta multa pituita crassa, conveniunt clysteres acriores, detergentes, ex *decocto mercurialis, betæ, malvæ, hyssopi, origani, flor: chamomill: meliloti, furfuris macri &c: In colatura* ℔ j. *dissolve cassiæ extr: pro clyst:*

Alvum lenientia.

℞ *Elect. hieræ picræ,*
diaphaniconis ana ʒ s.
mellis rosati aut mercurialis ℥ j.
olei communis ℥ iij.
vel anethini,
chamomelini ana ℥ j s.
salis ʒ j.
fiat Enema Vel detur: *Cassiæ extr:* ℥ j.
sp: hieræ picræ ʒ j.
cum saccharo fiat bolus. vel *Elect: lenitivi aut diacatholici Nicolai* ʒ vj.
Elect: diaphænic. aut diacarthami ʒ ij.

fiat bo-

fiat bolus. Vel *dissoluta in decocti flor: & fruct:* ℥ iiij.

fiat haustus. Vel utatur diluto Rhabarbari & agarici, ut infrà, si materia sursum feratur, utatur vomitorio,

Vomitorium.

℞ *oxymelitis* ℥ j s.
aquæ communis tepidæ, vel aquæ hordei, vel decocti sem: aut Rad: raphani ℥ v.
fiat haustus.

sumatur vel initio paroxismi, si adsit vomendi necessitas, vel post cibos varios. Nam materia pituitosa cum cibis facilius pleno ventriculo per superiora educitur; Attamen initio paroxismi si vomendi cupiditas incesserit, vomitorium exhiberi poterit. Si febris sit à bile mixta melancholia, evacuantia conveniunt quæ humectant, præcipuè si ab atra bile permixta ortum habeat, ut clysteres *ex decocto malvæ, violariæ, buglossæ, mercurialis, fumariæ, Interdum fol: senæ, polypodij querc: &c: in cujus* ℔ j. *dissolve cassiæ extractæ pro clyster:* ℥ j. *mellis violarum* ℥ j. *olei com:* ℥ iij. *salis* ʒ j. *fiat Enema.* Vel ejus loco detur *cassiæ extr: aut Elect: lenitivi* ʒ vj. *Elect: diasenæ* ʒ iij. *fiat bolus.*

Purgantia biliosos simul & melancholicos humores

Robustioribus *Elect: de succo ros: Confec: hamech ana* ʒ ij. *dissolvatur in decocti flor: & fruct:* ℥ iiij. *& syr: rosati sol:* ℥ j s. *fiat haustus.* Vel detur dilutum fol: senæ & Rhabarbari &c: Purgantia mane exhibeantur, ubi paroxismus

roxismus nō impedit, si manè invadat, medicamentum hora quietis propinandum est, quæcunque illa sit. Evacuatis communibus excrementis, ad propriam febris materiam expurgandam procedendum erit, præmissis ijs, quæ humores crudos ad concoctionem præparant, nisi materia illa turgeat, nimiaque copia vires obruat, tum statim initio purgare oportet: præparatur humor peccans pro ipsius natura, bilis enim crassior validiora attenuantia incidentia detergentia requirit, minus crassa, debiliora minusq; calida, semper autem incipiendum à debilioribus erit. Probantur initio syr: acetosus simplex, oxysacchara, syr: de endivia compos: capill: ven: mel rosatum &c: In progressu oxymel simplex, syr: de Bizantijs, syr: acetosus compositus, de duab. & quinq; radicibus, de bethonica, de Eupatorio &c. cum duplo aquarum aut decocti capill: ven: Endiviæ, agrimoniæ, fæniculi, hyssopi, betonicæ, absinthij, carduiben: centaurij minoris &c. Si febris sit ex bile minoris famæ, præparentur humores syr: violarum, buglossæ, borraginis, oxysacchara simplici, syr: acetoso, deinde procedendū ad syr: de fumaria, lupulorum, de Bizantijs &c: cum duplo aquæ buglossæ, borraginis, endiviæ, lupulorum, fumariæ, cuscutæ, ceterach &c: Materia præparata purgetur medicamento appropri-

Præparantia.

propriato. Verum ante præparationem si turgeat, aut ita multa sit, ut natura eam vincere nequeat, utilissimum est, statim purgare, debiliores infuso rhabarbari & agarici, aut turbith ex vino albo & aqua endiviæ. Vel ad præparationem & purgationem

Purgantia.

℞ *rad: cichorei,*
fœniculi ana ℥ s.
petroselini,
sem: anis: ana ʒ j s.
fol: agrimoniæ,
endiviæ,
capill: ven:
betonicæ ana m s.
flor: borraginis,
buglos: ana P j.
passularum enucleat: ℥ vj
prunorum damas: num: iiij.
fiat decoctio in aquæ s. q. colaturæ
℞ ℥ v. *cui infunde rhabarbari electi* ʒ j s.
agarici troch: ℈ ij.
turbith albi gum: ℈ j.
spicæ ind: gr: iiij.
zinzib: ℈ j.
post aliquot horas leviter bulliant, colentur cum expressione, colatura admisce syr: infusionis ros:, cum agarico vel syr: diasereos ℥ j.
fiat haustus.

Robustioribus minusq; fortunatis dentur *Elect: rosati sol:* ʒ ij.

diacar-

diacarthami ℥ iij.
dissoluta decocto flor: & fruct: &c: vel detur ℞: *diaturbith cum Rhabar:* ℈ iiij. *in jure veteris galli &c:* Si febris sit à bile minoris famæ, delicatiores purgentur diluto fol: senæ & rhabar: ex sero lactis vel aqua fumariæ cum modico vini. Ad præparandam & purgandam materiam peccantem

℞ *rad: polyp: querc:* ℥ s.
cichorei,
glycirrizæ,
cort: cappar: ana ʒ ij.
sem: anisi,
melonum ana ʒ j.
fol: capill: ven:
endiviæ,
fumariæ,
ceterach ana m s.
Summ: lupulorum,
flor: buglos:
borrag: ana P j.
passul: enucleat: ʒ vj.
sebesten num: iiij.

concisa coquantur in aquæ puræ s. q. Colaturæ
℞ ℥ v. *cui infunde fol. senæ Alex.* ʒ iij.
rhababr. electi ʒ j s.
epithymi ʒ j.
scænanthi gr. iiij.
flor. viol. P s.
cinnamomi ℈ j.

post

post infusionem colentur, Colatura misceatur syr: infusionis violarum ℥ j.
Mannæ Cal: ℥ s.
fiat haustus.

Robustiores, tenuiorisque fortunæ purgentur *Elect: de succo ros: cum confect: hamech ana* ʒ ij. *dissoluta in decocti flor: & fruct:* ℥ iiij. &c. Dantur pilulæ interdum ut *Aggregat:* ʒ j. *diagridij gr:* iij, *cum aqua agrimoniæ vel absinthij, fiant pil:* vij. vel

℞ *massæ pil: de rhab:* ℈ ij.
agarici trochis: ʒ s.
diagridij gr: iij.
cum aqua absinthij,
fiant pil: vij.

Repetendæ sunt purgationes post aliquot dierum pærparationem, præcipuè si materia sit valde crassa lentaque, addendum etiam in progressu est aliquid eorum, quæ melancholiam purgant, interdum quæ valide obstructiones aperiunt & putredini resistunt, ut absinthium, carduus benedictus, centaurium minus, gentiana & similia. Vomitus in hac febre vehementer commendatur, apparentibus signis concoctionis, post cibos aut initio paroxismi. Nam Gal: multos solo vomitu ab hac febre curatos esse scribit, *lib. 1. ad Glauc: cap. 10.* Probatur vomitus ex asaro, *ut in præcedente capite*, aut ex pulvere vel decocto gratiolæ. Quidam post purga-

purgationem, robustis apparentibus signis concoctionis, offerunt *stibij cristallini tenuissimè pulverisati gr:* iiij. *aut* v. *in conserva rosarũ rubr:* minori periculo datur *dilutum ex stibij cristallini pulverizati gr:* ix. *infusis vini albi* ℥ iij. *Colaturæ addi poterit syr: violar:* ℥ j. *&c.* Interea danda sunt, quæ viscera corroborant, & concoctiones juvant, ut tabulæ diarrhod: Abb: Aromatici rosati &c: Vel

℞ *Conservæ anthos,*
capill: ven:
Rad: cichorei conditi ana ʒ vj.
speci: diarrhod: Abb: ℈ ij s.
aromatici rosati ʒ s:
rasuræ eboris ℈ s.
cum syr: de Bizantijs,
fiat conditum,

Si febris sit à bile minoris famæ
℞ *cons: buglos:*
borrag:
rad: cichorei, condit. ana ℥ s.
corticum citri condit. ʒ ij.
spec: diarrhod: Abb: ʒ s.
diamarg: frig.
dianthos ana ℈ j.
coralli rubr. præp. ℈ s.
cum syr: buglos. & endiviæ ana f. mixtura cooperta fol. auri,

Adduntur his utiliter in progressu quæ

obstructiones viscerum aperiunt, ut trochis: de eupatorio, de absinthio, de rhabarbaro, de rosis, si adsit obstructio lienis troch: de capparibus, parari ex his alijsq; poterunt catapotia sumenda post purgationes: veluti, si obstructio aliqua jecoris sit

℞ *Trochis: de eupatorio,*
de absinthio ana ℈ ij.
de rhabarbaro,
Extracti centaurij minor: ana ℈ j.
extr: carduiben: ℈ s.
cum syr: de cichoreo aut de eupatorio

fiant pilulæ num: 12. dentur alternis diebus quatuor aut quinq; superbibendo haustulum julepi appropriati. Si obstructio sit in vasis lienis.

℞ *troch: de capparibus* ʒ j.
de absinthio ʒ s.
extr: gentianæ,
centaurij minor: ana ℈ j.
gum: ammon: optimi soluti aceto scillit: ℈ ij.
cum syr: de bizantijs,
fiant pilulæ num: xviij. *dentur quatuor aut quinque*

Diuretica. ut suprà. Vrinæ & sudores utiliter moventur post purgationes apparentibus signis cōcoctionis, ijs, quæ suprà capite *de curatione putridarum in genere* proposita sunt, cujus generis syr: de quinq; radicibus, acetosus compositus, de bizantijs &c. cum decocto radicum quinq; aperitivarum, pimpinellæ, sem: apij,

apij, anisi, melonum, cicerum rubr: &c. Sudores movent, syr: S. Ambrosij, de Milio, decoctum fol: carduib: & flor: camomillin: sal absinthij, aliaq; ut in dicto capite. Huc referuntur extracta gentianæ, cētaurij minoris, carduiben: absinthij &c. quæ obstructiones valide aperiunt & urinas movent *Sudorifera.*

℞ *extr: gentianæ,*
centaurij min: ana ℈ ij.
extr: carduiben: ʒ s.
salis absinthij gr: vij.
f. pilulæ num: xij.
dentur tres aut quatuor aliquot horis ante paroxismum post purgationes.

Extrinsecus primum ad poros cutis aperiendos, sudoresq; movendos, in declinatione probatur balneum aquæ dulcis, initio paroxismi frictiones totius corporis, præcipuè dorsi, inunctio dorsi cū oleis anethino, camomelino, irino &c. Hypochondria tensa aut tumida fomententur, veluti si ventriculus afficiatur, & à flatibus intumescat, *Topica.*

℞ *absinthij,*
menthæ,
anethi,
flor: camomillin: ana m j.
meliloti,
rosarum rubr: ana m s.
sem: anisi,
fœniculi,
carui ana ʒ s.

rad. calami arom.
cyperi ana ℥ s.
coquantur in aqua, addendo ſub finem nonnihil vini albi, cum hoc decocto ventriculus foveatur; poſt illinatur linimento
℞ *olei abſinthij,*
maſtichini,
nardini ana ℥ s.
olei nucis muſcatæ expreſſi ℈ ij.
pul: maſticis,
mentæ,
macis ana ℈ j.
gariophyllorum ℈ s.
ceræ q. ſ. fiat vng.

Imponi poterit ſcutum ex cerato ſtomachali &c. Si jecur afficiatur regioq́ue jecoris tenſa ſit,
℞ *abſinthij,*
agrimoniæ,
roſarum rubr. ana m j.
endiviæ,
flor: camomillin.
meliloti ana m s.
ſem: fænugræci ℥ s.
ſcænanthi,
ſpicæ nardi ana ℥ j.
coquantur in aqua addendo modicum aceti, & cum linteo expreſſo regio jecoris tepide foveatur. Pòſt illinatur vng: *ex olei roſarum,*
abſinthij,

chamo-

camomillini ana ℥ s.
nardini ℥ s.
pul. sem. fænugræci,
flor. camomillin. ana ℥ j.
spicæ,
scænanthi,
rosar. rubr. ana ℈ j s.
succi agrimoniæ ℥ s.
ceræ q. s. fiat vnguentum. Similiter si lien intumuerit, foveatur *decocto cort. rad. capparum, tamarisci, althææ, ceterach, absinthij, flor. camomillin. meliloti, sem. lini, fænugræci &c.* post illinatur vng:

℞ *olei de capparibus* ℥ j s.
sesamini,
liliorum alb. ana ℥ s.
succi ciclaminis ℥ s.
Medullæ crurum vituli,
gummi ammoniaci soluti aceto ana ℥ iij.
troch. de capparibus ℨ j.
pul. ceterach,
sem: fenugræci ana ℨ j.
ceræ q. s. cum pauco aceti, fiat vng. Ad febrem depellendam post universales purgationes, apparentibus signis concoctionis, admovetur carpis rubea trochiscata Nicolaj, vel argentina trita cum sale & aceto, aliaque ut in præcedente capite.

DE FEBRIBUS QVOTIDIANIS CAPUT XI.



Ebris, quæ à pituita putrescente provenit, quia circuitus accessionum quotidie obtinet, à Græcis ἀμφημερινὸς, καθημερινὸς, & μεθημερινὸς πυρετὸς, à Latinis *febris quotidiana* dicitur; licet ἀμφημερινὸς febri quotidianæ intermittenti, quæ diei & noctis particeps est, simpliciter tribuatur; Καθημερινὸς magis continuæ: febris à pituita licet omnium putridarũ rarissima sit, tamen differentias non minores obtinet, & totidem fere, quot ipsa pituita, & locus, in quo putrescit. Ac primum si locum respicias, putrescit pituita febrimq; excitat vel intra vasa cõclusa, unde febris quotidiana continua; vel extra vasa per sensiles partes mota, unde quotidiana intermittẽs. Deinde pituita putrescẽs, quæ febrẽ excitat, vel dulcis aut insipida est, in quibus minor frigiditas; vel acida intensè frigida; vel vitrea vitro fuso & albumini ovi similis, omniũ frigidissima, quæ sub acidâ interdũ continetur; vel salsa, quæ ob putredinẽ vel salsæ serosæ humiditatis permixtionem, vel, ut sentit Avicenna, ex bile flava permixta pituitæ tenuj, calida siccaq; est. Ex pituita dulci aut insipida, intra aut extra venas putrescente, oritur quotidiana maximè exquisita; à cæteris quotidiana min⁹ exquisita. Ac primũ ex pituita dulci alimentaria, intra venas putrescente o-

Differentia.

Quotidiana exquisita & notha.

Quotidiana continua duplex.

ritur cõtinua quotidiana, quæ rariùs simpliciter exquisita est, quia rarissimè unus solus succus, alimentarius in venis ob mixtionẽ cũ cæteris putrescat, nisi pituita cæteros succos copiâ multũ excedat. Sub hac cõtinetur cõtinua exactè periodica, quę manifestos accessionũ circuitus quotidie obtinet; ac illa febris continua multũ latens & abscondita, hecticæ similis, quæ ab Avicenna *Latica* dicitur. Nã hæc est febris uniformis ferè cõtinuitatis, orta à pituita putrescẽte in omnib. aut majorib⁹ venis cordi vicinis; illa vero febris est magis difformis cõtinuitatis, quotidie manifestos circuitus exacerbationũ & remissionũ habens, orta à pituita putrescente in venis, longiùs à corde remotis. Hæ febres ad manifestã infebricitationẽ non deveniunt, licet exacerbationes & remissiones habeant, quòd humor putrescẽs intra venas conclusus sit. Verùm à pituita dulci aut insipida putrescẽte extra vasa quotidiana intermittens maximè exquisita oritur. Quare erit *quotidiana exquisita intermittens febris putrida quotidie circuitus exacerbationũ & remissionũ habens, orta à pituita dulci aut insipida putrescẽte extra vasa per sensiles partes delata.* Accessiones autẽ in hac febre ut plurimũ 18. horas durãt, ita ut intermissio brevis sit sex horarũ, & proinde ad perfectam integritatem, ut quartana, non devenit, ut mox dicetur. Quoti-

Quotidiana cõtinua latica & periodica.

Quotidiana intermittens exquisita quid?

Quotidiana notha quotuplex.

dianæ minus exquisitæ fiunt à cæteris pituitæ speciebus, aut à pituita permixta bile vel melancholiæ, ita tamen ut vis pituitæ dominetur. A salsa enim pituita intra venas majores putrescente, oritur Causus nothus, de quo supra capite *de Causo* dictum est; & à salsa extra venas, quotidiana quædam notha intermittens, quæ ad tertianam notham propè accedit. A pituita acida & inprimis vitellina putrescente extra venas, oritur febris, quæ à Græcis ἠπιαλὸς dicitur, quòd quælibet particulæ corporis eodem tempore algorem & calorem sentiant, ob humoris frigiditatem crassitiem & visciditatem, quæ difficulter putrescit. Verùm humor vitreus, motus per sensiles partes, sine putredine rigorem tantum excitat; si vehementer putrescat totumque putredo invaserit, quod rarissime ob inæqualitatem accidit, quotidiana quædam notha oritur, in qua rigor primum antecedit, deindè superata frigiditate calor febrilis consequitur, sin tota quæ movetur vehementius non putrescat, sive portio aliqua putredinē tantū concipiat, *Epiala* excitatur, *quæ febris quoq; est spuria ex genere quotidianarū, in cujus toto paroxismo universum corpus simul algore vehemente & calore infestatur, orta à pituita præcipuè vitrea, non tota putrescente, per sensiles partes delata.* Nam à parte putrescente calor, à reliqua non putrescente una delata per partes sensiles rigor

Epiala.

excitatur, sive vehemens algor: est enim algor hic vehemens, sed calor mitis. Arabes aliam epialam excogitârunt, lipyriæ contrariam, ac de utraque multa parum verisimilia tradiderunt. *Epialam* enim vocant, ubi in toto paroxismo interiora, excepto corde, frigent; exteriora calent: *lipyriam* contrà, ubi interiora calent, exteriora frigent: ac Epialam istam fieri volunt à pituita vitrea mota & in viscere aliquo ex parte putrescente, vapores calidos ad exteriores partes mittente, qui eas calefaciant; sed partem reliquam moram nondum putrescentem, frigoris in interioribus causam esse. Lipyriam vero fieri vel à pituita crassa viscida, calorem cum vaporibus suffocante, ne ad exteriora dispergatur; aut à pituita minus crassa, qui in interioribus putrescens calorem ibidem insignem excitat, sed vapores paucos debiles ad exteriora emittit, qui cito refrigerantur. Verùm cæteris rationibus nunc omissis, cum febris omnis sit calor in corde accensus, & à corde in totum diffusus, nisi impediatur, probabile non videtur, febrem aliquam esse, in qua exterioribus calentibus, interiora cordi vicina algeant. Deindè aliam Græci lipyriam non agnoscunt, quàm quæ ex genere ardentium est, orta à magna inflammatione internæ partis, aut à maligno humore deurente, & sangui-

Epiala & lipyria Arabũ.

Refutantur.

nem cum spiritu ad interiora trahente, ut alibi diximus, & pòst dicetur. Præterea inter quotidianas spurias numerari poterit febris illa syncopalis, quæ humorosa dicitur, orta à multa pituita corrupta, os ventriculi ita graviter afficiente, ut cor in consensum trahatur, de qua pòst dicetur. Hæ sunt præcipuæ species febrium quotidianarum. Causa omnium immediata est pituita putrescens ex transspiratione prohibita, ob obstructionem vasorum &c. Putrescit in continua quotidiana intra venas contenta, ob humoris multam copiam & crassitiem, ac viarum angustiam. In intermittentibus, dum extra vasa per sensiles partes defertur, vel à venis portæ, vel ab extremis venæ cavæ, sæpius à ventriculo, interdum à jecore, intestinis, pulmonibus, non raró à cerebro, unde origo febris catarrhalis, semperq; cū quotidiana jungitur affectus ventriculi. Accenditur putredo in pituita, & circuitus accessionum recurrit singulis diebus, quod in accessionum declinationibus materia integre non expurgetur, & non parum ejus relinquatur, quod succendi videtur, unde in intermittentibus intermissio brevis est, & non perfecta. Causę putredinis pituitæ ob obstructionem, sunt quæcunq; pituitam in corpore multiplicāt: multiplicatur autem in pueris ob voracitatem, in decrepitis ob debilitatem caloris nativi,

Syncopalis humorosa.

Causa quotidianarum.

Causa putredinis pituitæ.

tivi; in fæminis ob desidem delicatam vitã, præcipue in obæsis, & in ijs, qui angustas venas habent, ac ventriculi, jecoris, cerebri, frigidiorem constitutionem obtinent, colore corporis subalbido sunt &c. frigidis humidis temporibus & locis, ut hyeme &c. ex usu alimentorum frigidorum humidorum quæ pituitosos succos gignunt, Item ex crapula, multa ingurgitatione, liberiore victu, cum multo somno & frequentibus balneationibus à cibo, ac ex suppressione consuetæ evacuationis pituitę per os, alvum, nares &c. Communia febrium pituitosarum signa sunt, quæ redundantiam pituitæ demonstrant, quarum nonnulla sumuntur à causis prægressis iam enumeratis, alia à symptomatibus & effectis. Ac primũ simpliciter exquisitæ quotidianæ signa sunt, quotidiè febrem exacerbari, vesperi aut noctu potissimum rarius interdiu; accessionem à frigiditate extremorum incipere, nunquã à rigore. Nam in principijs accessionum extremorũ frigiditas plerisq; etiã continuis quotidianis cõmunis est, pręcipuè pedum, nasi, auriũ, & extremitatum digitorũ, qualis in hemitritæo reperitur, quotidianæ continuæ accessione invadente; sed hæc refrigeratio levis est, & multò minor, quàm in intermittente quotidiana. Verùm si febris continua sit latica, à pituita alimentaria, putrescente in vasis cordi

Signa quotidianarum.

cordi vicinis, ſine ulla extremorum refrigeratione acceſſio recurrere ſolet, & uniformis continuitatis videtur, niſi quod nocte magis affligat. Deindè quia materia frigida, inæqualis, craſſa, tenax & pori plerumq; conſtricti, calor febrilis difficulter accenditur. Nam pedetentim & ægre augetur magna inæqualitate, & longum tempus conſumit, dum augeſcendo ad ſummum pervenerit. Vnde incrementum ejus longum eſt, ac ipſæ acceſſiones producũtur in intermittentibus plerumq; ad horas octodecim, ac ubi deſinit, veſtigia quædam febris relinquuntur, ut quibuſdam continua videatur. Præterea calor febrilis fumoſus valde & humidus eſt, & cum primùm manus admovetur, magis vaporoſus quam acris, deindè per moram mordax ſentitur, ſed valde inæqualis, ut per cribrum percolari videatur, & quaſi à lignis viridibus fumus, ipſo igne à multa humiditate potius ſuffocato, quàm eam evincere queat. Quare in hac febre ægri magno calore non torquentur. Nam nec deuruntur, nec corpora denudant, nec potum frigidum ita appetunt, aut ſiti infeſtantur, neque fervidum ſpiritum efflant, aut vehementer reſpirant: Deindè lingua ipſis humidiſſima eſt, & os multa pituita refertum, facies ſubtumida & ſubalba aut ſublivida, totius corporis & capitis magna gra-

vitas,

Cap. XI.

vitas, in accessionum initijs sæpe inexpugnabilis dormiendi necessitas, interdum ratione ventriculi animi defectus &c. Cum accessiones fiunt, in pulsibus, nec ordo nec æqualitas adest; semperque pulsus quotidianæ minores sunt pulsibus quartanæ, minus rari, sed æquè tardi; item quando invadit aut invalescit febris, pulsus debiles & parvos efficit ab humorem opprimentem & aggravantem virtutem. Vrinæ initio albæ tenues, pòst incipiente concoctione crassæ turbidæ aut rubræ. In paroxismi declinatione primis diebus sudor nullus erumpit, sed progrediente morbo & circa statum, nisi fortasse symptomaticus ex copia materiæ. Vomitus alvique dejectiones pituitosiores sunt, totumque corpus crudis humoribus refertum est, quod color subalbus & cætera arguunt: Os ventriculi inprimis, aliquando jecur & cerebrum, male affectū est, præcordia intumescunt, & magna ex parte inflantur aut distenduntur &c. Atque hæc signa omnia ferè in quotidiana exquisita inveniuntur, in minus exquisita non omnia. Dignoscitur febris à pituita dulci aut subdulci, quod accessiones cum frigore externarum partium tantum incipiant, calor remissior sit; sine siti; ægri somnolenti sint; salivæ gustus dulcis sentiatur; urina subrubra; pulsus velox, densus, parvus; in declinatione

Signa differentiarum.

tione ſudor; & ob corruptionem humorum ſitis; oris amaritudo; excrementa fætida &c. A pituita inſipida acceſſio eodem modo, ut à pituita dulci, incipit, ſed major adeſt ſalivatio, & ſalivæ guſtus nullus percipitur; urina magis alba ſpiſſa; pulſus tardior rariorq; Febris à ſalſa pituita putreſcente cũ horrore incipit, cui ſuccedit calor acrior, proinde ſitis; majores vigiliæ; pulſus robuſtior, celerior, tenſior; ac urina magis tincta quam ab ulla alia febre pituitoſa; movetur tamen incertis temporibus; Verũ, ut tertianæ nothæ, acceſſio plerumq; cũ nauſea aut vomitu incipit, deſinit cum ſudore. Si febris ſit à pituita permixta melãcholiç, vel pituita ſit acida ex cõmixtione atræ bilis quç ipſa quoq; acida eſt, acceſſio cum magno frigore oſſa frangente incipit &c. pituita autẽ dulcis aut inſipida dupliciter acida redditur, vel ob mixtionẽ illam atræ bilis cum pituita; vel per ebullitionẽ exhalante calore cũ partibus aëreis, ut in aceti generatione ex vino: hæc minus frigida, illa intenſè frigida; quæ ſi magis incraſſetur, vitrea redditur omniũ frigidiſſima. Pituita acida & potiſſimũ vitrea, mota per partes ſenſiles, ſi vehemẽtius putreſcat, oritur febris quotidiana notha, cujus acceſſiones, ut diximus, cũ rigore incipiunt, deinde ſuperata frigiditate calor ſuccedit; ſin modica fuerit putrefactio aut partis, Epiala

oritur

oritur, in qua eodem tempore partes omnes algorem & calorem ſentiunt: In hac pulſus omnium minimus eſt ſimulq́, tardus & rarus, urinæ valde crudæ & aquoſæ &c. Acceſſio quotidie plerumque invadit, cum multa oſcitatione, duratq́; ab horis 4. ad 24. interdum tertio aut quarto die aut majoribus intervallis recurrit, & tamen non deſinit eſſe de genere quotidianarum. Nam non ex periodis ſed alijs proprijs ſignis diſtinctio febris petenda eſt, atque ita tertiana duplex à quotidiana diſtinguitur; plerumque febris, quæ quotidie exacerbatur, tertiana duplex eſt, quia quotidianæ rariſſimæ ſunt. Diſtinguitur à quotidiana quod acceſſio cum rigore invadat; cum ſudore plerumq́; deſinat, ægri deurantur; ſiti, vigilijs, oris amaritudine, vomitibus biliofis magis infeſtentur alijſque ſignis, ut in præcedentibus capitibus. Diſtinguitur continua quotidiana ab intermittente, quod ad ſenſibilem infebricitationem non devenit, etiamſi remiſſior febris aliquot horis ſit, niſi in illa continua, quæ *Latica* dicitur, uniformis fere continuitatis, hecticæ non abſimilis, quia calor mitis eſt & partes atrophia extenuantur ob læſam ventriculi concoctionẽ, morbique diuturnitatẽ. Diſcernitur tamen ab hectica ſignis prædictis præcipuè, quod in hac cutis levis, laxa, mollis ſit, pulſus mollis latꝰ, item quod initio noctis febris exacerbetur,

Signa epialæ.

Diſtinguitur tertiana duplex à quotidiana.

Diſtinguitur febris latica ab hectica.

Qui oportuni sunt quotidianæ.

sive æger cibum sumpserit, sive non. Galenus asserit se nullum unquam juvenem natura biliosum aut calidum hac febre corripi vidisse, sed pueros, voraces, decrepitos, fæminas, desides, item obæsos, bibulos, natura frigidos humidos, qui cibos male concoquunt, præcipuè hyeme locisq; frigidis humidis &c.

Prognostica.

Quotidiana à quocunq; humore pituitoso gignatur, diuturna est, nec periculo vacat. Magis autem periculosa est continua, quàm intermittens, sed communiter minus longa, Vtraque rarissimè ante diem 40. finitur, sæpe ad sexagesimum producitur, interdum ad sex menses. Principium universale longum est; longa quoque declinatio; Augmentum longissimum; status brevis. Longiores & solutu difficiliores sunt, quæ ab humore magis crasso & tenaci oriuntur. attamen ob humoris paucitatem Epiala, teste Serapione, non ita diu durare solet. Deinde febris à pituita salsa facilius solvitur, ac omnis febris spuria ex pituita bili aut melancholiæ permixta, brevior est, quàm exquisita à sola pituita. Minus longæ & periculosæ sunt in quibus sudores citius apparuerint, concoctione tamen præcedente, aut initio accessionis vomitus, in fine sudores, aut paroxismi non longè ab initio breviores evadant. Nocturnæ febres minus lethales ab Hipp: æstimantur, quam diurnæ,

urnæ, quæ ad tabem ægros deducere solent. Febres â pituita per abscessus magis quam excretiones judicãtur, interdum tamẽ concoctione & resolutione terminãtur, aliquando paulatim & per vices unoquoq; die critico evacuatio materiæ peccantis fit per alvi fluxum, vomitum, urinas aut sudores. Hæc febris nisi ritè curetur in gravissimos affectus ægrum deducit, veluti debilitata virtute ventriculi & jecoris, ad cachexiam primùm, deinde hydropem; rapto humore in cerebrum ad lethargum, carum &c. fraudatis partibus utili alimento ad atrophiam; ob adustionem crassæ materiæ, in lienis tumores aut quartanam; ita Epialam ex vitrea pituita fieri dicit Avicenna, sæpius in quartanam abire solere; transit etiam non raro in hydropem. Si urina ex subtili, crassior & multa evadat, cum alijs bonis signis, præcipuè in statu morbi, brevi salutem decernit. Si urinæ ampullosæ, crassæ, turbulentæ sint, æger stupidus valdeq́ue somnolentus, faciemq́ue tumidam lividam habuerit, in lethargum, carum, aut alium cognatum affectum capitis transitionem minatur. Pessimum in hac omniq́ue diuturna febre, si ægri vires sint statim initio debiles, & appetitus prostratus; item si frequentibus animi deliquijs, alijsq́; grauibus symptomatibus afficitur. Convalescentes ex quotidiana, quia

Curatio. vires debiles sunt (præcipuè vis digestiva) nisi rite gubernẽtur, in graves morbos incidere solent, præcipuè si nimio cibo aut potu utatur. *Indicationes.* Indicationes curativæ sunt hîc, ut in alijs putridis. Verùm quia in hac febre longè præpollet indicatio à causa indicationem à febre, Deindè vires ægri multum sæpè urgeant, aliquando symptomatum sævitia; Ideo pręcipui scopi curationis in febre quotidiana sunt, humorem pituitosum modicè calefacere, siccare, attenuare, incidere, detergere, concoquere, per debitas vias expurgare, os ventriculi primùm aliaque viscera roborare, vires reficere, symptomata urgentia lenire. Magis autem calefacere, attenuare, incidere oportet, quò humor peccans frigidior crassior viscosior fuerit, ut in Epiala; in alijs minus; parcissime in febribus à pituita salsa, aut bile cũ pituita mixta, ubi calefacientibus miscenda erunt refrigerãtia, fere ut in tertiana notha. Deindè initio febris primisq; diebus nõ ita calida attenuantia incidentia conveniunt, ut in progressu, sed levi- ora, procedendo sensim ad validiora, Sed ante omnia prospiciendú, ne vires ægri deficiant, quæ diu febrem sustinere debent. Conservantur & reficiuntur vires potissimũ idoneis alimentis legitimaq; diæta, ac primùm *Diæta.* aër sit tenuis, purus, modice calidus siccus; si talis non sit, corrigatur igne alijsque. Victus

forma quo ad alimẽta sit plenior, quòd morbus sit diuturnus, sed ob cruditatẽ in ventriculo primis octo diebus tenuior, præcipuè ex jure pulli cũ modico panis &c. Cibi sint boni succi, facilis digestionis, præparati cũ ijs, quæ incidunt, attenuant, aperiunt, qualia sunt hyssopus, thymus, pulegium, rosmarinus, rad: petroselini, apij, fœniculi, ciceres rubri, semina calida, aromata, ut cinnamomũ, piper &c. Eligitur panis triticeus benè fermentatus addito modico salis, in progressu additur nõnihil sem: anisi, fœniculi, carui &c. carnes pullorum, gallinæ, capi, perdicis, phasiani, avium montanarũ, item carnes vitulinæ, hędinæ, lepusculorũ &c. ova recentia sorbilia; pisces hìc minùs probantur, conducunt cappares cum aceto, uvæ passæ. Debilioribus dantur jura restaurantia ex carnibus capi, vituli &c. coctis, contusis, & expressis, addito modico cinnamomi. Conceditur initio ptisana hordei, quia incidit, abstergit, sed cum cinnamomo, pipere &c. aliquando cum pauco mellis. Pro potu conceditur assuetis cerevisia aut vinum. Verùm in continua quotidiana, & febre catharrali ante signa concoctionis non est consultum vino uti, nisi eo ob consuetudinem æger carere non vult, & tum initio sit album tenue, in statu & pòst potentius. Melicratum, oxymel, & syr: acetosus in hac febre probantur,

verùm melicratum initio præcipuè in naturis calidis ſit valde dilutum ex decima parte mellis &c. in progreſſu minus dilutũ, præparatum cum hyſſopo, thymo, roreſmarino, cinnamomo &c. abſtinendum à multis juſculis, quæ ventriculo amica non ſunt, & caput vaporibus replent. Tempus opportunum exhibendi cibi eſt, quo æger minꝰ afficitur, ut in fine declinationis, aut intermiſſione, nunquam inſtante aut incipiente paroxiſmo, niſi vires urgeant, quo tempore à cibo, potu, ſomno abſtinere oportet, alioqui ſomnus ſit mediocris tantùm. Nam vigiliæ & motus magis in hac febre, quàm in ulla alia putrida ex uſu ſunt. Verum pro exercitijs & motu utantur frictionibus, præcipue extremorum initio paroxiſmi. Alvus ſi ſubſiſtat, glande aut clyſtere excitetur.

An phlebotomia in hac febre conveniat?

Secundò, in exquiſitæ quotidianæ curatione Græci nullam phlebotomiæ mentionem fecerunt, quod corpus multis crudis humoribus refertum ſit, deinde ætas, vires, anni tempus plerumque prohibeant. Attamen in nonnullis quotidianis nothis, ubi in venis cum pituita redundat ſanguis, quod ex urina rubra craſſa, alijſque ſignis dignoſcitur, ſi vires valentes ſint, cæteraque conſentiant, licet venam ſecare, præcipuè in quotidiana continua, ubi cum alimentaria pituita ſanguis putredinem contrahit, ſed in hi

ſangui

ſanguis minori quantitate detrahatur. Tempus ſectionis ſit poſt evacuationem communium excrementorum, in prima corporis regione, ne cruda in venas trahantur. In omni quotidiana incipienda curatio ab evacuatione communium excrementorum, per clyſteres leniter detergentes, & alia medicamenta per os aſſumpta, pro qualitate humoris & natura ægri: Veluti in exquiſita quotidiana à pituita dulci vel inſipida *Alvum lenientia.*

℞ *betæ,*
mercurialis,
malvæ ana m j.
Sum: anethi,
flor: camomillin.
meliloti ana m s.
ſem: aniſi,
carthami ana ℥ s.
furfuris macri in petia ligati m s.
coquantur in aquæ ſ. q. in Colaturæ ℔. j s.
diſſolve Elect: diacatholicon:
hieræ picræ ana ℥ s.
diaphænici ʒ iij.
mellis roſati aut mercurialis ℥ j.
olei communis ℥ iij.
ſalis ʒ j.
f. Enema, vel
℞ *caſſiæ extr:* ℥ j.
ſp: hieræ picræ ʒ j.
agarici troch: ℈ s.

cum saccharo albo & modico pul: sem: anisi fiat bolus. vel

℞ *Elect: diacathol:* ʒ vj.
diaphœnici,
aut Elect: Indi ʒ ij.

fiat bolus vel, *dissolve in decocti aperitivi communis* ℥ iiij. *& mellis rosati sol:* ℥ j. *f. haustus*. Evacuatis communibus excrementis in ventriculo, intestinis, primisq; venis, ante præparationem humorum validiora purgantia non conveniunt, quæ crudos humores commovent, & obstructiones augent, nisi materia peccans ita multa sit, ut eam natura vincere nequeat, tùm dandum est pharmacum eam minuens: ut dilutũ agarici, & turbith, aliaq; ut infrà. Humorem peccantẽ ad concoctionem præparant attenuantia, incidentia, detergentia, initio mitiora, minori calore prædita, dùm crudus humor est in venis primis, ne ad majores deducatur, qualia sunt quæ sine evidenti attenuatione communes ductus tantũ detergunt, ut mel ros: hydromel &c. Deindè sensim ad attenuãtia validiora procedendum est, veluti in exquisita quotidiana præcipuè intermittente, conveniunt initio syr: acetosus, capill: ven: oxymel simplex; hinc syr: corticum citri, de betonica, de duabus radicibus, de Bizantijs, acetosus compositus; pòst de quinq; radicibus, oxymel diureticum, scilliticum aut Gesneri &c. cum

Præparantia.

aquis

aquis aut decocto appropriato. Veluti

℞ *syr: acetosi simpl:*
mellis rosati sol: ana ℥ ij.
aquarum capill: ven:
buglos:
beton: ana ℥ ij.
misce, aromatizetur spe. aromatici rosati: fiat julep,

pro duabus vicibus utatur primis diebus hoc aut simili. Pòst

℞ *oxymelitis simpl:*
syr: de duabus rad:
capill: ven:
aut de bizantijs ana ℥ j.
Aq: fœniculi,
betonicæ,
hyssopi ana ℥ ij.

misce. Hinc præmissa purgatione ad validiora attenuantia procedere oportet, & tandem ad oxymel compositum &c.

℞ *rad: quinq; aperitivar: ana* ℥ s.
glycirrizæ,
sem: anisi,
fœniculi,
melonum ana ʒ ij.
fol: agrimoniæ,
hyssopi,
betonicæ,
capill: ven: ana m j.
pulegij.

absinthij,
carduiben:
flor: buglos:
anthos ana P j.
passul:mundat: ℥ vj.
coquantur in aquæ s.q. in Colaturæ ℔ j. *dissolve syr: de quinq; rad:*
de bizantijs,
capill:ven: ana ℥ j.

fiat Apozema. Talibus humores præparentur. Ad concoctionem quoq; procurandam juvant, quæ os ventriculi cæteraque viscera corroborant, eorumque obstructiones aperiunt, de quibus mox dicetur. Interserenda sunt præparantibus purgantia, ac initio post communium excrementorum evacuationem aliquot diebus humores præparentur; septimo aut octavo die deinde æger purgetur pharmaco mitiori, veluti

Purgantia.

℞ *Elect: diacathol:* ℥ s:
agarici troch: ʒ j.
fiat bolus,
vel dissoluta in decocti communis ℥ iiij.
mellis ros: sol: ℥ j.
f. haustus, vel

℞ *agarici troch.* ʒ ij.
infunde in hydromelitis vel decocti aperitivi ℥ v.
in Colatura expressa dissolve syr: infusionis ros: cum agarico ℥ j.

f. haustus

f. haustus. Pro robustioribus addi poterit *Elect: diacarthami: vel endiv:* ʒ ij. vel
℞ *massæ pill: alephagin: ex interiori massa* ʒ j.
agarici troch: ʒ s.
cum melle rosato:
fiant pilulæ vij.
acui poterunt granis aliquot troch: alhandal. Post ejusmodi evacuationes, humor peccans adhuc crudus & impactus iterum validioribus attenuantibus incidentibus præparetur, ut modò diximus, deindè apparentibus signis concoctionis validiori pharmaco purgetur, si vires ferant. Addenda in progressu, quæ humores adustos purgant, metu quartanæ aut obstructionis lienis,

℞ *rad: polipodij querc:* ℥ vj.
fœniculi,
petroselini ana ℥ s.
glycirrizæ,
sem: anisi,
fœniculi,
carthami ana ʒ ij.
fol. agrimoniæ,
betonicæ,
hyssopi,
capill: ven: ana m s.
ceterach,
carduiben;
Sum:
centaurij min:
absinthij,

flor: buglos:
anthos ana P j.
passul: enucleat: ℥ vj.
coquantur in aqua q. s. in cujus colatura ℥ v.
infundantur aut bulliant fol: senæ Alex: sine stip: ℥ iij,
agarici troch:
turbith electi ana ʒ j.
zinzib:
galangæ ana ℈ j.
colaturæ expressæ misce syr: infusionis ros: cum agarico, vel syr: diacnicu ℥ j.
fiat haustus.

Pauperioribus robustis detur *pul: turbith descriptionis Avicennæ aut pul: diaturbith* ℈ iiij.

vel, *Elect: diaphænic:*
cum elect: indi ana ʒ iij.
dissoluta in decocti passularum,
fœniculi,
anisi,
absinthij &c. ℥ iiij.
vel ℞ *massæ pill: de hiera cum agarico,*
aut mastichinarum ℈ ij.
aggregat: ʒ s.
troch: alhandal gr: iij. *aut* iiij.
cum succo absinthij: fiant pilulæ vij.

Laudat Avicenna pilulas *ex agarici troch:* ℈ iiij. *& modico sem. urticæ cum melle rosato.*

Si os ventriculi debile sit, à fortioribus purgantibus abstinendum est. Probatur in hac

in hac febre vomitus, sed nunquã ante octavum diem, tutissimè datur vomitorium à cibo, aut ante paroxismũ, apparentibus signis concoctionis, sive circa statum, si æger sit assuetus, & materia sursum vergat. Improbantur valida vomitoria, quæ os ventriculi labefactant

Vomitoria.

℞ *sem. raphani* ℥ j.
attriplicis,
anethi ana ℥ s.
flor. camomillin. P s.

coquantur in aqua, in cujus colatura ℥ vj, *dissolve oxymelitis simpl. vel squillitici*, si materia sit valde crassa, ℥ j s. *fiat haustus.*

Pro robustioribus addatur *agarici troch.* ʒ j. *triti in oxymelite.* Concedi poterit vomitoriũ ex asaro vel gratiola, ut superiori capite. Ab initio curationis, pręmissa purgatione, utendum primùm, quæ os ventriculi confortãt, deindè jecur cæteraq; viscera, potissimũ circa statũ febris, probãtur initio diarrod: Abb: aromaticum rosatum, diaxyloaloes, hinc dianthos, diagalanga, diaspoliticum, diacuminum, diatrionpipereon, diacalaminthes: si metus sit hydropis, dialacca, diacurcuma: Probantur theriaca, mithridatium, & aurea alexandrina, coctâ & magnâ ex parte evacuatâ materiâ putrescente. Item ad corroboranda viscera, obstructiones tollendas, troch: de

Confortãtia.

absin-

absinthio & de rosis: si affectum sit jecur, de Eupatorio; si lien, de capparibus: item extracta gentianæ, centaurij min: carduibenedicti. Parantur ex his variæ formæ, ut ex speciebus cum saccharo dissoluto in aqua convenienti, Tabulæ: ex ijsdem cū conserva anthos, bethonicæ &c. opiata: ex trochiscis pilulæ aut boli, ut in præcedente capite, ac etiam capite *de curatione putridarum in genere*. Verùm in hac febre calidiora tutius exhibentur, quàm in ulla alia putridarum. Quare pulveres nonnulli ibidem descripti, præcipuè ex gentiana, centaurio min: &c. Item pilulæ ex extractis & trochiscis, evacuato corpore horis tribus aut quatuor ante paroxismum, utiliter exhibentur. Similiter theriaca aut Mithridatium à ʒ s. ad ʒ j. ex vino albo, aut aurea Alexandrina ex decocto florum stæchados Arab.: Ad appetitū excitandum probatur, ante cibum assumere cochlearia duo syr: de absinthio, vel de mentha, initio prandij bibere vinum absinthites, præcipuè febre ad delinationem tendente. Tandem concocta & magna ex parte purgata materia peccante, consultum tū demum est, reliquias ejus per urinas & sudores evacuare, initiò levioribus, ferè ut in precedente capite, procedendo ad validiora, veluti ad Theriacam, Mithridatium &c: & tandem ad decoctum ligni sancti, sarsafras, sarsæ

Diuretica. Sudorifera.

ſarſæ parillæ, chynæ, cum appropriatis, pro differentia naturarum. Veluti, pro naturis frigidioribus:

℞ *limatura ligni ſancti* ℥ iij.
cort: ejusdem ℥ s.
ſarſafras ℥ j s.
infundantur aquæ ferventis ℔ v. *per horas 18. pòſt coquantur lento igne in duplici vaſe, addendo*
rad: quinq; aperitivarum,
glycirrizæ, ana ℥ s.
ſem: aniſi,
fœniculi,
melonum ana ʒ ij.
fol: agrimoniæ,
betonicæ,
hyſſopi,
chamædryos ana m s.
menthæ,
carduiben:
flor: anthos,
ſtæchados Arab: ana P j.
paſſul: enucleat: ℥ j.
coquantur lento igne, addi poterit ſub finem vini albi ℔ s. *Colatura dulcoretur ſaccharo & melle deſpumato, aromatizetur cinna.* ʒ j.
ſpicæ,
ſcœnanthi ana ℈ j.

In naturis calidioribus loco ligni ſubſtituatur radix chynæ, aut ſarſafras, quæ valide etjam

jam urinas movet, Datur hujus decocti ℥ vj. tepide mane, interdum cũ modico theriacę, aut mithridatij, ex conserva anthos, nõnunquam cum pilulis tribus aut quatuor ex prædictis trochiscis. Plurimum laudatur in hac febre circa finem, ubi hydropis metus est, salis absinthij ℈ j. vel ʒ s. cũ pauco theriacæ & conservæ absinthij, aut agrimoniæ. Quod si ob longitudinẽ morbi ventriculus & hepar debilitentur, atq; hinc prima & secunda cõcoctio vitientur, pedes cruraq; intumescãt, hydrops immineat, aut lien intumescat, his malis maturè occurrere decet; & primùm, ut in hydropis curatione, aquosos humores idoneo apozemate deobstruente evacuare

Curatio imminentis hydropis &c.

℞ *rad: quinque aperitivarum maceratarum in aceto,*
asari,
cort: rad: capparum,
tamarisci,
corticum medianarum sambuci ana ℥ s.
sem: anisi,
apij,
melonum ana ʒ j s.
carthami ℥ s.
fol: agrimoniæ,
capill: ven:
ceterach,
pimpinellæ ana P ij.
carduiben:
absinthij,

flor:

flor: sambuci,
anthos ana ℞ j.
cicerum rubr: m s.
passul: mundat: ʒ vj.
concisa coquantur in aqua s. q. in Colaturæ ℥ x.
infundantur aut bulliant fol: senæ Alex:
soldanellæ ʒ s.
agarici,
mechoacanæ ana ʒ j s.
turbith electi ʒ j.
zinzib:
galangæ ana ʒ s.
addi poterit rhabarbari electi ʒ j.
spicæ gr: iiij.
deinde colaturæ expressæ admisce syr: de Eupatorio ℥ j.
fiat apozema pro duabus vicibus. Purgato corpore dentur, quę jecur & ventriculum roborant, urinas & sudores movent, ut suprà. Extrinsecus laudantur circa declinationẽ balnea sicca, frictiones toti⁹ corporis & pręcipuè spinæ, ac inunctiones cũ oleo anethino, irino, abrotani &c. Avicenna post concoctionem & evacuationẽ magnæ partis materię peccantis, cõmendat frictiones cum telis aranearum maceratis in oleo. Initio tutius extrema fricentur, pręcipuè in cõtinua quotidiana, deinde quantò materia magis lenta crassa est, magis confert frictio, Vngatur etiã ẽter tẽpore intermissionis oleo camomillino vel

Topica.

no vel anethino cum pauco vini albi. Præ cæteris partibus os ventriculi corroborandum est talibus fomentis, unguentis, emplastris, ut in cura tertianæ nothæ, licet hîc calidiora magis ex usu sint. Atque hac ratione quotidiana exquisita intermittens præcipuè curatur. Continua quotidiana & præcipuè

Curatio quotidianæ continuæ.

ea, quæ Latica dicitur, quia continua & diuturna est, ex pituita alimentaria intra venas putrescente, ac proinde minus pura, ideo præparantia & corroborantia minus calida requirit, & ob virium debilitatem purgantia mitiora, quàm intermittens. Quare evacuatis communibus excrementis clystere, aut alio leniente, primùm dentur quæ communes vias detergant, ut mel rosarum, hydromel; pòst, quæ humores intra venas attenuant & incidunt, ut syr: acetosus, capill: ven: oxymel simplex, syr: de Bizantijs &c. Verum si metus sit, ut augeatur febris, his admisceatur syr: de Endivia simplex aut compositus &c. Vbi phlebotomiæ necessitas est, non statim à sectione venæ purgare oportet, ne humor crudus nimium agitetur, viresque debilitentur: sed præmissa humorum præparatione & viscerũ corroboratione. Tandẽ concoctâ materiâ sæpè vi naturæ morbus vincitur, sudoribus aut fluxu alvi &c. si non; defectus naturę suppleatur purgantibus alijsque, ut in quotidiana intermittente.

Curatio quotidianæ nothæ

tente. Febris si sit à pituita salsa, aut pituita mixta cum bile flava, curatur fere, ut tertiana notha, præcipuè à bile vitellina, citrina. Nam primùm communia excrementa ijsdem clysteribus & lenientibus evacuari poterunt; Deindè præparantia, & purgantia & bilem & pituitam respicere debent, sed magis pituitam quia magis redundat; non enim solam bilem educere debemus, alioqui recrudesceret pituita, nec solam pituitam, alioqui bilis magis ferveret, febrisq; augeretur: sed bilem una cum pituita. Veluti

I. à salsa pituita &c.

℞ *agarici troch:* ℥ j s,
rhabar. elect. ℥ j.
scananthi gr. v.
zinzib. ℈ s.
infundantur aquæ fæniculi ℥ iij.
& endiviæ ℥ ij.
vel decocti agrimoniæ, cichorei, fæniculi &c. ℥ v.
in Colatura dissolve mellis rosati sol. ℥ j.

fiat haustus: augeatur dosis rhabarbari si bilis plus redundet &c. Febris si sit à pituita permixta melancholiæ, aut pituita acida, ob mixtionem atræ bilis, quæ acida est, instituatur cura media fere inter exquisitæ quotidianæ & quartanæ curationem; sed quæ ad quotidianæ curam plus inclinet, & pituitam magis respiciat. Veluti, evacuatis communibus excrementis ad præparationem

II. à pituita acida vel pituita mixta melancholia.

℞ *oxymel. simpl:*
syr: buglos:
capill. ven. ana ℥ j.
aquæ fæniculi,
buglos.
fumariæ ana ℥ ij.
misce, leviter bulliant,
f. julep. Ad purgationem
℞ *El. diacarthami* ℥ iij,
confect. hamech: ℥ j s.
mellis rosati sol. ℥ j.
decocti aperitivi ℥ iiij.
misce f. haustus.
Ad corroborationem
℞ *conservæ anthos.*
buglos: ana ℥ j.
cort: citri condit: ℥ s.
spec: aromatici rosati,
diamoschi dulcis ana ℈ ij.
lætificantis Gal: ℈ j.
margarit: præp:
corrallorum rubr: ana ℈ s.
cum syr. buglos: & cort: citri ana,
fiat conditum,

III. Curatio. Epiala. Febris à pituita acida intensè frigida, aut vitrea omnium frigidissima, nimirùm Epiala, medicamenta requirit, quæ validiùs calefaciunt, incidunt, attenuant, quàm in ulla alia specie quotidianæ. Ad communium excrementorum evacuationem servit Ene-

ma detergens in curatione exquisitæ quotidianæ propositum, post multò acrius, præcipuè si pituita vitrea ad intestina decumbat, & dolorem colicum fixum excitet

℞ *betæ,*
mercurialis,
centaurij min: ana m j.
althææ,
origani,
calaminthæ,
flor: camomillin:
meliloti ana m s.
sem: anisi,
carui,
baccar: juniperi ana ℥ s.
carthami ʒ vj.
coquantur in aquæ s. q. ad dimidias, in Colaturæ ℥ xv. *dissolve,*
Elect: hieræ picræ,
diacarthami ana ℥ s.
benedictæ laxat: vel hieræ diacolocinth: ʒ ij.
mellis anthosati ℥ j.
olei rutæ,
anethini ana ℥ j s.
salis ʒ j.

fiat Enema. Evacuatis communibus excrementis, præparatio materiæ peccantis instituatur initio minus calidis attenuantibus, ut oxymelite simplici &c: procedendo ad oxymel diureticum & scilliticum, vel

℞ rad: iridis Floren:
heleni,
fœniculi,
petroselini ana ℥ s.
glycirrizæ,
aristolochiæ rot: ana ℥ iij.
sem: anisi,
carui,
dauci ana ʒ j s.
fol: hyssopi.
origani,
calaminthæ ana P ij.
centaurij min:
carduiben:
pulegij,
flor: stæchados,
arab: anthos ana P j.
cicerum rubr: m s,
passul: enucle: ℥ j.

concisa coquantur in aqua s. q. ad dimidias addendo sub finem vini albi ℔ s. *In colatura* ℥ x. *dissolve syr: de quinq; radicibus,*
oxymelitis diuretici ana ℥ j.

f. apozema. Similiter purgationes initio sint mitiores, ut in exquisita quotidiana, pòst validiores, quæ magis crassam pituitam ducunt, ut

℞ turbith electi,
agarichi troc: ana ʒ j.
zinziber. albi ʒ s.

infun-

infundantur decocti jam præscripti ℥ v. *Colaturæ expressæ misce mellis rosati sol:* ℥ j.

Additur pro robustis *diacarthami aut Elect: Indi* ʒ j s.

fiat haustus. vel *detur in simili decocto pul: turbith descr: Avicennæ* ℈ iiij.

Probatur decoctum veteris galli præcipuè nigri, quia calidioris temperamenti est. Veterem autem gallum cursu defatigatum, virgisque flagellatum, deinde jugulatum & diligenter purgatum, infarcies speciebus infrà scriptis

℞ *Rad: polypod: querc:* ℥ j.
Iridis,
fœniculi,
glycirrizæ ana ℥ s.
sem: carthami ℥ j s.
anisi,
fœniculi,
carui ana ℥ s.
fol: hyssopi,
calaminthæ ana m j.
origani,
pulegij,
flor: stæchados ana P j.
camomillin: P s.
passul: enucleat: ℥ j.
tartari vini albi ʒ vj.

his concisis & contusis infarciatur gallus & coquatur in aqua s. q. lento igne. Ius colatum, de-

tracta pinguedine, servetur in varios usus. Nam haustus ejus quotidie sumptus humores crassos præparat & contemperat, ac detergendo alvum solvit. Deindè *ex juris* ℥ xv.

cum Elect: hieræ picræ,
Elect: diacarthami ana ℥ s.
mellis rosati,
olei anethini,
camomillini,
rutæ ana ℥ j.
aut similibus parari solet Enema, vel
℞ *juris præscripti* ℥ v.
infundantur fol. senæ ℥ ij s.
turbith electi ℈ iiij.
zinzib. ℈ j.
coletur cum expressione: f. haustus.

Purgato corpore statim initio utendum quæ ventriculum visceraq; confortant, & calorem nativum excitant, tutius autē hic exhibentur in progressu calidiora, ut diagalanga, diatrion pipereon, diacalaminthes, item Theriaca, Mithridatiū, aut Aurea Alexādrina. Conferūt plurimùm troch: de absinthio, de rosis, de capparibus, per se in forma pilularum, aut cum extractis gentianæ, centaurij min: sed purgato prius corpore & incipiente concoctione, quo tempore laudatur hora una aut altera ante paroxismū Theriacæ aut mithridatij ℈ ij. ex vino albo vel decocto rad: apij. Concocta & magna ex parte evacuata ma-

ata materia peccante, tempus est diureticis & sudoriferis. Dantur autem hic validiora quàm in ulla alia febre. Ad sudores movendos probantur balnea sicca, aut in vapore decocti herbarũ calefacientiũ, ut calaminthæ, origani, arthemisiæ, thymi, rorismar: Sum: anethi, flor: camomill: baccar: lauri & juniperi &c. decoquãtur in æqualibus partib. vini albi & aquæ. Deindè post balneũ totum corpus & præcipuè spina fricetur, eaq; oleo Irino, costino &c. calidè inungatur; interdũ additis telis aranearum; hinc æger in lecto molli reponatur, & exhibeatur vel diacalaminthes, vel diatrionpipereon, vel Aureæ Alex: ʒ j. in vino albo. De febre syncopali tam à bile, quàm à pituita infrà inter febres symptomaticas peculiari capite agemus.

DE FEBRIBUS QUARtanis.

CAPUT XII.


Ebris, quæ ab humore melancholico succẽditur, quia quarto die exacerbatur, à circuituũ ordine quartana nuncupatur. Nã ejus causa continẽs est melancholia putrescẽs; Igitur ut cæteræ putridæ, ita & pro varietate primũ loci, in quo putrescit, deinde ipsius melancholiæ putrescentis distinguitur. Putrescit autẽ melan- *Differentiæ febriũ à melancholia.*

cholia, vel intra venas conclusa, vel extra venas per sensiles partes delata. A melancholia intra venas putrescente oritur quartana continua; extra venas, quartana intermittens. Deindè melancholia quæ putrescit, vel *naturalis* est, vel *præternaturalis*. Naturalis autē, Græcis χυμὸς μελαγχολικὸς, est *sedimentum sanguinis, sive fex sanguinis in jecore genita, natura frigida, sicca, terrestris:* sub hac continetur & melancholia alimentaria, per venas distributa, quarta massæ sanguinis pars, vim & crassitiem massæ concilians, & ad partes frigidas siccas nutriendas inserviens: Deindè quæ à jecore ad lienem relegatur, ut eam alat, ac acerbitate sua ventriculum corrugando appetentiam excitet, quæ naturalis excrementitia à nonnullis vocatur. Præternaturalis melancholia, Græcis μέλαινα χολὴ latinis *atra bilis est omnis humor niger adustus &* juxta Avicennam *cujusq; humoris naturalis torrefacti quasi cinis sive pars exusta:* Proinde quatruplex est, una ex bilis flavæ, altera ex melancholiæ naturalis, tertia ex sanguinis, quarta ex pituitæ adustione: Galenus tres solùm atræ bilis species agnoscit, & duas præcipuas, quarum una pessima est, ex bile flava adusta; altera minus mala, ex melancholiæ naturalis adustione; tertia benignissima ex sanguinis adustione; qua primùm pars tenuior in bilem flavam, altera in

Melancholia species.

atram

atram vertitur, pòst flava quoque in atram transmutatur. Quare non pauci recentiorum pituitam eousque aduri posse negant, ut atra reddatur. Quia vero constat quotidianas in quartanas sæpe transire, lienisq; tumores excitare, & pituitam crassam interdum quartanæ circuitus obtinere, ac etiam pituitosos humores in hypochondrijs putrescetes melancholica symptomata excitare; probabile est, ex pituitæ adustione quandam atræ bilis speciem fieri posse, præcipuè ex pituita salsa; Verùm non immediatè, nec ita facilè ex alba pituita nigra evadit, quàm ex frigida humida absumpta humiditate redditur frigida sicca terrenæ substantiæ. Nam in habentibus symbolum facilis est transitus. Præterea naturalis melancholia putrescens, vel pura est sive sincera, vel pituitæ aut bili flavæ, vel sanguini permixta. A melancholia naturali putrescente oritur semper quartana exquisita, si putrescat intra venas, continua: si extra, intermittens. Nam *continua quartana exquisita est febris putrida quarto die circuitus accessionum & remissionum habens, orta à melancholia alimentaria putrescente intra venas.* Hæc febrium rarissima est. At *quartana exquisita intermittens est febris quarto die circuitus accessionum & intermissionum habens, orta à melancholia naturali putrescente, extra venas per sensiles partes delata.* A

Quartana exquisita.

Continua quid?

Intermittens quid?

melancholia omni præternaturali ſive bile atra, aut à melancholia cum alio humore permixta, ita ut melancholia dominetur, ſcilicet à melancholia ſanguinea, bilioſa, pituitoſa, oritur quartana minus exquiſita ſive notha: Verùm bilis aduſta licet, ut cinis, frigida ſicca terreſtris ſubſtatiæ ſit, tamen ex aduſtione acrimoniam quandam obtinet, qua partes, per quas tranſit, exulcerare ſolet, præcipuè quæ ex bilis flavæ aduſtione oritur: deinde ex melancholia naturali, maximè ſi putredinem contrahat & moveatur. Ideo conſentaneum non eſt ex bile atra quartanam continuam fieri poſſe, quod venæ parteſque nobiliores ejus acrimoniam tamdiu ſuſtinere nequeant. Intermittens tamen fieri poterit, quòd humor putreſcens paucior ſit, & extra venas ad partes ignobiliores expellatur, faciliuſq; permiſtione aliorum humorum acrimonia illa contemperetur. Febris omnis à melancholia putreſcēte, quæ quarto die ſemel exacerbatur, ſimplex quartana vocatur, & ab una parte quaſi foco ſuccenditur, quæ vero bis aut ter, compoſita ſive duplex, aut triplex quartana eſt. Hæc ex majori humoris peccantis copia & celeriori ſynatriſmo ſuccenditur, non ſemper ab uno loco ſed diverſis. A melancholia pauca ſed craſſiſsima, quam pituita craſſior aduſta generavit, Arabes febres omnes

Quartanæ nothæ differentia.

An ex alia bile fiat cōtinua quartana.

Quartana ſimplex, duplex &c.

omnes, quæ circuitum quartanarum excedunt, fieri arbitrantur, nimirum quas Hipp. *1. Epid. 3.* enumerat, ut quintanas, sextanas, septimanas & Nonanas. Item Razes, qui se hominem vidisse dicit, decimo quinto die, alium semel in mense febre corripi &c. Galenus de his dubius videtur, nam nullam ejusmodi febrē manifestam, id est, durantē in suis paroxismis, se vidisse scribit. Fatetur quidem accessiones quinto, sexto, aut nono die recurrrere posse, sed novas febris species constituere negat, alioqui necesse erit, singulas suum determinatum humorem habere, ut habet tertiana, quartana &c. quod autem paroxismi interdum quinto, sexto, septimo, aut nono die repetant, aliam causam non esse, quàm in materiæ peccantis tardiori synatrismo, aut ex errore præcipuè in victus ratione. Verùm si ob pravam victus rationem accessiones quinto aut sexto die recurrant, non protinus quintana aut sextana existimanda erit: sed si citra errorem aliquem accessiones illis temporibus certò repetant, & ad finem morbi perseverent, quarum causa non alia videtur quam humoris peccantis tardior synatrismus & putredo ob ejus paucitatem simul & crassitiem majorem, quàm in quartana. Nam materia harum febrium suapte natura rarius tardiusque accenditur rariùs autē & tardiùs accenditur,

Febres quintana.

An dentur febres quintana &c.

Earū causa.

quò

quò paucior crassiorq; fuerit, quare nonanas à materia magis crassa fieri volunt (scilicet à pituita vitrea adusta) quam sextanas, & has, quàm quintanas. Verùm cum teste Hipp: quintanæ omnium pessimæ sint, & quæ erraticas aut hecticas consequũtur perniciosæ, septimanæ longæ non lethales, longiores nonanæ, nec lethales, ideo nonnulli quintanas ab atra bile, acriore humore, scilicet calido sicco sed crasso, fieri volunt: sextanas &c. à melancholia crassiore, humore sicco frigido. Hæ febres quia rarissimæ sunt, & à paucis exercitatissimis etiam medicis visæ, fortasse in quibusdam regionibus solum, ideo singularum causas proprias assignare difficilimum erit. Sufficit eas à melancholia pauciore crassioreque fieri, quàm quartanam, ac proinde sub quartanis nothis comprehendi, ut febres erraticæ. Omnis quartana febris vel primaria est sive primùm invadit, vel alias febres consequitur, cum humor peccans non integre evacuatus exuritur, & in melancholiæ naturam abit, præcipuè febres erraticas, quæ inconstantes paroxismos habent, quod materiæ torrefactæ partes aliæ putrescant & moveantur, aliæ non. Nam in quartanis partes omnes æqualiter putrescunt & commoventur. Hæ quartanę quia alias febres consequũtur, semper nothæ sunt, & ætati consistenti magis acci-

Febres erratica earumque causa.

dunt; illæ quæ primum invadunt, exquisitæ, & ætati declinanti familiares sunt. Quartanarum itaque causa immediata est melancholia putrescens: putrescit ex transspiratione prohibita, propter obstructiones vasorum, ex melancholiæ copia & crassitie, interdum simul ob constipationem aut densitatem pororum cutis. Melancholia autem naturalis à quâ exquisita quartana multiplicatur, potissimum ætate declinante, ab anno 45. ad 60. in naturis frigidis siccis, aut macris, nigris, hirsutis, qui latas habent venas, lien obstructum tumidum aut infirmum, interdum jecur calidum siccum, succos terrenos gignens, autumno aut tempore cælique constitutione inæquali, ubi ver autumno simile est, in ijs maximè, qui multis tristibus curis aut cogitationibus aut laboribus sunt obnoxij, vitamque solitariam agunt sine omni hilaritate, ex frequenti usu alimẽtorum crassæ terrenæ substantiæ sive succi; ut carnis bubulæ, cervinæ, caprinæ, leporinæ, præcipuè animalium ætate confectorum, item leguminum omnium, brassicæ, casei veteris, panis furfuracei, vini nigri, crassi &c. ac insuper ex supressione consuetæ evacuationis melancholiæ per hæmorrhoides, uterum, alvum, varices, scabiem, aut per medicamenta melancholiam purgantia. Præternaturalis melancholia sive atra bilis

Causa quartanarum.

accu-

accumulatur ætate consistente, sub calida sicca aëris constitutione &c. propter febres, in quibus humor peccans non evacuatus exuritur, ut suprà diximus. Præterea fit quartana vitio plerumq; lienis, humorē melancholicū non attrahentis aut nō conficientis, aliquādo vitio jecoris, si calidius sicciusq; sit aut debilius, sive ita impotens ut melancholiā à sanguine secernere nequeat, qua retenta obstructio gignitur, febrisq; cōsequitur, quæ plerumq; in hydropē terminatur. Aliquando origo mali evenit vitio ventriculi, crudos humores gignentis & colligentis, interdum tam crassos & contumaces, quàm est atra bilis, præcipuè ubi febris quartana ex pituitæ adustione gignitur. Dignoscitur quartana ex proprijs symptomatib⁹, & signis ac causis manifestis prægressis, veluti quartanæ intermittentis accessio primo statim die non cū vehemēti rigore, ut tertiana, incipit, sed horrore aliquo aut frigore, quale per gelu hybernum sentitur: progrediēte morbo rigor augetur, sensusq; percipitur nō rei pungentis, sed carnem quasi contundentis & ossa penetrantis; hinc succēditur humor melancholicus nō citò ut in tertiana, bilis, sed paulatim, ut lapis aut testa, quia frigid⁹ siccus est, calorque febrilis erūpit, min⁹ deurens quā in tertiana, magis quàm in quotidiana, & minus vaporosus ac inæqualis. Igitur sitis & vigiliæ majores hîc sūt, quàm in quotidiana &c. Ac-

Signa quartanarum.

Quartana intermittentis.

cessio ad 24. horas interdū extenditur, sępius intra horas 12. finitur, hinc succedit perfecta infebricitatio. Nā quicquid melancholici humoris accēsum fuerat, exhauritur, & in accessione dispergitur, & in declinatione exit sudor multò facilius, quā in quotidiana. Deindè cū invadit febris, æger licet juvenis sit, pulsus ætatis decrepitæ habebit, nimirū parvos, tardos, raros, debiles, præcipuè raros simul & tardos, sed magis raros, quā in quotidiana licet æque tardos. Nā initijs accessionum arteria quasi alligata & ad interiora retracta videtur, ut liberū ascensum non habeat, ob humoris gravitatē. In augmento & vigore accessiones licet frequentiores & velociores sint, tamē servatur ad huc tarditatis & raritatis proportio, si superadditā frequentiam & velocitatē perpendas. Престереà in uno pulsu inæqualitas, omnibus febribus cōmunis, omniū manifestissimè in quartanis observatur. Prętereà cessante paroxismo pulsus minor, tardior, rarior naturali sentitur, cōtra aliarum febrium naturam. Vrinæ initio morbi albæ, tenues, aquosæ sunt; pòst sensim incipiēte concoctione coloratiores magisq́; crassæ evadunt. Adduntur his signa sumpta à causis prægressis, melancholiam multiplicantibus, & à proprijs effectis redundantis melancholiæ, ut color corporis obscurus & nigricans, habitus corporis siccus, macilentus, aspectus inconstans, tristis,

horridus, metus & mæstitia, insomnia rerum nigrarum & terribilium, vomitus melancholiæ aut dejectiones, appetentia interdum depravata. Febris quæ cum his signis intra quartum diem bis aut ter exacerbatur, sive cirtuitus accessionum habet, duplex aut triplex quartana judicatur, ut simplex, quæ quarto die semel exacerbatur. Distinguitur continua quartana ab intermittente, quòd ad manifestam infebricitationem priusquam ex toto solvatur, non devèniat, sed continuo affligat, deinde exacerbatur quarto die sine ullo horrore aut rigore, licet initio accessionis, detracto calore, extrema nonnihil refrigerentur. Præterea in continua major semper sitis, vigiliæ, oris & labiorum siccitas, quâm in intermittente, & symptomata multò vehementiora.

Signa differentiarum.

In quartana spuria non omnia signa sunt, quæ in exquisita reperiuntur, sed nonnulla desiderantur, & alia quædam erunt illius humoris, qui cum melancholia permiscetur, aut in atram bilem convertitur. Semper autem quartana quæ alias febres consequitur, aut erraticas, spuria est, ex melancholia naturali adusta, vel melancholia biliosa, pituitosa, sanguinea. Quartana à melāchholia biliosa biliosas febres consequitur, & juvenibus biliosis æstate accidit, ejus accessio cū vehementiori horrore incipit, succenditurque brevi

Signa specierum quartanæ nothæ.

brevi calor acris; Vrina citrina aut ſubruſa eſt, adeſt calor, ſitis, & vigiliæ magis, quàm in ulla alia quartanæ ſpecie; interdum furor; aliaque vehementiſſima ſymptomata. Quæ à melancholia pituitoſa gignitur, febres pituitoſas conſequitur, aut cruditates ventriculi, & naturis pituitoſis præcipuè accidit; febris longos habet paroxiſmos, & frigus initio acceſſionis diutius perdurat, calor minus acris magiſque vaporoſus erumpit, ſitis exigua, ſomnus gravis adeſt, urina craſſa, ſudor tardius erumpit, quàm in ulla alia quartana &c. An foveatur febris vitio alicujus viſceris, ut plerumque lienis, non raro jecoris, interdum ventriculi, id proprijs partis affectæ ſignis dignoſcere licet. Nam ſigna lienis affecti ſunt tumor aut tenſio in ſiniſtro hypochondrio, color faciej ſubfuſcus, multæ cruditates, alvi conſtipatio &c. Signa jecoris affecti ſunt tenſio aut tumor dextri hypochondrij, ſæpè cum difficultate aliqua reſpirationis & ſicca tuſſi; coloris ſunt albicantis, & corpore tumidi; tandemque in hydropem terminantur &c. *Signa partis affecta.*

Quartana ſua natura omnium febriū putridarum longiſſima eſt, præcipue intermittens. Nam continua quartana, quæ rariſſime accidit, brevior eſt intermittente, licet, teſte Villanovano, multoties in 40. diem extendatur. Deinde intermittens minus peri- *Prognoſtica.*

culosa est: continua, si accidat, periculo non caret, ac sæpe ad hecticam primùm, deindè mortem ægrum deducit. Quartana intermittens si ritè curetur, ultra annum durare non solet, aliquando post dimidium annum, sæpe 20. aut 40. accessionibus finitur; si non ritè tractetur, per annos plures durare solet: Avicenna ad annos 12. perdurare scribit. Verùm æstivæ quartanæ magna ex parte breves sunt, autumnales longæ, præcipuè quæ hyemem attingunt: Vetus quartana raro nisi vere solvitur. Quartana intermittens licet longissima sit, securissima tamen existimatur, non solum sua natura, sed etiam quia ab alijs magnis morbis ægrum liberat. Nam teste Hipp: *lib. 1. Epid. com. 5. text. 3.* quartana laborantes magno morbo non capiuntur, si priùs capiantur, & quartana superveniat, liberantur: quod confirmat *Aph. 70. lib. 5.* his verbis: *A quartana correpti non admodum convulsionibus capiuntur, si vero capiantur, & quartana supervenerit, liberantur.* Dicitur quidem quartana intermittens securissima, sed non absolutè, nisi absit visceris alicujus gravior affectus. Nã quæ à lienis tumore, aut valida obstructione fovetur, non solum diuturnior est, sed etiam progressu temporis ægrũ plerumq; ad hydropem deducit. Idem etiã pręstat jecoris tumor aut obstructio. Prætereà quar-

quartanæ febres senes decrepitos magna ex parte interficiunt, quod ipsorum virtus expultrix & concoctrix infirma sit. A sanguine adusto, in atram bilem converso, quartanæ spuriæ mitiores brevioresq; fiunt; breves quoque, sed malignæ & periculosæ fiunt à bile flava adusta, deinde à melancholia naturali adusta: A melancholia pituitosa longæ, sed non ita periculosæ quartanæ excitantur. Ex ijs quæ quartanæ periodos excedunt, omnium pessimæ sunt quintanæ, etenim ante tabem, aut tabidis supervenientes interimunt: septimanæ longæ sunt, sed non lethales: longiores nonanæ, nec ipsæ lethales. Solvitur hæc febris ad salutem plerumq; concoctione, & per sudores, aliquando per urinas aut abscessus: Ad mortem verò dissolutione virium propter tumorem lienis aut jecoris, hydropem &c. Quia autem febris ob humoris contumaciam producitur, & ita curatu difficilis est, ut *opprobrium medicorum* dicatur: Igitur conandū omni ratione medico erit, aut eam brevi solvere, aut paroxismos breviores & toleratu faciliores reddere. Indicationes curativæ in hac, ut in alijs putridis, sumūtur à morbo sive febre, à febris causis, & à viribus ægri. Febris refrigerantia indicat & humectātia. Ex causis primū putredo evacuantia, concoquētia, calore eventilātia; Obstructio à copia vel

Curatio.

Indicationes.

crassitie melancholiæ attenuantia, incidentia, concoquentia, evacuantia, hæc si inter se conferantur, inveniemus plerumque non minus tribuendum ej, quod requiritur à morbo, quàm à causa, proinde ad utrumque æqualiter respiciendum, aut paulo plus ad unum quàm ad alterum, prout unum magis urget, veluti à Causa, si materia peccans multum frigida, sicca, crassa fuerit; contrà, si calida, acris, adusta. Melancholia naturalis quia frigida, sicca, calefacientibus, humectantibus: quia crassa, attenuantibus, digerentibus præparatur. Si adhuc semiputrida sit, his alijsque ad meliorem statum redigatur, sive concoquatur, si computruerit, evacuetur. Si febris sit à bile atra, præcipue à flava bile adusta, præpollet indicatio à febre, nam plurimum refrigerare & humectare oportet, sed quia bilis adusta per concoctionem ad meliorem statum non reducitur, simul evacuare convenit. Cavendum semper ne usu attenuantium & calidorum febris augeatur, aut humor exasperetur. Quare ab initio febris ægri blandè leniterq; tractandi sunt nec medicamẽtis catharticis natura irritanda est, nec validis attenuantib. digerentib9 :nisi in progressu calor deferbuerit, & materia putrescens melancholia naturalis, non bilis atra adusta fuerit. Nam qui initio catharticis aut attenuantibus dige-

rentibus validioribus utuntur, ex simplici quartana sæpè duplicem aut triplicem faciunt, interdum continuã, quę ad mortem deducit. In horum omnium usu habenda est ratio virium ægri, ne ante status finem deficiant, cum morbus chronicus sit. Conservantur vires convenienti diæta, sive legitimo usu sex rerum non naturalium. *Diata.* Aër in exquisita quartana sit in caliditate & frigiditate temperatus, sed ad humiditatem inclinans, qui si talis non sit, arte præparetur, ut alibi diximus. Diætæ forma, quò ad alimenta, sit plenior quàm in alijs putridis, ob morbi diuturnitatem, sed initio quia materia crassa copiosa est, virtutem premens, tenuior, si fieri queat, tribus prioribus septimanis; pòst plenior paulò; hinc ad statum nonnihil tenuior; in statu tenuissima; tandem crassissima. Cibi autem sint boni succi, facilis concoctionis & distributionis, tenuis substantiæ, naturæ humidæ semper; si materia peccans sit melancholia naturalis, ad caliditatem inclinans; si bilis adusta, ad frigiditatem nonnihil. Abstinendum igitur est à siccis frigidis, nisi humectantibus temperentur: ac ab ijs quæ crassa & tenacia sunt, & tardum exitũ habent, ut à carne porcina, bubula, caprina, avium quæ in paludibus degunt &c. Item à leguminibus, brassica, pane furfuraceo, alijsq; quæ succum me-

lancholicum gignunt. Probantur ptisana hordei colata vel non colata, panatella in jure pulli vel lacte amygdalarum cum cinnamomo. Et ex animalibus, carnes agni, vituli, aut hœdi lactantis, pullorum gallinæ, columbarum, item caponis, perdicis, phasiani, avicularum montanarum &c. sed elixæ magis, quàm assæ, ova recentia sorbilia. Deindè pisces saxatiles & alij qui mollem friabilem carnem habent, ut sunt perca, lucius, trutta, asellus minimus &c. Conceduntur sub finem pisces saliti cum sapa & sinapi. Ex herbis commendantur borrago, buglossa, spinachia, malva: æstate endivia, lactuca, item rad. fœniculi, petroselini, ac præ cæteris rapæ, quæ in duplici aqua leviter coquuntur, deinde utraque abjecta in jure pingui carnium. Ex fructibus passulæ, amygdalæ, pruna dulcia, cerasa dulcia: In progressu, cappares & olivæ conditæ. Commendatur succus pomorum redolentium, granatorum dulcium, aurantiorum &c. Item ad condiendos cibos cinnamomum, macis, crocus: In progressu, calidiora, tandem post statum, sinapi, piper aliaq; multùm calida. Verum si materia calidior sit, aut febris continua, ab his calidioribus abstinere oportet, alioqui laborantes quartana exquisita intermittente, frigoris sunt impatientes, & à frigidis maxime læduntur,

duntur, calidisq; juvantur. Ab aceti usu temperandum, nam licet eximiam vim extenuandi habeat, tamen atram bilẽ & melancholiam fermentare solet, nisi aliorum permixtione multum contemperetur. Compertũ est, cibos naturæ diversæ, aut pravæ, vel non ita bonæ substantiæ, quos ægri avide appetunt, multos ab hac febre liberâsse, ut esus ficuum recentium, uvarum, halecum &c. Quare ubi appetitus aliquid vehementiùs desiderat, non est consultum, ægris denegare, nisi sua natura plane noxium fuerit. Nam febris ista varijs modis curari solet, licet non semper per se, sed sæpius ex accidente: & primum quia facultas expultrix, quæ quarto ad expulsionem die non irritatur, nimirum usu opiatorum; aut quia à munere suo avocatur aliqua vehementi perturbatione, ut ira, gaudio &c. Secundo quia materia expultricem irritans, aut evacuatur medicamẽtis melancholiam expurgantibus, cui etiam ex accidente serviunt ficus, uvæ &c. quando immodicè expetuntur; aut quia non aggregatur materia causa febris idque ob vigorem facultatis concoctricis, vel absolute consideratæ vel ratione alimenti alicujus: Alimentum autem quo magis ab ægro appetitur, melius concoquitur, & minus excrementi vitiosi relinquit: vel quia tollitur causa materiam aggregãs, dum

An ægris cibi illi concedendi sunt quos avidè appetunt,

exhibentur alimenta calida humida, aut quæ minus apta sunt, ut ad melancholiæ generationem materiam suppeditent, qualia sunt oleum amygdalarum dulcium cum croco aut pauco aceti; aliaque quibus interdum febris ista curata fuit, quæ medicum negligere non convenit. Cibandi sunt ægri in febre continua tempore remissionis: in intermittente sex horis ante accessionē, aut ea finita: & plenius semper diebus intermissionum. Si vires sint firmæ, utile est die accessionis à cibo prorsus abstinere, alioqui modicum facilis digestionis concedere, nimirum ptisanam colatam, aut jus pulli &c. Cavendum sedulò, ne in accessionibus cibus indigestus in ventriculo reperiatur. Potus tempore intermissionis assuetis sit cerevisia, aut vinum album initio tenue magisque dilutum, in fine conditum absinthio, helenio, ceterach &c. Probatur hydromel in principio morbi, ac in fine paroxismi aqua hordei præparata cum cinnamomo, interdum cum granis paucis piperis. Abstinendum à potu initio paroxismi, ac etiam à cibo & somno potissimum, alioqui somnus prolixior, quia humectat, utilis est. Diebus intermissionis levis exercitatio ante cibum confert, aut ejus loco frictiones totius corporis, depositis prius alvi excrementis. Alvus, si sponte non fluat, glande aut clystere excitetur, ut

tur,ut infra. Tandemque ægri animus à gravibus curis & molestijs ad lætitiam & tranquillitatem convertatur. Præmissa Diæta superest,ut cætera præsidia proponantur. In febre quartana intermittente præcipit Galenus, ægros initio blandè tractare & nec forte medicamentum, nec evacuationem exhibere, nisi forte sanguis superabundans appareat,ut si venæ sint turgidæ, multo crasso sanguine redundantes, & suppressa sit aliqua consueta sanguinis evacuatio per uterum, hæmorrhoides &c. Si vires ætasque consentiant, die ante paroxismum evacuatis prius communibus excrementis, secetur communiter vena interna sinistri brachij, aut si viribus metuimus, salvatella sive splenetica, inter digitum annularem & auricularem sita, præcipuè si lien afficiatur; sin jecur, ut monet Aëtius, satius est, basilicam dextri lateris. Quidam primùm venam interiorem brachij secant, deindè in novilunio salvatellam. Aperiatur vena satis amplo foramine, & si sanguis crassus niger sit, pro virium ratione sinatur sufficienter fluere; si tenuis & rubicundus, sistatur statim. In mulieribus, quibus supprimuntur menstrua, secatur vena tali, & hæ aliæque consuetæ evacuationes revocentur, præcipuè consuetus fluxus hæmorrhoidũ admota hirudine &c. nam nil melancholicum sanguinem effica-

Phlebotomia.

ciùs evacuat. Galenus alijque præstantissimi medici in principio phlebotomiam permittunt. Rondeletius cum Avicenna nō ante mediū augmenti; attenuatâ materiâ crassâ. Verùm si materia peccans minùs crassa sit, licet initio venam tutò secare, evacuatis priùs cōmunibus excrementis: si valde crassa crudaq; sit, satius est prius attenuare & cōcoquere, postea si necessitas sit phlebotomię, venam aperire. Vbi nulla sunt signa redundantis sanguinis, vena ne secetur, quia peccantem humorem refrigeraret, morbumq; produceret. Si propter virium debilitatē venam secare non licet, redundantia sanguinis evacuari poterit per cucurbitulas cum scarificatione, sed felicissimè per hæmorrhoides admota hirudine &c. Ante phlebotomiam, aut in progressu si alvus non respondeat, clysteribus potissimū, vel alijs lenientibus excitetur. Clysteres initio sint leniores, fere ut in tertiana spuria, pòst acriores, veluti

Alvum lenientia.

℞ *mercurialis,*
betæ,
malvæ ana m s.
veronicæ,
summ: anethi,
flor: camomillin:
meliloti ana m s.
sem: anisi ʒ ij.
fol: senæ Alex: ℥ s.

furfuris

furfuris macri m s.
coquantur in aqua s.q. in Colaturæ ℥ xv. *dissolve cassiæ extr: pro clyst: mellis, violarum ana* ℥ j.
olei communis vel anethini ℥ iij.
salis ʒ j s.
f. Enema: addi poterit *confect: hamech* ʒ iij.

Clysteres in hoc affectu valde conducunt, quia alia lenientia crassos humores magis perturbant, quàm educunt. Datur tamen initio *vel cassiæ extr: vel Elect: lenitivi* ℥ j. *cum saccharo in forma boli, vel dissoluta in seri lactis vel decocti communis* ℥ iij s. *& mellis violarum* ℥ j. *pro haustu.*

Si phlebotomiæ necessitas sit, post venæ sectionem statim non convenit medicamentum electivè purgans exhibere, sed præmissa præparatione, & apparentibus signis manifestis concoctionis, nisi materia peccās multa fuerit, cum aliquibus sed minus manifestis signis concoctionis; tum licet *vel Elect: lenitivi, vel diasenæ lenitivæ* ℥ j. *in forma vel boli cum saccharo & pul: epithymi* ʒ j s. *exhibere, aut dissolvere in decocti flor: & fruct: in quo ebullierint fol: senæ* ʒ ij.

vel ℞ *rad: polipodij quer:* ℥ s.
glycirrizæ,
scorzoneræ ana ʒ ij.
sem: anisi ʒ j.
fol: ceterach.
capill: ven:

fuma-

fumariæ,
lupulorum ana m s.
flor: buglos:
borrag:
viol: ana P j.
passul: enucl: ℥ s.
prunor: damasc: num: iiij.
coquantur in aquæ s. q. addendo sub finem fol: senæ ʒ iij. *vel* ℥ s. *in Colaturæ* ℥ iiij. *dissolvatur vel mannæ Calab:* ℥ j s. *vel cassiæ extr: vel diasenæ lax:* ℥ j. *vel syr: infusionis violarum* ℥ ij. *f. haustus.*

Validiora ante signa concoctionis manifesta, nisi æger natura sit robustus, & lenioribus non moveatur, minimè conveniunt. Dantur ista evacuantia die intermissionis, pridiè ante futuram accessionem. Ad concoctionem humorum, præparantia initio leniora sint, minusque calida & attenuantia, ut syr: borrag: buglos: violar: de pomis, fumariæ simplicis, lupulorum, syr: acetosus. Deinde oxymel simplex, syr: de melissa, de fumaria compositus, hinc de Bizantijs, de Epithymo, oxysacchara composita, de quinque radicibus, oxymel diureticum, scilliticum &c. in aquis aut decocto borrag buglos: fumariæ, capill: ven: deindè cuscutæ, absinthij, pulegij, chamædryos, centaurij min: carduib: rad: quinque aperit: &c. Addenda semper quæ viscus affectum respiciunt, ut Cort: cappar: tamarisci, fol: ceterach &c. si

Præparantia.

jecur, agrimonia, cichoreum &c. Veluti initio lenita alvo

℞ *ſyr: de ſucco borrag:*
fumariæ,
ſyr: acetoſi ſimpl: ana ℥ j.
aquæ bugloſ:
borrag:
fumariæ ana ℥ iij.

miſce, aromatizetur cinnamomo leviterquè una bulliant: f. julep. Deindè incipiente concoctione præmiſſa leni evacuatione

℞ *ſyr. de fumaria,*
de Bizantijs
oxyſacchara compoſita ana ℥ j.
aquæ fumariæ,
abſinthij,
fœniculi ana ℥ ij.

miſce f. julep. Apparentibus ſignis manifeſtis concoctionis validiora tutò exhibentur

℞ *ſyr: de epithymo,*
de quinq; radicibus,
de Bizantijs ana ℥ j.

diſſolvantur in decocti rad: quinq; aperit: cort: cappar: tamariſci, herb: capillarium, cuſcutæ, abſinthij, chamepit: cicerum rubr: & ſimilium ℔ j.
f. Apozema.

Interſerenda ſunt præparantibus purgantia, primùm leniora, tandem, apparentibus ſignis manifeſtis concoctionis, valida

℞ *Elect: lenitivi vel diacath:* ℥ ſ. *Purgantia.*
confect: hamech ʒ iij.

diſſol-

dissolvantur in decocti aperitivi communis ℥ iiij.
f. haustus. Vel
℞ *rad: polyp: querc:* ℥ vj.
fæniculi,
borrag:
cort: rad: cappar:
tamarisci ana ℥ s.
sem: anisi,
apij,
melonum ana ʒ j s.
fol: ceterach,
capill: ven:
fumariæ,
agrimoniæ ana m s.
cuscutæ,
absinthij,
centaurij min:
flor: buglos:
anthos,
viol: ana P j.
passul enucl: ʒ vj.
cicerum rubr: P j.
concisa coquantur in aqua s.q. In colaturæ ℥ x *infundantur & bulliant leviter fol: senæ Alex: sine*
stip: ʒ vij.
epithymi ʒ ij.
rhabarbari ℈ iiij.
cinnamomi ʒ s.
colentur cum expressione, ejusq; dimidiam partem sumat. Pro robustioribus addi poterit
erit

erit in hac infusione *rad: hellebori nigri præp:* ℥ j s.
vel confect: hamech ℥ iij. Ad purgandum melancholicum humorem laudantur *pill: de lapide lazuli vel Indarum* ʒ j.
vel ℞ *massæ pil: aggreg:* ʒ j.
extr: hellebori nigri descript: Querc. gr. xv. *f. pil.* v.
vel ℞ *extr. hellebori nigri* ʒ s.
diasenæ laxat. ʒ vj.
dissolvantur in decocti aperitivi comm. ℥ iiij.
f. haustus.

Quidam in hoc affectu ad hieras magnas ascendunt, ut hieram Logadij &c. Probantur in hac febre vomitoria, si humor sursum moveatur, sed ad materiæ magis antecedentis, quã continentis evacuationem. Nam ex Hipp. 9. *Aph.* 4. melancholici per inferiora sunt purgandi præcipuè. Quare si nauseat æger, facileq; vomat, detur initio paroxismi *aquæ hordei* ℥ v. *cum syr. acetosi* ℥ j s. *vel decocti sem. raphani & anethi* ℥ v. *cum oxymelitis simpl.* ℥ j. *squillitici* ℥ s. *Vomitoria.*

In progressu uti poterunt vomitorio ex asaro vel decocto gratiolæ ut suprà. Veteres veratro albo ex radiculis usi sunt, & aliqui recentiorum ejus diluto in vino malvatico, sed non sine ingenti periculo. Tutius paulò in naturis robustis apparentibus signis concoctionis datur stibium cristallinum: Quidam stibij cristallini grana quatu-

quatuor aut quinque in conserva rosarum aut buglossæ exhibent sed minori periculo dilutum

℞ *pulveris stibij cristallini gr:* ix. *aut* x. *infunde in vini albi aromatici* ℥ iij. *per noctem, mane Colaturæ admisce mellis vel syr: infusionis violarum* ℥ j s. *f. haustus.* Dantur hæc ante cibum, si æger facile vomat, alioqui post cibum, quidam non infelici successu, præparato prius corpore, ante paroxismum, imo nonnulli non sine ratione ipso die paroxismi purgantia per alvum exhibent, quinq; horis ante accessionem, si vires satis robustæ sint, & signa concoctionis manifesta appareant, quod melancholia quæ ad motum inepta est, in paroxismo à medicamento commota facilius vi naturæ expurgetur. In statu morbi à purgantibus præcipuè est abstinendum, & naturæ conatus observandus. Quia vero morbus hic diuturnus est, & ægri cum multis medicamentis assumptis non curati, medico non obtemperant, nec fidem adhibent, interdum continuo medicamentorũ usu vires offenduntur, ideo à medicamentis per intervalla abstinendum est, deindè alia præsidiorum genera tentanda. Nam ut melancholia, teste Aretæo, cedit cedentibus medicis, ita etiam quartana. A principio

Confortantia ferè morbi danda sunt, quæ viscera confortant, concoctiones juvant, humorem melancho-

ancholicum alterant, initio magis tempe-
rata, deinde ſenſim calidiora, magiſque di-
gerentia, ut initio Tabulæ diarrhod: Abb:
Aromatici roſati, Diamargarit: &c: vel opi-
ata ex harum ſpeciebus cum conſ: bugloſ:
borrag: violarum, anthos: hinc Dianthos,
Diamoſchum dulce, diaxyloaloes, lætifi-
cans Galeni & Rhaſis, Confectio alker-
mes: Poſtremo diaſpoliticum, diagalan-
ga, diatrionpipereon, Theriaca, Mithri-
datium, Aurea Alex: Ad viſcerum corrobo-
rationem & obſtructiones tollendas com-
mendantur troch: de abſinthio & de roſis; ſi
jecur ſit affectum troch: de Eupatorio; ſi li-
en, de Capparibus; ſi ſuſpicio ſit hydropis,
dialacca, diacurcuma &c.

℞ *troch: de abſinthio,*
de eupatorio,
de capparibus ana ℥ j.
Extr: rad: gentianæ,
centaurij min: ana ℈ j.
cum ſyr: de Bizantijs f. pilulæ xviij. *deau-rentur,*

dentur tres quolibet mane niſi die acceſſio-
nis, deinde bibat hauſtum hujus apozema-
tis tepide

℞ *rad: quinq; aperit:*
cort: cappar:
tamariſci ana ℥ ß.
ſem: aniſi,

apij,
melonum ana ʒ j.
fol. ceterach,
agrimoniæ,
cuscutæ,
chamædryos ana m s.
absinthij,
carduiben.
flor. bugloss.
borrag. ana P j.
passul. mundat. ℥ vj.
cicerum rubr. m s.
fiat decoctio in aqua s. q. in Colatura ℔. j.
dissolve syr. de quinq; radicibus,
de epithymo,
de Bizantijs ana ℥ j.
fiat apozema. Aromatizetur spec. dianthos & lætif. ana ℈ j.

Hæc viscera confortant, simul urinas movent, & obstructiones aperiunt. Vrinæ & sudores utilissimè movētur in fine status, purgato prius corpore. Ad sudores simul & urinas movendas servit decoctum ligni sancti, rad: chinæ &c. ut in præcedente capite; efficacissimè decoctū rad: sarsæparillæ. Quidem sarsæparillę ℥ iiij. vel v. in aquæ purę ferventis ℔. xv. aut xvj. infundunt, deinde lento igne coquunt, addendo primū fol: senæ, deinde epithymi ana ℥ s. hermodactylorum ℥ ij. & colaturam pro potu in prandio & cæna

Sudorifera.

cæna exhibēt; alij ſine purgantibus in aqua coquunt vel per ſe, vel cum cort: rad: capparum, tamariſci, glycirrizæ, ſem: aniſi, fol: ceterach, carduib: cinnamomo, paſſulis &c. deinde colaturæ propinant tepidæ ℥ v. vel vj. Ex fecibus ſecundam aut tertiam decoctionem pro potu in prandio & cæna parant. Ejuſmodi decoctum propinant ſæpe ad 20. diem & ultra. Sed interim in victu accurata ratio habenda eſt, utantur in prandio carnibus boni ſucci, ut pulli, gallinarum, vituli, cum modico pane; in cæna ſolis paſſulis, amygdalis, cum modico pane. Si paroxiſmus matutinis horis invaſerit, differatur cibus in veſperam, aut declinationis finem. Exhibentur circa declinationem, præmiſſa purgatione, una aut altera hora ante paroxiſmum Theriaca ad ʒ j. in decocti chamædrios vel agrimoniæ ex vino vel aqua fæniculi ℥ j s. Vel cum Conſerv: borrag: ʒ ij. Item ſucci abſinthij vel apij defecati ℥ j. cum Mithridatij ʒ s. Galenus *libro de Theriaca ad Piſon:* die ante paroxiſmum à cibo vomitorium exhibet, poſtridie mane dilutum abſinthij, & duabus horis ante paroxiſmum Theriacam. Aliqui Theriacæ ℈ ij. & myrrhæ ℈ j. ex vino albo propinant. Aetius commendat pilulas factas ex ſucci cyrenaici, myrrhæ, piperis, rutæ ana, cū melle. Item pul: piperis & myrrhæ ex aqua. Avicenna *Expulſiva.*

Ff 2 Troch:

Troch. contra quartanam ʒj. Donatus ex Aëtio commendat præ cæteris castorei & myrrhæ ana ʒs. tribus horis ante accessionem, & instante paroxismo haustum vini albi diluti aqua buglossæ. Quercetanus in hoc affectu & obstructionibus viscerum hujus pulveris cholear. præbet

℞ *rad: Aronis præp:*
acori vulgaris,
pimpinellæ præp:
oculorum cancri calcinat:
sem: nasturtij ana partes æquales,
sacchari q.s. fiat pulvis subtilis,

Quidam infundunt garyophyllorum ʒij. vel iij. in spiritus vini rectificati ℔. s. per horas 24. pòst colaturæ ℥s. cum vini albi ℥j. exhibent, ante paroxismum horis quinque, residentiam post colaturam oleo anethino miscent, eoque instante paroxismo spinam inungunt. Crato decoctum clinipodij Matthioli ex vino laudat. Probantur, ut in alijs febribus, à frigida materia potissimũ, aqua, decoctum, pulvis, extractum & sal cardui benedicti, absinthij, centaurij min: gentianæ; Item rad. gentianæ vel imperatoriæ ʒj ex vino; ac pulveres, aliaque nonnulla proposita suprà capite *de Curatione putridarum in genere.* Hæc & similia in quartana exquisita ac etiam notha, ex melancholia pituitosa post purgationes, apparentibus signis manifestis

festis concoctionis, conferunt, alioqui nocent, sæpe morbum ingeminant, aliquando plane incurabilem reddunt. Huc referuntur nonnulla merè empirica, à Dioscoride alijsq; commendata, ad febrem hanc sanandam, ut quatuor radices plantaginis tritas ex vino albo exhibere, sicut tres in Tertiana: Similiter verbenacæ rectæ quartum à terra geniculum, Item pentaphylli folia tria in tertiana, quatuor in quartana ex aqua vel vino albo diluto, cum modico piperis: Præterea pulverem cordis leporis præparati ad formam pulmonum vulpis in tres partes dividere, & unam semper ante singulos paroxismos ex vino albo propinare &c. Extrinsecus ante paroxismum fricetur primum totum corpus, sed pedes peculiariter cum aceto & sale, spina & interdum brachia ungantur initio oleo camomillino & anethino, procedendo ad oleum Irinum, Costinū, de Castoreo, de piperibus &c. cum modico aquæ vitæ. Commendatur oleum anethinum, coctum in pomo colocinthidis excavato. Guainerius *pomo colocinthidis excavato imponit*

Empirica.

Topica.

piperis,
pirethri ana ℥j.
euphorbij ℈j.
hinc oleo anethino implet & super prunas coquit ad consumptionem bonæ partis olei,

tandẽ oleo expreſſo totam ſpinam inungit:

Vel ℞ *olei ſcorpionum* ℥ j s.
ſucci rutæ ʒ vj.
vini malvatici aut aquæ vitæ ℥ j.
coquantur ad ſucci conſumptionem, deinde addita cera, f. unguentum.

Vel ℞ *olei coſtini,*
laurini ana ʒ vj.
de Caſtoreo ℥ s.
aquæ vitæ ʒ vj.

miſce, talibus una hora ante paroxiſmum, ſpina, interdũ brachia ad ignem ungantur, deinde æger in lectum calidum deferatur, & lateres calentes vino perfuſi odorifero linteis involuti plantis pedum voliſq; manuum admoveantur. Quidam initio paroxiſmi petiam intinctam aquæ vitæ ventriculo imponunt. In quartana balnea à multis cõmendatur die intermiſſionis mane, depoſitis alvi excrementis, prȩſcribuntur balnea & ante concoctionem & poſt: Ante concoctionem balneum aquæ dulcis tepidæ, ſine ullo ſudore ad humectandum & emolliendum humorem melancholicum, ipſumque corpus contemperandum. Poſt concoctionem in declinatione ad ſudores eliciendos balneum digerens, ex decocto origani, calaminthæ, fol: lauri, Sum: anethi, flor: camomillin: &c. ſedeantque primum contecti ſuper decoctionem excipiendo vaporem, & ubi

& ubi aliquantulum ſudarint in lectum ca-
dum deferantur, & detur theriacæ ℥j. ex
ino aromatico. Si febris viſceris alicujus
ffectu foveatur, præcipue lienis, aliquando
coris vel ventriculi, ei parti topica accom-
nodata admovere decet, ferè, ut in calce *de
uratione tertianæ nothæ*; veluti ſi lien intu-
neſcat, foveatur primùm eodem aut ſimi-
i decócto; Deindè ungatur linimento
bidem præſcripto, aut ſimili; Tandem im-
onatur Emplaſtrum vel Diachylum Irea-
um malaxatum oleo capparum, vel ex
ummi ammoniaci diſſoluti aceto &c. ſimi-
iter jecori & ventriculo conſulendum eſt.
Atq; hoc modo curatur quartana exquiſita
ntermittens potiſſimum; In cæteris ſpeci-
bus quartanæ diſcrepantia quædam eſt.

Ac primùm quartana continua, quæ fe- *Curatio quartanæ cõtinua.*
rium ferè rariſſima eſt, quia ex melancho-
ia alimentaria putreſcente intra venas
generatur, raro exquiſita eſt, ob aliorum
uccorum admixtionem. Curatur fere
jſdem præſidijs, quibus intermittens, ſed
diligentius multò magiſq; accurata ratione,
quòd materia peccans intra venas conten-
a virtutem premat, & febris ipſa ægrum
nterdum ad hecticam, plerumque ad mor-
em deducat. Igitur parciùs calefacere &
ttenuare hic oportet, plus humectare, re-
icere, & confortare, præcipuè ſi cum me-

lancholia putreſcat bilis aut ſanguis intra venas, ſimiliter mitioribus purgare. Quando phlebotomiæ neceſſitas eſt, initiò adminiſtretur, evacuatis prius communibus excrementis clyſtere leniente &c. Deindè præparetur humor peccans mitioribus, quæ initio fervorem magis contemperant, & putredinem ſiſtunt, ut ſyr: violarum, bugloſſæ, borraginis: ſi una putreſcat bilis flava, oxyſacchara, ſyr: de endivia, acetoſ: ſimpl: acetoſit: citri. Hinc procedendū ad ſyr: de fumaria, lupulorum: Tandem ubi calor deferbuerit, ad ſyr: de ſcolopendria, fumariæ compoſ: de epithymo &c. Ante ſigna concoctionis manifeſta & priuſquam calor nonnihil deferbuerit, lenientia tantùm conveniunt, præcipuè clyſteres, pòſt elective purgantia, ſed minus valida, ut dilutum fol. ſenæ &c. ut ſuprà. Quod ſi vires debiles fuerint, conſultum eſt epicraſi uti. Nam virium ratio hic præcipuè habenda eſt, dandaq; ſunt, quę viſcera confortant, vireſq; roborāt ut initio Diamargarit: Diarrhod: Abb: hinc lætificans, de gemmis &c. aut opiata ex conſerva violarum, bugloſſæ, borraginis, cum ſpeciebus Diamargariti, Elect: de gemmis &c. In fine Confectio Alkermes, cum conſerva bugloſſæ, & violarum, interdum Theriaca &c. In declinatione morbi ſudores conferunt. Balnea hic probantur in aſſuetis po-

tis po-

is potissimùm idq́; ante concoctionem scilicet, aquæ dulcis tepidæ sine sudore, ad humorem melancholicum totumq́ue corpus humectandum & calorem contemperandũ, præcipuè si hecticæ metus sit, sed in balneo isto parvo tempore morentur.

Curatio quartana nothæ.

Quartana spuria ex melancholia adusta per bilis flavæ, aut melancholiæ naturalis, aut sanguinis, aut pituitæ adustionem; sive melancholia biliosa, sanguinea, pituitosa, nonnihil diversam à quartana exquisita curationem admittit, maximè quæ â melancholia biliosa, aut melancholia per adustionem bilis flavæ, aut melancholiæ naturalis oritur. Nam humor iste quia acris calidusque est & plerumq́; aliqua malignitate præditus, curari debet magis frigidis humidis, fere ut in tertiana spuria ex bile permixta melancholia, quæ putredinem sistunt, & malignitatem omnem temperant. Initio alvus clystere leniente aut bolo ex cassia &c. leniatur, si sanguinis sit redundantia, ardorq́ue circa jecur, basilica secetur, sed parum sanguinis detrahatur, ne bilis effervescat. Ad digestionem initio

1. à melancholia biliosa

℞ *syr: violarum* ℥ ij.
syr: acetosi simpl: vel de endivia simpl: vel oxysacc: simpl: ℥ j.
aquæ borraginis,
endiviæ,

fumaria ana ℥ ij.

misceantur, aromatizentur pul: santali citrini, utendum prioribus diebus; hinc procedendum ad syr: de Buglos: de pomis dulc: de fumaria simpl: lupulorum &c. Tandem ubi calor deferbuerit ad syr: de fumaria compos: de Epithymo &c. Veluti si deferbuerit calor, & manifesta signa concoctionis appareant

℞ *syr: de Epithymo ℥ ij,*
de Bizantijs aut scolopend: ℥ j.
Aqua fumaria,
buglossa,
carduiben: ana ℥ ij.
misce, aromatizetur spec: latifi: Gal:

Si signa manifesta concoctionis appareant, & calor jam deferbuerit, consultum est, catharticis uti

℞ *fol: sena Alex: sine stip: ℥* s.
epithymi Cr: rhabar: electi ana ℨ j.
scananthi gr: iiij,
sem: anisi ℨ j.
flor: viol: P j.

infundatur seri lactis caprini ℥ v. *vel aqua fumaria, addito modico vini albi, deinde leviter bulliant, Colatura expressa admisce syr: infusionis violar: ℥* j s. vel

℞ *fumaria,*
endivia,
Summ: lupul:
capill: ven: ana m s.

flor:

flor: borraginis,
buglos:
violar: ana P j.
sem: anisi ʒ j.
passul: enucleat: ℥ s.
prunorum sebesten num: v.
*oquantur in s. q. seri lactis caprini, si haberi que-
t vel aqua pura: in colatura* ℥ vj. *infunde cort:
yrobal: Indorum & citrinorum ana* ʒ ij.
fol: senæ Alex: ʒ iij.
Epithymi,
rhabar: electi ana ʒ j.
spicæ gr: iij.
*ost leviter bulliant, Colatura expressæ misce syr:
e Epithymo vel de fumaria composita, vel de po-
is Saporis* ℥ j. *fiat haustus* sumendus mane
ridie ante paroxismũ. Ad fortiora, ut Conf:
Hamech, pilulas de fumaria, Indas &c. pro-
edere non licet, nisi vires robustæ sint, &
netus non sit, ne bilis atra magis concite-
ur, quàm expurgetur. Habenda in hac fe-
re non minùs, quàm in continua fere, viri-
m ratio, ac etiam symptomatum urgentiũ,
t sitis, vigiliarum, delirij &c. Ad viscerum
onfortationẽ serviunt eadem, quæ in quar-
ana continua, veluti
℞ *conservæ viol:*
buglos:
borrag. ana ʒ vj.
spec: diamargar: frig: ʒ s.

diar-

diarrhod: Abb:
lætif: Gal:ana ℈ ij.
Elect: de gemmis ℈ j.
solut: margarit: & coraller:ana ℈ s.
cum syr: buglos: & de pomis dulcibus ana q.s.
fiat conditum.

Post purgationes, apparentibus signis concoctionis, dantur Theriacæ aut Mithridatij ℈ ij. ex aqua buglos: & ros: aut earum conservis, sensimque ægri ad sudores deducantur in declinatione morbi: in quem usum serviunt balnea sicca aut digerentia. Verum ante concoctionem confert hic plurimum balneum aquæ dulcis ad corpus humectandum, humoresque adustos concoquendos.

II à melancholia cum sanguine.

Similis ferè curandi ratio est in quartana à melancholia sanguinea, sive per sanguinis adustionem. Verùm victus ratio omniaque medicamenta ad paulò majorem caliditatem & humiditatem inclinare debent, & purgantia minus valida hic conveniunt, quæ sanguinem ab adustis humoribus mundant, & humores non exagitant ut Cassiæ, vel Elect. lenitivi ℥ j. vel mannæ ℥ j s. in seri lactis ℥ iiij. vel tantundem decocti flor: & fructuu fumariæ, capill: ven: Sum: lupulorũ &c. Serviunt & hîc diluta fol: senę & rhabarbari suprà proposita pro robustioribus, pro debiliorib. verò purgãtia in minori dosi sumantur,

mantur, idq; post humorum præparationẽ, apparentibus signis concoctionis. Præterea si vires ferant, phlebotomiæ hic plerumq; major necessitas est, quàm in ulla alia quartanæ specie. In cæteris ferè omnibus absolvitur curatio, ut in quartana à melancholia adusta, per bilis flavæ aut melancholiæ adustionem. Habendaque in his omnibus est ratio jecoris, quod plerumque afficitur, interdum calore æstuat, & confortetur Tabulis Diatrionsant: diarrhod: Abb: &c.

III. Qartanæ à melancholia pituitosa curatio.

Quartana à melancholia pituitosa vel pituita adusta, curatur ferè, ut quotidiana ex pituita permixta melancholia. Nam victus ratio & medicamenta ad caliditatem non minus inclinare debent, quàm in quartana exquisita, sed minus multò ad humiditatem, quare carnes agninæ, porcelli, pisces ferè omnes, malva, lactuca &c. hic vitanda sunt. Phlebotomiæ necessitas rarò aut nunquam est in hac f-bre. Digerentia omnia facultate incidendi, attenuãdi prædita esse debẽt: initio oxymel simpl: syr capill: ven: &c. procedendo ad syr. de Bizantijs, de epithymo, corticum citri, syr. de quinque radicibus, oxymel diureticum, scilliticum Gesneri, aut Iuliani. Apparentibus signis concoctionis purgentur ijs, quæ cum melancholia pituitam ducunt. In hoc casu confert jus galli veteris descriptũ in capite præcedente,

Item

Item vomitorium post cibum pridie ante paroxismum. Apparentibus signis concoctionis Theriaca Mithridatium, aliaque suprà proposita in curatione quartanæ exquisitæ. Quartana duplex aut triplex curatur iisdem quibus simplex, sed magis accurata ratione, fere ut in continua quartana.

II. Curatio quintanæ sextanæ &c.

Erraticæ febres, quæ plerumque in quartanas transeunt, ut quartana curantur. Febres quintanæ, sextanæ &c. si accidant non aliter quam quartana curantur: Nonnulli omnes ut febres à melancholia pituitosa curant. Verùm quintanæ quia periculosissimæ, & ante tabem aut tabidis supervenientes lethales, magis refrigerantia & humectantia exigunt: ac curari debent, ut continua quartana aut intermittens quartana ab adusta bile flava vel melancholia &c.

Empirica.

Ad sanandam quartanam commendantur nonnulla, quæ corpori admoventur aut appendũtur. Nam quartanam sanare scribit Dioscorides vermiculos in capitulo Dipsaci repertos & in aluta clausos, collo brachioque appensos. Alexander scarabæum vivum fulvo linteo alligatum colloque suspensum: aut lacertam viridem appensam: aut pilos ex genis hirci extractos & alligatos: aut araneam vivam nuce inclusam & appensam, donec moriatur. Similiter sanguinem primum à virgine excretum brachiali dextræ manus alligatum &c.

rum &c. quorum nonnulla ſuperſtitionem liquam redolent, licet ſine periculo admoveri queant. Recentiores probant Anſerinam tritam cum aceto & ſale carpis alligatum, aliaq́; in præcedentibus capitibus propoſita. Rondoletius fol: ſambuci, ſalviæ, pedis columbini, rutæ, ana m s. calthæ P j. trita cum modico ſalis & vini carpis alligat ante acceſſionem, apparentibus ſignis concoctionis. Hactenus de natura & curatione febrium ſimplicium, quæ fiunt à ſingulis humoribus putreſcentibus, ac etiam cõpoſitarum putridarum ex ſpeciebus ejuſdẽ generis. Supereſt, ut priuſquam ad peſtis conſiderationem veniamus, de ſemitertiana præcipua graviſſimaque febrium compoſitarum, quæ ex ſpeciebus diverſorum generum componuntur, dicamus. Ac tandem de febribus nonnullis ſymptomaticis, aut quæ cum ſymptomaticis complicantur.

DE SEMITERTIANA

CAPUT XIII.

ΗΜιτριταῖος latinis *ſemitertiana* medicis propriè eſt *febris ex tertiana & quotidiana compoſita*, quod nomen improprium videtur, cum dimidij appellatio ijs tribuatur, quæ integram non ſunt conſequuta abſolutionem. At ſemitertiana, ut à medicis propriè accipitur, non eſt tertianæ febris dimidium, cum *Nomen.*

multò gravior sit, & duplo deteriora habeat accidentia; nec tertiana producta, sed febris dimidio sui tertiana, aut ex tertiana intermittente & quotidiana continua composita. Atque eo modo semitertiana dicitur, quo modo mulus appellari solet semiasinus, quòd ad ejus generationem pro una parte asinus, pro altera equus concurrant. Attamen Galen. *cap. 4. lib. de Typis*, omnem cujusque quotidianæ & tertianæ mistionem semitertianam lata significatione appellat, ac semitertianam non solùm continuam sed etiam intermittentem esse dicit. Intermittentium autem unam parvam, quæ 24. horis vertitur, secundam mediam, quæ circa 36. tertiam magnam continuæ proximam, quæ circa 48. horas. Verum hæ intermittentes improprie sunt semitertianæ. Arabes omnem febrem continuam ex dimidia tertianam, semitertianam appellant: ejusque tres species statuunt, quarum prima est semitertiana verè proprieque dicta, ex quotidiana continua & tertiana intermittente; cæteræ impropriè, una ex tertiana continua & quotidiana intermittente: altera ex tertiana continua cum quartana intermittente; vel quartana continua cũ tertiana intermittente. Nos de semitertiana propriè dicta nunc tantũ dicemus. Hæc quia teste Hipp. & Gal. *in 1. Epid.* est febris continua horrifica, cum

Differentia.

Semitertiana proprie dicta

ca, cum multis reduplicationibus, ideò non erit ex duabus intermittentibus, ita ad infebricitationem deveniret & continua non esset: nec ex duabus continuis quia horrifica non esset; sed proprie ex tertiana intermittente & quotidiana continua. Proinde semitertiana exquisita definiri poterit *febris continua horrifica cum multis reduplicationibus valde periculosa composita ex tertiana intermittente & quotidiana continua, sive orta à bile flava extra, pituita intra venas putrescente.* Quotidiana enim continuitatem dat & accessiones quotidie sine ullo horrore, sine cutis concussione, tantùm cum leni frigore extremorum: Tertiana Intermittens paroxismos tertio die, cujus tamen rigor, ob quotidianam supervenientem, in horrorem degenerat, quòd vis flavæ bilis remittatur à pituita. Horrida autem est febris ista, non solùm initio accessionis, sed etiam in toto illo hemitritæi paroxismo, & præcipuè initio & augmento, coëuntibus in unum duabus accessionibus, atque etiam cum multis reduplicationibus, quæ nil aliud sunt, quàm motus horrifici inæquales, in eadem accessione certis intervallis recurrentes, & propriè majoribus intervallis, ob mutuam pugnam duarum febrium, si æquales fuerint, quod tertiana invalescens à quotidiana tardetur, & nonnun-

quam in ascensu retineatur aut interrumpatur, in qua pugna si humor frigidus superaverit, sequuntur horrores extremorumq́, refrigerationes, ita ut rursus nova videatur accessio, deinde vincente bile corpus calefit, & febris ad vigorē tendere videtur, cum rursus redeunte ad pituitam victoria, denuo refrigerentur horreantque, duratque ista pugna, donec febris ad vigorem pervenerit: Secundo die, quo quotidiana sola regnat, nullus horror est, sed semper tertio, quo tempore sæpe accessio deterior redit, quòd in priori paroxismo delassata sit virtus. Semitertiana proprie dicta vel exquisita est, priùs descripta, ubi æqualis duorum humorum putrescentium copia; altera notha. Hæc duplex est, vel enim bilem habet exuperantem, & ob id majora tertianæ intermittentis symptomata: vel pituitam abundantiorem, & idcirco pituitæ effectus evidentiores. Præterea modus generationis semitertianarum est vel ambabus tertianæ & quotidianæ accessionibus invicem confusis, eodemque tempore incipientibus: vel non confusis, sed diversis horis plerumque recurrentibus, interdum in unum tempus coëuntibus, quia una antevertit, altera tardatur. Hæc unam habet genuinam naturæ hemitritæi accessionem, id est, confusam ex duabus: illa omnes à princi-

Semitertiana exquisita notha.

Differentia à modo generationis.

principio ad finem quæ maxime semitertiana à Galeno appellatur. Causa immediata hemitritæi est pituita intra, bilis extra venas putrescens. Coacervatur uterque humor in corpore ab inæqualibus & contrarijs causis, ut tertiana notha maximè in viris, autumno, si primum in ocio & delicijs degant & alimentis pituitosis utantur, deinde plurimum exercitentur, & victu bilioso utantur: sæpe ijs accidit, qui tertiana valde producta aut tabe laborant; Item naturis ætate aut morbo diuturno debilitatis; frequensque est in locis illis, ubi cœlum calidius est, cum adventitia humiditate, ut Romæ & in littore Africæ. Symptomata hujus febris sunt multa maximaque; nam præter motus horrificos inæquales &c. non solum ventriculum, nervosas partes, & media corporis attingit, sed etiam sopores veternosos, attonitasq; passiones, aut vigilias cũ delirio, deliquia animi infert, linguam valide exsiccat, profunda corporis cõmovet fero & periculosissimo typo. Dignoscitur ista febris ex supra dictis, quod continua sit simul & horrida, cum multis reduplicationibus, maximisq; symptomatib. Nã accessio hemitritæi diebus imparibus invadit, cum horrore, magnisq; symptomatib⁹; paribus vero sine horrore, & tantùm cũ aliquo frigore extremorũ; Itaq; semitertianæ uno die leviores sunt,

Causa semitertiana.

Symptomata.

Signa.

altero graviores, semperque ferè sequens accessio horrida priore longior deteriorq; est, quòd virtus priore jam defatigata sit. Sudores in hac febre mali plerumque sunt, idque vel ob crudorum humorum copiam, vel virium debilitatem : Pulsus inæqualis, frequens : Vrinæ crudæ, decolores, tenues sunt, interdum turbidæ, & nullo cum sedimento aut malo; dolor gravitasque capitis, sopor, aliaque supra enumerata superveniunt.

Signa differentiarum.

Vbi semitertiana est exquisita, & utriusque humoris par modus & insultus, cum modico horrore medio inter rigorem & frigefactionem invadit, & multis reduplicationibus, cum tertiana præpollet, horror vehementior est, & in progressu accessionis aliquid rigoris assumit, statimque febris ad summum festinat, cum calore ardenti, siti, vigilijs, biliosis vomitibus, dejectionibus, alijsque biliosæ febris indicijs. Sin febris pituitosa superet, horrores exigui sunt, & magis frigus vehemens extraneas partes occupat, accessiones tardius invalescunt, longius durant, sine magno calore & siti, cum sopore alijsque signis proprijs quotidianæ.

Prognostica.

Hæc febris maxime corripit viros, aut qui ætatem florentem proxime accedunt, autumno potissimum, quo tempore maxime periculosa, ubi cælum calidius est cum adventitia humiditate &c. ut suprà. Hemitri-

æus brevior eſt, quàm quotidiana, & longior quàm Tertiana, magiſque longa, quo pituitam abundantiorem habet: Refertur quidem ab Hipp: inter morbos & acutos & diuturnos: ſed acuta eſt, vel quòd citò ad mortem ducat, vel quia finitur citò tertiana, ex qua componitur; relinquitur non ſemitertiana, ſed ſola continua quotidiana, quæ diuturna eſt. Verùm extenditur non ita raro ad menſem; Interdum, teſte Avicenna, ad ſex menſes, eaque longior, quæ alios morbos conſequitur, aut hecticæ ſupervenit, ſed hæc ſemper lethalis eſt. Deindè ſemitertianæ typus in univerſum ferus eſt & periculoſiſſimus; ipſaque ſemitertiana authore Hipp: & Galen: *in 1. Epid. 3. Sect. 5. text.* maximè lethalis eſt, ob morbi & ſymptomatum vehementiam, viriumq; debilitatem. Nam ſtomachum, nervoſas aliaſque partes internas afficit, alta corporis commovet, unde faſtïdia, cardialgiæ, ſopores veternoſi, attonitæ vigiliæ, deliquia animi, corporis colliquatio &c: quæ ſi intendantur, ægrum brevi ad mortem perducunt. Curatio ſemitertianæ mixta eſt ex ea, quæ tertianæ & quotidianæ debetur. In tertiana exquiſita prævalet indicatio à febre: Vnde major neceſſitas eſt refrigerantium humectantium, quam attenuantium, incidentium, aperientium: contrà in quotidiana, peccantem hu-

Curatio.

Indicationes.

more magis attenuare, incidere, detergere, evacuare quàm refrigerare oportet. Quare in semitertiana exquisita, ubi tertiana & quotidiana pares sunt, ex æquo utrique prospiciendum est, præsidijs proprijs tum tertianæ tum quotidianæ, vel invicem mixtis, vel nunc his, nunc illis, vel ijs, quæ medias inter utrumque contrarium vires habent. Vbi semitertiana exquisita nō est, sed altera febris superior, ad eam magis respiciendum erit, altera non neglectâ. Veluti si tertiana sit superior, utendum ijsdem remedijs, quibus in curatione tertianæ nothæ, nisi quòd paulo major pituitæ ratio hìc habenda sit: si quotidiana præpolleat, utendum, quibus in quotidiana notha: si solvatur tertiana, relicta quotidiana, ea simpliciter curetur. Nam si quis simplicium febrium curationem exactè cognoverit, ei facile erit hujus aliarumque compositarum curationem intelligere. Verum semitertiana quia gravissima symptomata habet, viresque valide deijcit, ideo & virium & symptomatum urgentium ratio inprimis habenda est, viresque semper reficiendæ, & symptomata urgentia lenienda sunt. Victus ratio sit temperata, aut ex calidis frigidisque moderata, sed bile dominante ad frigidum humidum nonnihil inclinans: si morbus acutus sit, victus tenuior, si longus, crassior requiritur. Primis tribus

Diæta.

diebus

CAP. XIII.

liebus tenuior, modò multa cruditas ſit in primis venis, pòſt paulò craſſior, hinc ad vigorem tenuior. Cibus & medicamenta danda ſunt hora minoris afflictionis, præcipue diebus paribus, circa quotidianæ declinationem, quo etiam tempore venæ ſectio inſtituatur, ſi phlebotomiæ ſit neceſſitas. Sed prius clyſtere aut alio leniente alvus ſubducatur, & communia excrementa evacuentur. Præparantia humorem peccantem, quæ attenuandi, incidendi, aperiendi vi prædita ſunt, initio debiliora, pòſt validiora conveniunt. Purgantia vero in genere mitiora, quam in ſimplici febre, ob ſymptomata urgentia viriumque debilitatem. Conſultiſſimum ergo eſt, epicraſi uti, & paulatim digerere, vireſque confortare, paulatim iterum evacuare, ad perfectam uſque concoctionem, quo tempore oportunum eſt validioribus uti quæ una cum pituita bilem expurgant. Deindè ijs, quæ urinas & ſudores movent, & ventriculum primum, deinde alia viſcera confortant. Quomodo autem ſymptomata urgentia leniri debeant, infrà, Deo volente, dicemus, nonnihil in ſequentibus capitibus, ubi de febre ſyncopali agemus, ſed propriè in calce hujus operis.

Phlebotomia.

Pharmacia.

DE

DE FEBRIBUS SYNCOpalibus.

CAPUT XIV.

PRæter febres putridas jam explicatas, restant non solum febres pestilentiales, sed etiam symptomaticæ, ac illæ quoque, quæ cum pravis symptomatibus complicantur, ac ab ijsdem symptomatibus denominantur, quæ maximè urgent, maximamque ad se curationis partem trahunt. *Febres symptomaticæ.* Febres symptomaticæ quia consequuntur vel inflammationem internę partis cordi vicinæ, aut latentem putredinem in viscere aliquo, febres propriè non sunt, sed sub nomine peripneumoniæ, pleuritidis, hepatitidis, phrenitidis, inflammationis ventriculi, aut alterius partis affectus continentur: & curantur, curata inflammatione, putredine, & affectu partis. *Febres cum pravis symptomatibus complicatæ.* Febres, quæ cum pravis accidentibus affligunt, & in curatione complicantur, sunt de genere vel febrium putridarum propriè dictarum, vel symptomaticarum, vel utriusque, ob læsionem partis principalis, aut totius corporis. Veluti febres syncopales colliquantes ac cardiacæ ex genere putridarum propriè sunt. Deindè quæ ab Aetio dicuntur Typhodes & crimodes, è genere symptomaticarum: sed lypiriæ à maligno humore interiora deurente,

nte, ex genere ardentium, aut eryſipelate ſceris præcipuè ventriculi è genere ſymtomaticarum &c. Nos hoc loco de febribus ſyncopalibus tantùm dicemus. De Curatione cæterorum pravorum accidentium, quæ febres quaſcunq; conſequuntur, in calce hujus operis agemus. Febres in quibus ægri ſyncopen aut grave animi deliquium ſemel aut initijs acceſſionum rariùs patiuntur, ſyncopales propriè non ſunt, nec ibi ob ſubitam aut magnam evacuationem, inediam, vigilias &c. animo linquuntur: ſed in quibus ſyncope febricitantem ſæpius corripit, & niſi ſubveniatur, extremum periculum minatur. Harum febrium ab Avicenna duo genera ponuntur, unum ex bili tenui, acri, venenata: alterum ex pituita multa, aut crudorum ſuccorum copia. Illa quia fit ab humore pauco, ſed tenui & venenato, *Minuta ſyncopalis* dicitur: Hæc quia à multa crudorum humorum copia *ſyncopalis humoroſa* ſive repletionalis ab eodem vocatur. Syncopalis minuta plerumque continua eſt valdeque pernitioſa, interdum intermittens, utraq; fit à bile tenui & venenata, maximè in juvenibus macilentis, bilioſis, raræ texturæ &c. Nam bilis ſua acrimonia & venenoſitate dum expultricem in toto corpore concitat, & ſua tenuitate dum ocyſſimè per poros cutis una cum ſpiritibus

Febres ſyncopales propriè quid.

Differentia.

Syncopalis minuta.

exhalat, exsoluta virtute vitali per sudores aut insensibilem transspirationem ægrum ad syncopen deducit, præcipuè si vis retentrix debilis poriq́; lati fuerint: quo enim major substantiæ corporis & spirituū dissolutio est, eò syncope major est. Excitari etiam in febribus biliosis syncope solet à bile non ita tenui, sed prava & maligna, ut prasina & æruginosa, os ventriculi ita infestante, ut cor in consensum trahatur; sed hæc species exquisita syncopalis non est, quæ nulla præcedente noxa ventriculi accidere poterit, ob solam dissipationem substantiæ corporis & spirituum. Syncopalis humorosa febris est ex genere quotidianarum, orta à multis crassis crudis humoribus, plerumque cum oris ventriculi debilitate. Humores illi crassi crudiq́; continentur vel in ventriculo primisque venis, vel in toto corpore: Hi si copia vires gravarint, crassitie & multitudine meatus obturarint, transspirationem impedierint, & temperamenti symmetriā alterârint, ad syncopen ægrum deducent. Nam multi crassi humores transspirationem impediunt, & calorem cum spiritibus extinguūt: crudi, quia nutrire non possunt, priusquam concoquantur, spiritus refici non sinunt, nec corporis substantiam. Si humores pituitosi non ita multū vires gravarint, aut transspirationes impedierint, pro syncope leipothymia oritur, affectio multò levior,

Syncopalis humorosa eiusq́; causa.

quæ ſenſu & motu ægrum non privat, ſudoreq́; caret. Nam ſyncope, repentinus omniũ virium lapſus, dormientes & vigilantes invadit, ſemperq́; cũ ſudoribus, qui ſyncoptici dicuntur, ut alibi demonſtravimus. Adjungitur his cauſis magna oris vẽtriculi debilitas, cujus ratione dum inſignem noxam patitur cor, in conſensũ trahitur, & ſyncope cardiaca oritur. Vtraq; febris ſyncopalis facile dignoſcitur ex ſyncope una cum proprijs febris bilioſæ & pituitoſæ ſignis. Veluti in ſyncopali minuta adſunt ſigna redundantiæ & putredinis bilis, ut ingens ardor, ſitis, vigiliæ &c. Deindè quia ob humoris tenuitatẽ corporiſq́; laxitatẽ citò reſolvuntur; itaque brevi tempore facies illis cadaveroſa apparet, nimirũ naſus acutus, oculi concavi, collapſa tempora, ut deſcribit Hipp: *lib. 1. Progn.* Prætereà maximè in ſtatu, ſive tempore majoris reſolutionis ſyncope accidit, caditq́ue pulſus & virtus in uno paroxiſmo, ſæpius in duobus, citoq́; malum intenditur, & ad ſtatum devenit potiſſimum quarto paroxiſmo. Qui febre humoroſa laborant, in acceſſionũ initijs, cũ virtus plurimum gravatur, ſyncopen præcipue patiuntur, ſignaq́; evidentia habent, quæ redundantiã pituitæ & crudorum humorum copiam demonſtrant, qualia ſunt nauſea, vomitus crudorum humorũ, ructus acidi, ventris tormina, inflatio hypochondriorum, color corporis

Signa.

ad albedinem inclinans, ut in anasarca, vel lividus aut niger, labia sunt sicut eorum qui mora comedunt, facies inflatur, totaq; corporis moles intumescit, & dum paroxismus commovetur, oculi fusci, virides valdeque prominentes apparent; Vrinæ tenues, aquosæ, parum tinctæ, divulsæ & conturbatæ sunt; pulsus minores multò, quàm pro caliditatis ratione, obscuriores planeque inæquales: si os ventriculi noxam patiatur, sentiuntur nausea, tormina ventris &c. Febris omnis syncopalis acuta & pernitiosa est, præcipue minuta, quæ ita peracuta plerumq; est ut ægri quartam accessionem non superent, in eaque pereant. Si initio statim, nulla præcedente magna evacuatione, inedia, vigilijs &c. facies cadaverosa appareat, plane perniciosa: Deindè syncopalis, quæ humorosa vocatur, multis de causis periculosa est, quòd ob cruditatem humorum animal non nutriatur, & ob multitudinē & crassitiem suffocetur calor nativus cum spiritibus & temperamenti symmetria corrumpatur. Periclitantur maximè ægri in humorali initio accessionum: In Minuta circa statum, quo tempore major est dissolutio. Semper autem ubi cum febre syncopali visceris alicujus inflammatio complicata est, salus desperata existimatur. Præterea febres syncopales continuæ magis sunt lethales, quàm intermit-

Prognostica.

termittentes. Oſtenditur tamen ſpes aliqua ſalutis in Minuta, ſi febris remittat, & pulſus robuſtiores evadaāt: In humoroſa, ſi à calore nativo materia paulatim vinci & ad beniginiorem naturam reduci queat; pro ſyncope, levi animi deliquio afficiantur, pulſus majores validiores reddantur. In omni febre ſyncopali primùm cum æger ſyncope premitur, quæ maximè urget viaq; ad mortem eſt, omnis medici intentio ad ſymptoma dirigi debet per ea, quæ vires reficiunt, ſpiritus reſtaurant, os ventriculi adſtringendo corroborant. Si nondum invaſerit ſyncope, nec inſtantis ſyncopes metus ſit, utriuſque cura habenda eſt; ſyncopes quidem, ne recurrat; ſed febris, ut cum cauſis ſuis tollatur. Febris ſyncopalis Minuta refrigerantia, humectantia indicat, ejus cauſa bilis tenuis, venenata, refrigerantia incraſſantia, quæ malignitati & venenoſitati reſiſtunt, ac evacuantia. Verum ob vires evacuantia rariſſimè, aut ſumma cum attentione, exhibentur, cavendo ne vires debiles magis deficiant, ſed confortentur, ſpiritus reficiantur, per refrigerantem reſpirationẽ, & alimentum ſpirituoſum, tenue, aëreum, frigidum, fragrantis odoris; ſimulq; os ventriculi frigidis adſtringentibus corroboretur; & ut diſſolutio prohibeatur, pori corporis denſentur, & materia craſſior reddatur. Contra febris

Curatio.

Indicationes.

febris syncopalis humorosa calefacientia exsiccantia requirit: Causa humor crassus, multus, crudus, attenuantia, incidentia, concoquentia, evacuantia. Verum evacuãtia debilia materiam istam magis exagitant, quàm evacuant, metumq; suffocationis excitant: validiora virtutem jam debilitatam prosternunt. Quare Gal: *12. Meth.* purgationem & phlebotomiam prohibet. Reficiuntur verò spiritus calidis fragantis odoris, quę spiritus restaurant, corpus nutriunt: os ventriculi corroboretur calidis adstringentibus. Vt igitur à Syncopali Minuta initium faciamus, Aër ambiens sit frigidus humidus, nonnihil ad astringẽs declinans, ut exhalatio prohibeatur. Diæta tenuis: cibi refrigerãtes substantiam corporis & spiritus restaurantes, ut panis infusus in succo granatorum acidorum, aurantiorum &c. juscula pullorum decoctorum cum acetosa, portulaca &c. aut cũ aqua rosarum, aut succo granatorum, & modico sacchari; cremor hordei cum succo granat: acidi citri, limonum &c: Iura restaurantia ex carnibus expressis cũ dictis succis. Debilioribus aqua destillata caponis aliaq; similia proposita capite *de Curatione Hectica* Robustioribus dantur vitella ovorum cũ omphacio, testes gallorum, carnes pullorũ, gallinæ, perdicis &c. Si virtus sit debilis, nutriemus sæpius, ut ter aut quater in die, sed pa-

Curatio syncopalis minuta.

Diæta.

rum singulis vicibus: sin vires sint robustæ rariùs nutriemus, sed pluribus. Cibus opportunè datur tempore remissionis, Verum in paroxismo, si ob viriũ debilitatem, metumque instantis syncopes necessitas exigat, cogimur aliquid tenuis substantiæ facilis concoctionis exhibere, ut jus restaurans cũ succo granatorum. Prodēst etiam ad ardorem ventriculi restinguendũ Rob ribes & berberum, cerasium &c. Potus tempore pastus assuetis sit vinum aquosum, nõ vetustum, nec acerbum, si visceris nulla sit inflammatio, aut cerevisia tenuis, bene cocta & defecata, jucundi saporis. Extra pastũ aut ubi inflammatio aliqua visceris, convenit aqua hordei aut aqua panata cũ syr: granat: acid: limonũ, acidi citri, julep rosarũ & similibus. Somnus & quies in hac febre commendãtur, licet somnꝰ, dũ æger à syncope premitur, lædat, minimeq́; conveniat: Vigiliæ itaq; & motus vitandi sunt, item frictiones corporis, quæ in curatione syncopalis humoralis plurimum laudantur, nisi extremorũ digitorũ: in paroxismo fugienda omnia sunt, quę iram, tristitiam, & similes affectus concitant. Si æger syncope prematur, ob substantiæ corporis & spirituum dissolutionem, à calore deurente, convenit statim refrigerantibus flabellis & irrorationibus odoriferis uti, ad supprimendã substantiæ & spirituũ dissolutionem, faciem

Quæ faciẽda sunt in paroxismo.

ciem aſpergere aqua roſarum cum aceto, aut

℞ *aquæ roſ.* ℥ iiij.
aceti roſacei ʒ vj.
ſantali albi & citr: ana ʒ j.
camphoræ gr: iij.
moſchi gr: j.

miſce: irroretur facies & pectus. Admoveri poterunt hæc in viris teſticulis, in fæminis ipſis mammis. Suppreſſa his aliiſque infrà propoſitis ſpirituum reſolutione, ſi calor cum ſpiritibus à corde ad exteriora non recedat, metuſque ſuffocationis caloris ſit, conſultum eſt, ad exteriora revellere, veluti fricentur ſummitates digitorum, nares ſæpè apprehendantur, pili vellantur, nomine proprio ſæpe compellentur &c. Medulla panis adhuc calentis aqua roſarum cum aceto irroretur, & ori naribuſque admoveatur. Verum in mulieribus hiſtericis ea, quæ grati odoris ſunt, officiunt. Cordi ad calorem temperandum vireſque reficiendas admoveantur epithemata, aliaque refrigerantia, confortantia.

℞ *aquæ roſ:* ℥ iiij.
nymphææ,
acetoſæ ana ℥ ij.
borraginis ℥ j.
vini albi tenuis odoriferi ℥ ſ.
ſpe: diamarg: frig: ʒ j.
ſantali albi & citrini ana ℈ ij.

coral-

CAP. XIV.

corallorum rub:
ossis de corde cervi ana ℈ j.
camphoræ gr: iiij.
interdum croci gr: j.
misce f. Epithema.
vel ℞ *flor: rosʃ. rubr:*
nymphææ,
viol: ana ℥ ij.
flor: borrag:
balaustiorum ana ℥ j.
santal: omnium ana ʒ s.
sem: acetosæ,
coriandri præp: ana ℈ ij.
camphoræ gr: iij.

cum serico rubro f. sacculus cordis regioni admovendus. Poterit regio cordis inungi Vnguento Nymphææ Guainerij. Ad poros densandos & impediendam dissolutionem involvantur linteo consperso pulvere rosarum, balaustiorum, santalorum &c. vel irrorentur lintea aqua rosarum cum modico aceti. Totum corpus præcipuè dorsum illinatur tali linimento

℞ *olei rosarum omphac:* ℥ j s.
olei myrtillorum,
cydoniorum,
mucilag:
sem: psilij ana ʒ vj.
gummi Arabici dissoluti aqua rosarum ʒ ij.
ceræ albæ q. s. fiat linimentum.

Inſtante aut præſente ſyncope, ad virium & ſpirituum refectionem, detur mica panis infuſi ſucco granatorum acidorum aut aurantiorum: Vinum tenue odoriferum dilutum aqua roſarum: Interdum parum aquæ cinnamomi deſtillatæ cum aqua roſarum & borraginis &c: aut parum juris reſtaurantis, vel aquæ caponis, aliaq; ſimilia deſcripta in curatione hecticæ. Laudatur lac perlarum.

℞ *aquæ roſarum* ℥ iij.
bugloſſæ,
acetoſæ,
borraginis ana ℥ j.
margaritarum præp: ℈ iiij.
corallorum præp: ʒ s.
ſpodij ex ebore ℈ s.

commiſceantur & per linteum rarum ſæpe colentur, in fine dulcorentur per manus chriſti perlat. q. ſ. dentur cochlearia duo aut tria,
additur parum vini malvatici, aut aquæ cinnamomi deſtillatæ cum aqua roſ: &c. Dentur frequenter manus chriſti perlatæ. Vel

℞ *conſervæ roſ: rubr:* ℥ j.
borrag:
bugloſ: ana ℥ s.
ſpec: diamarg: frig:
de gemmis frig: ana ʒ s.
magarit: præp:
corallorum rubr:
oſſis de corde cervi,

aut

aut ejus loco summitatum cornu cervi præp:
succo scordij ana ℈ s.
fol: auri num: ij.
cum syr: acidi citri,
fiat Conditum. Addi poterit Conf: Alkermes vel de hyacintho ʒ j. vel
℞ *sol: margarit: in succo limon: aut citri* ℈ ij.
sol: corallorum rubr: ℈ j.
spodij ex ebore ℈ s.
lapidis Bezoardici gr: vij.
smaragdi,
hyacinthi præp: ana gr: vj.
ossis de corde cervi aut summ: cornu cervi præp: ℈ s.
manus christi perlatæ ʒ ij.
misce, fiat pulvis, utatur medio cochlearis aut tertia parte in jure restaurante, vel syr: acidi citri &c. Observandum in solutione perlarum, partem, quæ in fundo residet, post perfectam solutionem, efficacissimam esse, & non quæ supernatat. Ventriculi ratio imprimis habeatur, illinatur oleo rosarum & cydoniorum, imponatur panis tostus maceratus in succo cydoniorum & granatorum acidorum &c. His aut similibus à syncope revocantur, deindè reficiuntur: Refectis viribus oportunum est febrem, febrisque causas tollere. Primùm si alvus non respondeat, leniente refrigerante clystere sub

ducatur, fere ut in cura Causi, aut, si vires ferant, detur *cassiæ extr:* ℥ j, *aut mannæ* ʒ x. *dissoluta in decocti tamarindorum, prunorum, sebesten &c.* ℥ iiij.

Verum ad alvum deponendam non est consultum, ægros surgere, sed in lecto mojurari. Si bilis sursum moveatur, vomitus juvetur aqua tepida, vel sola vel cum syr: acetoso simplici. Validiora evacuantia, ante declinationem morbi, non conveniunt. Ad preparationem humorum detur syr: granat: acid: limonum, acidi citri, de succo acetósæ, oxysacchara, syr: viol: Iulep ros: &c. cum aquis acetosæ, endiviæ, buglossæ, borraginis, violarum &c. dandaque interim sunt quæ vires cordis reficiunt, & calorẽ restinguunt, cujus generis sunt etiam quædam proposita in curatione febris ardentis à bilioso humore. Omni ratione laborandum semper est, ut exhalatio prohibeatur, præsidijs supra propositis, quæ poros cutis condensant, & humores crassiores reddunt. In febris syncopalis humorosæ curatione plerumq; contraria ratio est, quàm in Minuta. Nam calefacientia, attenuantia, incidentia requirit, & præsidia, non quæ spirituum & substantiæ resolutionem impediunt, sed contrà in syncope ne ægri suffocentur, quæ spiritus & materiam ab interioribus ad exteriora revellunt. Aër sit temperatus, ad calidum non-

Curatio syncopalis humorosa.

nonnihil inclinans, item lucidus, purus, ſic-cuſque. Diæta valde tenuis, ex cibis boni ſucci, facilis concoctionis & digeſtionis, qualitate calidis attenuantibus, aut præparatis cum hyſſopo fœniculo, petroſelino, alijſque ut in cura quotidianæ. Conceditur initio vinum tenue odoriferum, ſi metus non ſit ab inflammatione viſceris, aut copia humorum. Pro vino detur hydromel, in quo hyſſopus coxerit, aut oxymel &c: Somnus & vigiliæ ſint moderatæ, nam immodicus ſomnus plurimùm nocet, quod crudos humores ad interiora revocet, & digeri non ſinat deinde vigiliæ multæ vires debilitant & concoctiones impediunt. Commendantur ab omnibus frictiones, & Gal: *12. Meth. cap. 3.* nec phlebotomiam nec evacuationem ullam in cura hujus mali proponit, præter eam, quæ ex frictionibus paratur, ob ſymptomatum vehementiam, & crudi humoris copiam. Curat præcipuè frictionibus, quiete, inedia aut tenui victu. Trallianus contrà, ubi inſtat virium oppreſſio, venæ ſectionem concedit, ſed quo tempore vires debiles ſunt, cum inedia frictiones non admittit, ſed primùm corpus moderatè fricat, deindè vires reficit mica panis, cum vino odorifero, aut cremore hordei cum oxymelite &c. deinde ad frictiones redit. Statim in principio morbi convenit, linteis aſperis

fricare supernè deorsum, primum pedes & crura, post brachia, humeros : lintea prius suffumigari poterunt pulvere ex styrace calamita, ligno aloes, garyophyllis, thure &c. Vbi ex frictione artus abunde incaluerint, oleo aut unguento drgerente ex oleo anethino, camomillino, irino, costino &c. frictiones artuum in ægris, qui syncope premuntur, plurimum laudantur, quia calorem cum spiritibus ac materiam noxiam vires suffocantem ad exteriora revellut. Ad revellendum in paroxismo juvat nares apprehendere, aures fricare, pilos barbæ aut pubis vellere, proprio nomine ad excitandum compellare &c. Ori naribusque odorata admoveantur, nisi febricitans sit hysterica : Veluti aqua cinnamomi aut lavendulæ; acetum infusionis garyophyllorum, mica panis perfusa vino malvatico aut aromatico. Detur etiam frequenter modicum panis ex vino malvatico aut aromatico, vel si deglutire nequeat, parum vini malvatici, aut aquæ cinnamomi destillatæ, cum vino misceri poterit parum aquæ buglossæ, aut melissæ. Commendantur hic manus christi perlatæ cum oleo cinnamomi: Item Tabulæ Diambræ, Diamoschi, de ligno aloes & similia

℞ *conf: anthos,*
buglos:
cort: citri condit: ana ℥ ß. *conf.*

conf: Alkermes ℥j s.
spec: diambræ,
Diamoschi dulcis ana ℈j.
margarit: præp: ana ℈s. ^ Cru. rub. præp.
cum syr: cort: citri,
f. Conditum. Vel
℞ *syr: de cinnamomo* ℥j s.
syr: cort: citri,
de pomis dulc: ana ℥vj.
aquæ rorismarini,
melissæ,
carduiben: ana ℥ij.
aquæ cinnamomi ℥s.

misce, dentur frequenter cochlearia duo aut tria. Post reficientia ad frictiones semper redire expedit. A principio morbi ad septimum usque diem veteres solam mulsam sufficere putabant, in qua coxerit hyssopus, aut ejus loco cremorem ptisanæ cum oxymelite &c. Nam hęc leviter nutriunt, simulque humores crassos attenuant & aperiunt; interdū, si materia sit in primis venis, detergendo per alvum evacuant. Ob crudorum enim humorum copiam ægri crassiorem victu non fuerunt. Quod si pulsus non ita parvus debilis & inæqualis sit, nullusque metus instantis syncopes, concedi poterit clyster modicè detergēs, qualis requiritur initio curationis quotidianæ. Quidā initio clysteres detergētes pręscribūt, pòst præparatis humo-

moribus & refectis viribus purgationem: Verum purgatio in hac febre ob causas supra enumeratas periculo non caret, nisi in declinatione febris cessante syncope. Præparantur humores mulsa, oxymelite, alijsque, ut in cura quotidianæ. Ad excitandos spiritus & calorem nativum in corde, admoveantur frequenter Epithemata &c. Veluti

℞ *aquæ melissæ,*
carduiben:
buglos: ana ℥ ij.
vini malvatici ℥ j s.
spec: diamoschi dul:
diambræ ana ℈ ij.
pul: ligni aloes,
cinnamomi ana ʒ s.
garyophyllorum,
zedoariæ ana ℈ j.
croci ℈ s.

misce: fiat Epithema. Applicari poterunt sacculi ex melissa, flor: buglossæ, ocimo, ligno aloes, cinnamomo, garyophyllis, zedoaria &c. Non minor ventriculi ratio habenda, cui admoveantur, quę corroborant, calorem nativum excitant, & concoctionem juvant, veluti fomẽtatio ex decocto absinthij, menthæ, calaminthæ, origani, flor: camomill: meliloti, Sem: calidorum, rad: calam: aromatici &c. in aqua & vino albo. Post fomentationem ungatur ventriculus tali linimento

℞ *olei*

℞ *olei nardini,*
stomachalis Cratonis ana ℥ vj.
olei nucis moschatæ expressæ ℥ j.
olei garyophyllorum destill:gr: v.
ligni aloes,
galangæ,
macis ana ℈ j.
gummi tacamahacæ soluti vino aromatico ℥ j.
ceræ q. s. f. vnguentum.

Reliqua curatio perficitur ijsdem remedijs fere, quibus quotidiana curari solet. De Curatione cæterorum symptomatum, quæ cum febribus putridis ita complicantur, ut ad se partem curationis trahant, in calce hujus operis dicemus.



FINIS SECUNDI LIBRI.

DE FEBRIBVS LIBER TERTIUS,

DE NATURA PESTIS, febrisq́ue pestilentialis,

Caput I.



Alenus *Comm: 1. in 1. Epid.* & Hippocrates *1. De ratione victus text: 9.* morbos, qui uno tempore multos invadunt, in *Pandemios,* & *Sporades* dividunt. Sunt autem *Pandemij, qui simili modo uno tempore multos infestant, sive morbi generis ejusdem, qui in una vel pluribus regionibus eodem tempore grassantur, & à communi causa ortum habent. Sporades* vero *sunt morbi diversorum generum, qui dissimili modo sparsim & separatim vagantur & particularem causam habent.* Deindè Pandemij in *Endemios* & *Epidemios* dividuntur. Sunt autem *Endemij* latinis *morbi vernaculi & patrij, qui uno in loco vel regione semper aut plerumq́ue vagantur, & illius loci vitio potissimum eveniunt,* ut in Ægypto Elephantiasis, in locis Germaniæ maritimis Scorbutus &c. *Epidemij* verò *Latinis morbi populares, qui in una, aut compluribus regionibus sæviunt.* Ex Epidemijs autem alij contagiosi simul & pernitiosi sunt, & magnam ægrotantiũ partem perdunt: alij perniciosi non sunt, sed ab ijs pleriq́ue ægrotantiũ liberantur: qualis fuit morbus

Morborũ qui uno tempore multos invadunt distinctio.

bus Epidemius anni 1580. hi simpliciter epidemij vocantur illi proprie morbi pestilentes aut pestes. Nam *Pestis est omnis morbus Epidemius pernitiosus.* Communiter verò & ad pestis similitudinem nonnulli Sporades, qui similem pesti labem adferunt, morbi pestilentes appellantur, licet publicè nō grassentur, nec contagio serpant: quales sunt febres, quæ ob insignem malignitatem à Galeno *in 3. Epid. Comm: 57.* & alibi *Pestilentes sine peste* vocantur. Vocabulum autē pestis non uno modo sumitur. Nam communissimè quicquid in perniciem & detrimentum alicujus rei cedit, pestis vulgò appellari solet: Deindè interdū ab Hipp: & Gal: Pestis pro *aeris pestilentis cōstitutione* accipitur; at propriè *pestis est morbus contagiosus plurimis communis, magnam ægrotantium partē tollens.* Nam in peste propriè dicta duo potissimū requiruntur: Primo ut contagiosa sit, & plures eodem tempore invadere queat: Nam necesse est, ut actu plurimis sit communis: deindè ut à venenata sive maligna causa extrinsecus ortū habeat, & magnam ægrotantium partem perdat. Pestis autem teste Galeno *3. Epid. 3.* peculiaris morbi species non est, ut febris, aut inflammatio, sed propriè omnis morbus multos eodē tempore invadens: Vnde Haly *pestem* definivit *morbum multiplicem pluribus eodem tempore communem.* Multiplex autem dici-

Pestis communiter.

Nomen pestis.

Duo requisita in peste.

Pestis simpliciter & non simpliciter dicta.

dicitur, quia ex diversis pluribusque morbis. Nam ut plurimum in peste sunt febres pestilentiales, carbunculi, bubones, exanthemata, ecthymata. Interdum Anginæ, gravedines anhelosæ, catharrhi suffocantes, paraplegiæ, ut in Thaso, *1. Epid.* flagrantes ardores; sudorifera febris, qualis sudor Anglicus anno 1539. colica tempore pauli Æginetæ; Dyssenteria superioribus annis, aliiq; morbi quatenus contagiosi sunt & perniciosi. Verum frequentissima maximeq; communis & perniciosa est illa pestis, quæ cum febre maligna, bubonibus, carbunculis, exanthematibus & similibus advenit: unde pestis simpliciter dicitur. Cæteri morbi epidemij maligni non simpliciter, sed cum adjectione, ut Colicæ, Anginæ, aut Dissenteriæ pestilentiales appellantur. Quare definiri poterit Pestis *morbus Epidemius, acutus, maximeq; contagiosus & perniciosus, cum febre continua plerumq; adveniens, & cum bubonibus, anthracibus, maculis &c. ortus à maligna rei venenatæ qualitate extrinsecus adveniente, cor inquinante, & calorem nativum corrumpente.* Dico *plerumque cum febre*, non solùm quòd ipsa febris pestilentialis à peste distinguatur; sed etiam, quòd sine febre pestis interdum esse queat, licet raro, aut initio potissimum; ut manifeste testatur Hipp: *3. Epid. context: 25. 28. 55. & alibi.* Item Gal: *9. Simpl: cap. de*

Definitio pestis propriissimè dicta.

bolo

volo: & alibi, quod ob varias causas accidere poterit, vel quia nulla præcedente putredine adest tantus apparatus morbosus, tantaque humorum præparatio, aut corruptio, ut venenatam labem per se facilè concipiant, vel quia venenata inquinamenta non statim initio, sed successivè humores putrefaciant, simulque in venenatam qualitatem convertant: vel quòd focus putredinis non sit in corde, nec ad cor putredinis vapores perveniant, sed tantum inquinamenta venenata: vel quemadmodum septica sine febre, & putrido calore partem corrumpant, ita pestilens aura sive inquinamenta ipsum cor, & calorem nativum: vel quia à venenatis inquinamentis prius jugulantur ægri, quam locus & tempus detur putredini. Nam necesse non est, omnem vehementem & perniciosum cordis affectũ esse cum febre; alioquin in omni syncope febris esset, & omne venenum deleterium cum febre interficeret, quod verum non est. Causa immediata Pestis est rei venenatæ perniciosa qualitas, naturæ humanæ inimica. Res illa venenata, quod seminarium & inquinamentum pestis communiter dici solet, nil aliud est, quam aër corruptus, & aura sive vapor & spiritus venenatus & pestilens, exhalans ex corporibus infectis, ut infrà latiùs demonstrabimus. Verùm febris pestilens quæ pestem

Causa immediata pestis.

ſtem plerumque comitatur, oritur, non quia humores ab illa venenata qualitate inquinantur; ſed quia inquinati à natura non regũtur, ac proinde putreſcunt, & putreſcẽtes febrem excitant. Quare *febris peſtilens*, quæ peſtem comitatur, erit *febris continua, acuta, maxime pernicioſa & contagioſa, orta ex vehementi putredine, à contagioſa rei venenata qualitate, cor potiſſimum lædente, & calorem nativum deſtruente.* Immediata enim cauſa peſtilentialis febris, eſt maligna aut venenata putredo: quæ alio nomine à Galeno vehemens, ſumma, extrema, ac ſordida putredo dicitur: Summa autem dicitur, non quòd ſit in ſummo extenſivè aut intenſivè, ſed quod ſit à cauſa putreſcente pernicioſa, quæ veneni naturã habet, ſummeq; lædit. Nam febris peſtilens non tantum exceſſu caloris putridi, ut aliæ febres putridæ, ſed etiã qualitate potiſſimũ maligna ſive venenata cor afficit, ſive tota ſubſtantia adverſatur calori nativo. Proxima Peſtis cauſa, ut diximus, eſt cor humoresq; contenti, venenata qualitate affecti & inquinati, atq; ita ſecundũ ſubſtantiam corrupti; quæ corruptio tempore & natura putredinem febremque peſtilentialẽ præcedit; deinde ex febre ſive putredine cõcepta, maligna illa & venenata qualitas vehementius concitatur & promovetur, ut pernicioſior evadat. Et licet ex putre-

Definitio febris peſtilẽtis.

Cauſa proxima peſtis & peſtilentialis febris.

dine

dine interdum talis corruptio oriatur, putredo tamen, quæ venenatam corruptionem præcedit, febrem pestilentialem non producit, sed simpliciter putridam: Veluti si ex prava victus ratione putrescant humores, febris non pestilens sed putrida excitatur: at si ex putredine humor venenatam aliquam qualitatẽ acquirat, & ea putredo perseveret, vel nova accedat, oritur febris maligna, quæ etiam pestilens vocatur, ut suprà dictum est, & à pestilenti epidemica distinguitur, quia hæc â communi & non privata causa ortum habet, & ut fera quædam venenata totas fere civitates depascit, misereq; perdit. Nam pestis febrisq, pestilentialis maximè contagiosa est, quòd ab uno ad plures facilime propagetur, per seminarii & inquinamenti sive evaporationis pestilentis communicationẽ. Evaporationes enim pestilentes, quia maligna & venenata qualitate præditæ sunt, corpora quibus cõmunicantur, inquinant, cor fontem vitæ petunt, & calorem nativũ corrumpunt. Hoc modo pestis ab uno in plures disseminatur, licet prima origo pestis sive seminarii pestilentis ab aëris corruptione procedat, ut sequenti capite latiùs dicetur. Maligna illa qualitas & venenata, corpora corrumpens, in putredine substantiæ cordis & humorum non consistit; cum in vehementissima peste interdum exiguæ notæ putredinis in excrementis appa-

Causa febris pestilentis privatæ & quomodo ab Epidemica distinguatur.

reant, ſed contrà putredo maligna & venenata corruptionem iſtam conſequitur, & ex venenata rei putreſcentis qualitate vehemẽtius concitatur, quod validitas & velocitas agendi indicat. Nam ut ex putridi contactu putridum efficiatur, tempus requiritur, quo alteratio mutua actione & paſſione per primas qualitates perficiatur. At peſtis unica inſpiratione & unico contactu ſubito concitatur, aut ægri contagio ſubito inficiuntur. Quare qualitas illa maligna à putredine, aut qualitatum primarum actione non erit, ſed à tota ſubſtantia. Nam quod à tota ſubſtantia cum in actum deducta eſt, ſubitò & valide agere poteſt. Hæret itaque peſtilens & venenata qualitas in corpore tenuiſſimo & ſpirituoſo, quaſi in proprio ſubjecto, quod ob id ſeminariũ peſtis aut inquinamẽtum dici ſolet, ut iam diximus, & infrà pleniùs dicetur: corpus verò, quod ſuſcipit hoc ſeminarium, & nihil ab eo patitur, fomes peſtis vocatur, ut infrà latiùs demonſtrabimus. Dico, peſtis ſeminarium aut cauſam eſſe rem venenatam; nõ quia ſecundum ſubſtantiam ſuam actu venenum eſt, ſic omnes afficeret: ſed quia ea facultate prædita eſt, ut in diſpoſito corpore in naturam veneni tranſeat aut vim veneni prorſus habeat.

DE

De Causis Pestis.
Caput II.

Pestis causa immediata quidem est perniciosa rei venenatæ qualitas, cor inquinans & calorem nativum corrumpens. Verùm cum pestis sit è genere Epidemiorum, morbusq; pluribus communis; à communi causa ortum habebit perniciosa qualitas ipsaq; pestis. Communis autem causa vel supernaturalis & prima est, vel naturalis & secunda; & hæc aut aër corruptus, aut prava victus ratio, aut contagium vagans. De singulis dicemus, & quantam vim habeant ad pestem gignendam. Causa prima pestis aliquando supernaturalis tantum est: & immediatè non accedentibus causis secundis, à Deo pestis nonnunquam immittitur, propter delicta nostra: qualis fuit illa, qua Devs populum Israëliticum sub Davide percussit. Deindè compertum est, pestem aliquando fuisse, cujus causam satis sufficiétem nec medici in inferioribus corporibus, nec astronomi in cælo adferre potuerunt. Quare inter ethnicos non pauci pestilentium morborum causam ad Devm retulerunt, cum non satis evidentes causas in natura invenirent, & communibus remedijs malum ipsum raro cedere, longo usu experti essent. Præterea Hipp: *lib: 4. de Morbis,*

Causa supernaturalis pestis.

II.

bis, divinam quandam morborum causam statuit, &, teste Galeno, veteres causam ad Deum retulerunt, ipseq; Homerus ad Apollinem. Plerumq; mediantibus secundis causis ipsa pestis oritur. Nā excitatur corruptio & venenata qualitas, ex corruptione eorum, quæ ad conservationē corporis nostri maximè necessaria videntur. Talia potissimū sunt aër, & alimenta: quæ si temperamēto & substantia nobis similia & familiaria fuerint, sanitatē conservant: Sin cōtraria, in qualitatibus manifestis, vel secundū substantiā corrupta, pro modo recessus sanitatē immutāt.

Causæ naturales.

1. Alimenta.

Ac primum debet alimentum in substantia & temperamento ei simile esse, cujus est alimentū. Verùm cùm naturæ animantium dissimiles sint, fit, ut quod uni animantiū generi sit alimentum, alteri non sit. Proprium enim alimēti est, ut à corpore animato alteretur, & in substantiā nutriti transmutetur: medicamenti verò, ut corpus alteret, nō corrumpat: at veneni, ut substantiam corporis corrumpat, & calorem nativum evertat. Quare alimentum si à sua natura recedat, & in substantiā corporis non transmutetur, naturam medicamenti vel veneni acquirit; medicamenti, si tantū dissimilem naturā in qualitatibus primis & secundis acquirat; veneni, si in contrariam abeat, sive substantiam corporis corrumpat: Veluti vinum corporis

 CAP. II.

poris nostri alimentum, si labem contrahat, alimentum esse desinit, & vel medicamenti naturam assumit, scilicet, si temperamentū mutet, & acidum evadat; vel veneni, si corrumpatur, quod accidere solet, si vappa fiat. Eadem ratio in cæteris alimentis extrinsecus sumptis locum habet. Nam compertum est, universos exercitus morbo correptos fuisse usu aquæ corruptæ, aut frumenti semiputridi: Item post famem pestem secutam esse, quod in annonæ caritate populus coactus fuerit cibis corruptis aut pravis vesci. Sub hoc genere referuntur carnes putrefactæ, aut carnes animalium, quæ vi morbi alicujus mortua sunt: Item aquæ corruptæ, & in quibus stirpes virosæ injectæ sunt, ut Cannabis, brassica, Isatis &c. Similis ratio est in internis sive proprie dictis alimentis scilicet in humoribus & humiditatibus. Nam sæpe humores utiles à naturali temperamento recedunt aliquando humor aliquis corruptionem tantam acquirit, ut naturæ nostræ planè contrarius evadat, & vim ac efficaciā lethalium venenorū suscipiat: quod evidenter apparet ex corruptione sanguinis, effusi extra venas, concreti in grumos: Item ex epilepsia à digito pedis; aut ex convulsione totius corporis, ab ore ventriculi: ex suffocatione uteri, & similibus morbis, unde sæva symptomata & interdum

ſubita mors. Verùm ut in morſu canis rabidi, virus per menſes aliquot intra corpus nonnunquam latet, ita in his corruptis humoribus evenit. Nam in corpore non ſtatim nec ſemper cauſæ morbificæ actu vim ſuam exerunt, ſed interdum intra corpus longo tempore latent, ſenſimque malè tantum diſponunt, tandemque in actum erumpunt, concitatæ à cauſa aliqua extrinſeca.

II. Aer. Quæ ratio eſt in alimentis, eadem fere in aëre ambiente, qui pluribus communis eſt, ſine quo vivere & calorem cordis tueri conſervareq; non licet. Nam aër dum calorem cordis tuetur, temperamento & natura nobis familiaris eſt. At ſi minimè familiaris evadat, ſcilicet in temperamento immutatus ſit, aut in ſubſtantia corruptus, ſive venenata qualitate inquinatus, pro modo immutationis, primum ſpiritus, deinde humores, tandem ſubſtantiam corporis afficit. Corrūpitur ſive venenata qualitate inquinatur aër dupliciter, vel à ſuperioribus cauſis, vel ab inferioribus: à ſuperioribus, ſcilicet à cæleſtium corporū motu, lumine, & influentia, ex varijs aſpectibus; quod duobus modis fieri poteſt, vel per mediam putredinem & alterationem in primis qualitatibus, vel citra ullam talem ſatis evidentem in manifeſtis qualitatibus alterationem. Citra alterationem & putredinem aliquam manifeſtā,

Cauſa corruptionis aeris duplex.

cor-

corruptum fuisse aërem, ostendunt pestes diuturnæ, quæ media hyeme gravissimè sævierunt, quas nulla in manifestis qualitatibus aëris alteratio præcessit. Nam putrefactionis motus in aëre corpore tenuissimo per integrum annum protrahi nequit, præcipue tempore frigidissimo. Hæc causa sub illo divino in morbis comprehenditur, cujus meminit Hippocrates *lib. 1. Prognost:* quod authore Galeno in aëre quidem est, sed à cælo & minus manifestis causis producitur. Corrumpitur quoq; aër à causis inferioribus, per mediam putredinem & alterationem in primis qualitatibus, potissimũ verò ex dispositione aëris calida & humida, cujus ratione fit, ut regiones & loca conclusa palustria magis obnoxia pesti sint, quã loca frigida, sicca, montosa & similia. Causæ superiores sunt maligni siderum positus, veluti infausti aspectus Saturni & Martis, aut Iovis in signis humanis potissimum, vel in signo Scorpij, Luminarium defectus, cometa potissimum in ortum vergens, insolita meteora, fulgura tetri odoris, terræ motus: Item annus magna ex parte austrinus & pluviosus sine ventis: alienæ temporum constitutiones, ut hyems austrina, humida, levis; Ver inæqualis aut autumnalis constitutionis; Æstas austrina, silens sive sine etesijs: Præterea eodem tempore inæqualitas

Causæ superiores aerem corrumpentes

caloris & frigoris: aër nubilus & serenus: venti austrini, aut ex locis maligna qualitate inquinatis, aut ex peste infectis. Ab inferioribus verò causis inquinatur aër ex vaporibus fætidis corruptis, exhalantibus ex terra vel aquis, nimirum ex stagnis, vel lacubus, & speluncis, avernis, aut terræ cavernis, & fissuris propter terræ motus, ex cæde hominum in bello: ex cadaveribus animantium: ex sordibus mechanicorum & coriariorum, ex latrinarum subterranearum aut sepulchrorum (ubi seminarium pestis residet) apertione, quod in peste magna Asiatica accidisse scribunt; & similibus. Ab his omnibus morbi venenati gignuntur; Aër enim corruptus inspiratione per os & nares, transspiratione per arterias porosque cutis attractus, corpus venenata qualitate inquinat. Verùm morborum communium, ut dictum est, causa aliqua communis semper est: Sporadicorum caussa aliqua propria. Causa autem pluribus maximè communis est aër corruptus, ex influentia cælestium corporum, deinde ab inferioribus causis: minus communis prava victus ratio. Nam ut aër, ita alimenta multis communia esse nequeunt. Proinde Pestis ut à veteribus describitur, morbus pluribus locis communis, præcipuè erit ab aëre inquinato, maligno siderum influxu: minus

Causæ inferiores.

Præcipua causa pestis est aëris inquinatio, minus præcipua

minus communis, ab inferioribus causis. Ex pravis alimentis per se primò pestis non oritur, sed febris pestilens privata; ex accidente, quia corpora ad pestem suscipiendam disponunt, causæ pestis dici solent. Plerumque hæ omnes causæ naturales permiscentur, nimirum aëris inquinatio & prava victus ratio, unde gravior pestis ibidē oritur. Verum ubi pestis pluribus regionibus communis est, unica verè efficiens causa esse videtur, aër inquinatus à causis superioribus. Nam ea causa maxime communis est. Corruptio verò aëris ab inferioribus causis magis specialis est. Deindè prava victus ratio, magis præparatoria est, & corpora proprie disponit ad pestem facilè suscipiendam. Nam præter morbosum corporis apparatum in peste, requiritur peculiare inquinamentum, quo aër affectus ejus mali principium præstet, corporiq́; disposito communicet. Quare veteres causam pestis ad aërem corruptum retulerunt.

alimenta.

Particulatim tamen tres pestis causæ naturales assignari poterunt: 1. Aër maligna qualitate inquinatus. 2. contagium. 3. corrupta victus ratio, sive usus pravorum alimentorum: prava victus ratio minus principalis causa est, & tantùm præparatoria, ut diximus. Contagium autem veteres

Particulatim tres causæ pestis.

teres ſub aëre complexi ſunt, quia mediante aëre, aut quod aëris rationem habet, ut ſunt aura, vapor, ſpiritus venenatus, aut morboſa evaporatio, contagium cōmunicatur. Nam, ut ſuprà dictum eſt, peſtilens qualitas ſubjecto aut vehiculo non caret: nihilominus aëris vitium à contagio propriè dicto diſtinguitur. Nam contagium motus eſt, procedens ab uno ad aliud, cuius merito unius in alterum gignitur affectus, aut propriè communicatio inquinamenti ſimilis morbi, facta à corpore in corpus, aut immediate aut mediante aliquo. Nam requiruntur in contagio neceſſario tria; primò, quod communicat, æger morbo contagioſo laborans, aut qui prius laboravit. Secundò, quod communicatur, ipſum ſeminarium ſive inquinamentum peſtis, aut halitus, qui ex infectis corporibus educitur; unde idem morbus ab uno in alium propagatur: Tertiò cui communicatur, alius ſcilicet diſpoſitus, ut ſimili morbo ex contagio afficiatur. His additur medium, per quod communicatur ipſum inquinamentum; quod non ſemper neceſſarium eſt, quia ſine medio interdum inquinamenta communicantur, ut mox dicetur. Oportet primum in contagio eſſe aliquem, qui vitium ſuum alteri communicat: dein cui ſimile communicatur. Niſi enim plures eodem morbo teneantur, nemo ex con-

Quid contagium.

tagio

CAP. II.

tagio laborare diceretur. Communicatur quidem morbus non per se, sed mediante causa. Nam primò communicatur, quod causæ rationem habet, unde sequitur similis effectus. Verùm vt causa illa communicetur, similisq; morbus consequatur, requiritur primum dominium agentis supra patiens; deinde patientis præparatio & aptitudo; Tertio debitum tempus, quo simul corpora agere & pati ad invicem queant. Nulla enim causarum sine patientis aptitudine agit, nec quocunque tempore, aut etiam sub quacunque magnitudine. Verùm sub patientis aptitudine comprehendimus hîc nõ solum corporum & humorum pravam dispositionem, sive morbosum apparatum, sed etiam occultam naturæ proprietatem. Nam corpora sicca, compacta, bene constituta, & quæ superfluitatibus carent, minùs apta sunt: contrà aptissima putantur corpora calida, humida, laxa, rarioris texturæ: qualia sunt puerorum, virginum, gravidarum &c. Item corpora referta vitiosis hũmoribus, & lumbricis obnoxia &c. Prætereà quæ perturbationibus agitantur & veneri nimis operam dederunt. Inquinantur corpora attracto aere aut aura perniciosa, primum inspiratione per os & nares: deinde perspiratione vi arteriarum per poros cutis; unde initio spiritus, mox humores, interdum solida

Vt contagium communicetur tria requiruntur.

Qui facilè inquinantur, & qui non facile.

lida cordis ſubſtantia labefactatur. Verùm quemadmodum à naturæ proprietate pſylli à venenis non fuerunt læſi, ita ex naturæ proprietate, quidam à peſte plane immunes ſunt, licet cũ peſte infectis perpetuò vivant: alij licet bene conſtituti, contagione tamen facilime inficiuntur: quod evenit ob peculiarem naturæ proprietatem & ſimilitudinem, quam habent corpora, quibus contagium communicatur ad illa, quæ communicant. Nam communicatio ſive receptio per ſimilitudinem fit: ac ob ſimilitudinem ſæpe videmus, integras familias contagio perire; ob diſſimilitudinem raro beluas ab hominibus inficí. Item in peſte beluarum raró homines affici. Deindè ob diverſitatem quoque inquinamentorum & convenientiam vel diſconvenientiam cum alijs atq; alijs naturis, ipſæ etiam peſtes differunt. Nam plerumq; peſtis pueros, virgines, prægnantes, & ſimiles maxime invadit. At quæ tempore Gentilis ſævijt, viros robuſtos potiſſimum ſuſtulit. Item ex hac inquinamentorum analogia, aliæ peſtes ſunt hominum, aliæ ſuum, aliæ ovium &c. Vt enim omnibus idem alimentum non eſt, ita nec venenum.

Per quæ & quomodo communicatur contagium.

Contagium dupliciter communicatur, aut immediatè, dum inter corpus communicans, & quod communicatur, nul-

nullum medium intercedit, præter evaporationem putridam & inquinamenta; sed vel accubatione vel contactu sese proximè inquinant: Aut mediatè, dum per intermedium aliquod corpus ab uno homine in alium transferuntur inquinamenta. Tale intermedium corpus est, vel aër ambiens externusque, quem inspiratione & perspiratione attrahimus; vel corpus, quod inquinamenta ab uno facile recipit, diu conservat, & alteri prompte communicat: Hoc corpus *fomes pestis* peculiariter vocatur. Recipiunt facile pestis inquinamenta & communicant, corpora, laxa, porosa, ut stragula, lana, pelles, vestes pelliceæ, aut laneæ, deinde ex gossippio & holoserico; tandem panni linei: Item sordes latrinæ, sepulchra, excrementa; & animalia, quæ cum infectis vivunt, ut mures, feles, canes &c. Contra minus inquinamenta recipiunt, corpora solida non porosa, ut aurum, argentum, aliaque metalla, & lapides, quæ non per se propriè, sed interdum ratione sordium adhærentium ex contrectatione infectorum aut eorum, qui cum infectis conversantur. Verùm maximè peste inquinantur, qui cum infectis conversantur, & communem aërem hauriunt, præcipuè tempore mortis. Nam ægri corruptum aërem expirant, à quo inspirato alij præsentes promptissime inficiun-

Fomes.

ficiuntur, ac etiam panni, vestes, stragula: imo ob sordes adhærentes parietes omnesque fere domus partes inquinamenta interdum recipiunt. Quare periculosissimum est cum ijs versari, qui peste laborant, aut in ijsdem aut vicinis locis degere, aut aliquid exportare. Nam primum mediante aëre, seminarium pestis longe lateque disseminatur, &, teste Thucydide, λοιμώδη μιάσματα ex Æthiopia in Græciam advenerunt. Mediante vero fomite, scilicet vestibus, stragulis, & similibus, pestis inquinamentum pluribus communicatur, sed non ita subitò, nec tam longè lateque, ut ab aëre corrupto.

Quid proprie inquinamentum aut seminarium pestis.

Quæ communicantur, ab Hippocrate μιάσματα λοιμώδη scilicet pestis inquinamēta sive seminaria vocantur. Est autem *inquinamentum vapor, aura, halitus aut spiritus venenatus à corpore infecto emanans, citò facileque penetrans, prompteque fomiti adhærens, & alia corpora disposita interficiens.* Promptè quidem fomiti adhærent inquinamenta, sed non ita facilè & citò removentur, nisi fomes diu perfletur, igne purgetur, aut frigore multùm alteretur. Nam sæpè reservata in vestibus inquinamenta post multum temporis novam longeque graviorem pestem induxerunt. Hæc pestis causa in principio communis non est, nec actu epidemia; nam paucos invadit: dein ob diligentiam & prudentiam

dentiam magistratus, prohibentis commercia cum infectis, sæpè impeditur: tamen si non resistatur, & paulatim serpendo progrediatur, aërem corrumpit, & ex una domo communis toti urbi, deinde pluribus regionibus evadere solet. Hoc modo in his regionibus septentrionalibus plerumque pestis oritur, & rarissimè à communi aëris vitio primo, sine ullo contagio, disseminatur, ex infectis corporibus, aut fomite alicubi latente. Verùm progressu temporis si contagia diutius aliquo in loco perseverent, & ad multos longè lateque spargantur, facilè sequi solet, ut de corruptis exhalationibus corporum peste laborantium aut extinctorum, aër in se recipiens seminaria multa, ita corrumpatur, ut communis causa reddatur infectionis. Quare in quocunque loco observaverimus, pestem auctam esse & diu durasse, metuendum est, ne aër quoque loci aut urbis illius tandem inquinetur, præcipuè tempore pluvioso, nebuloso, sine ventis &c. Contagium itaque ut plurimum prima causa pestis esse solet, quæ postea multitudine seminariorum aërisque inquinatione crescit & augetur.

Præter Pestem alij quoque morbi, qui morbificas evaporationes expirãt, ut phthisis, lepra, Scabies, ophthalmia, morbus Gallicus &c. contagiosi sunt: à quibus natura sua &

Quomodo pestis distinguitur ab aliis contagiosis morbis.

ſua & vehementia differt. Nam peſtis omnium morborum maxime contagioſa ſimul & lethalis eſt. Et licet nonnulli morbi venenata qualitate ex ſuccorum corruptione,(ut febres malignæ) non aliter quàm vera peſtis, hominem interimant: quia tamen ſeminaria ſua ab extra alijs nõ ſemper communicant, & contagioſi nõ ſunt, peſtes proprie non dicuntur. Nam peſtis ex aëris contagio fit, præmiſſa analogia ad humores; malignæ febres, quæ non adeo contagioſæ ſunt, ex corporum morboſo apparatu proficiſcuntur, licet ab aêre ſuum nanciſcantur principium, ut in varioſis, morbillis, & ſimilibus morbis apparet. Præterea ex contagioſis morbis in initio nonnulli aliquando Epidemij tantum apparent, & non multos ægrotantium perdunt, pòſt peſtilentes evadunt, ubi malignitatem acquiſiverunt. Hi morbi licet ex aêre primum proficiſcantur; dum tamen alios atque alios invadunt, paulatim à natura & prava ægrotantium conſtitutione, certam malignitatem acquirunt, ut ejuſdem generis animalia faciliùs perdant. Præterea morbus in initio aliquando peſtilens non eſt, ſed accedente contagio; aut aëris prava qualitate peſtilens efficitur. Ex his omnibus apparet, quòd prima occaſio peſtis ab aêre ſit, & quòd plerumque ex aëris inſpiratione peſtis oriatur,

riatur, ob eos, qui in corpore sunt, humores ad putrescendum aptos. Vbi enim humores venenata qualitate inquinati fuerint, necessariò putrescunt, & febrem pestilentialem gignunt. Corrumpuntur autem facile humores ex alimentis corruptis, ut suprà dictum est; præcipuè ob plethoram, cacochymiam, obstructiones, prohibitam transspirationem, nimiam venerem &c.

Paracelsus in pestis consideratione varius est: Nam in pluribus ab omnibus veteribus dissentit, multaque nova excogitavit; In nonnullis verbis potius quàm reipsa discrepare videtur. Primum *De Tartaro lib. 2. tract. 2. cap. 3. & 4. & lib. de pestilitate tract. 2.* pestem definit *morbum separatum ab Iliado Arsenicali.* Arbitratur *Iliadum* esse quod omne elementum in seipso spiritum mineralem habeat: Deindè in corporibus nostris, simplicia omnia & spiritus minerales in Iliado consistere: præterea ex Iliado ægritudines diesque criticos venire: crisin autem, quando spiritus mineralis separat se à suo Iliado: quæ separatio si fuerit ab Iliado Arsenicali, Pestis orietur; morbus scilicet valde contagiosus & perniciosus. Nam spiritus Arsenicalis in testa membri alicujus principalis inclusus, dum testam rumpit & egreditur, aërem ambientē inficit, qui ab

Paracelsi opinio de natura & causis pestis.

alijs

alijs inſpiratione attractus, eorum aërem internum corporis elementum corrumpit. Inſuper Iliado tres ætates aſſignat, quarum prima eſt ante ſeparationem illam; ſecunda in ipſa ſeparatione & tum peſtis propriè eſt; tertia cum arſenicum ab Iliado ſeparatur & putreſcit, quo tempore fit morbi finis & mors. Semper autem ceſſante arſenico ceſſabit peſtis; & quantò vehementius peſtis in loco aliquo ſævit, eò citius ceſſabit. Vocatur etiam *lib. de peſtilitate, 2. tract:* & *lib: 2. de peſte cap. 5. morbus digeſti temporis*, quòd digeſtio ſeparationem faciat, ſeparatio morbũ. *Digeſtum* illud *tempus Arſenicale*, appellatur, per baſiliſcum firmamenti. Nam ibi fundamentum eſſe dicit hujus regionis morborum, & cælum ſpiritum imaginationis fortius habere, quàm ullam fœminam, ſpiritumq; illum imaginationis irritatum peccatis hominum iraſci, per reflexum quaſi ab oculis baſiliſci corpora inficere: item imaginationem iſtam ſemen eſſe, & materiale reddi, dum à ſole mundi præparatur, deinde in aquam propelli, ibiq; venenum naſci. Nam ſtatuit Solem mundi cor ut filium amare; ſi à filio irritetur, ipſum cum Marte iraſci, ſcorpionem pungere, ac ſulphur latens in materia venenorum humani corporis accendere. Prætereà *lib. 2. de Tart: cap. 3.* & *de Peſtilitate tract: 1.* iuxta elementa cor-

porum

porum pestem quadruplicem ponit, unam ex terra, alteram ex aqua, tertiam ex aëre, quartam ex igne: ac secundum has species curationem variat, ut infrà latius dicetur.

DE DIFFERENTIIS PESTIS *febrisquè Pestilentialis, & Symptomatibus.*

Capvt III.

Ex prædictis differentiæ pestis intelliguntur; differentiæ autem pestis sumi possunt, vel à causis, vel à magnitudine, vel ab accidentibus consequentibus. Primariæ efficientes causæ in peste sunt, aër corruptus, & contagium: causæ præparatoriæ magis sunt, alimenta corrupta & corporis morbosus apparatus; quæ non per se causa pestis sunt, sed sumpta occasione ab aëre & contagio, ut dictum est. Nam authore Galeno *1. de feb. cap. 5.* magna ex parte pestis oritur *ex inspiratione aëris corrupti*; deinde subjungit, *fit interdum ob eos, qui in corpore, succos, ad putrescendum idoneos, cum brevem occasionem ab aere ad febris originem conceperit animal. Fit quoque non raro sumpta occasione à contagio*: & plerumque in his regionibus frigidioribus pestis contagium serpit, & aër corrumpitur ex inquinamentis ægrorum, aut in fomite conservato: sed hæ pestes magis particulares

1. A causa.

ſunt. Vbi vero peſtis magis univerſalis eſt, pluribus regionibus communis, aër in ſe vitium contrahit, ut dictum eſt, ſed totus ſimul & ſemel non inquinatur. Et proinde peſtes univerſales ubiq; eodẽ modo & tempore non graſſantur: quia aër vires cæleſtium diverſimode recipit.

II. A magnitudine.

Qualitas illa peſtilens non ſemper uno modo in omni peſte ſe habet. Nam aliquando vehemens eſt, & adeò intenſa ut corpora leniter diſpoſita facile infeſtet & perdat: nõnunquam lenis & adeo remiſſa, ut magnum corporis apparatũ & aptitudinem requirat: interdũ medio modo ſe habet. Vnde peſtis alia gravis & intẽſa, quę multos invadit, eoſq; pene omnes, pauciſſimis exceptis, perdit: qualis Athenis, teſte Thucydide, fuit in bello Peloponeſiaco; Romæ ſub Cõmodo; In toto orbe terrarũ Anno Chriſti 1335. qua dimidia pene mortaliũ pars perijt. In ejusmodi peſtibus compertũ eſt, ſæpe ex centũ ægrotantibus vix unum aut alterum ſervatum fuiſſe. Alia peſtis lenis & remiſſa eſt, quæ plures invadit quàm perdit, & adeo paucos interficit, ut à ſimplici Epidemio morbo parum differat. Quædã media eſt, quæ nec vehementer ſævit, nec quoſvis promiſcuè invadit, nec penè omnes ægrotantes perdit; ſed ex 100. aliquando 10. 12. 20. aut plures reſtituuntur: Ejusmodi peſtis plerumq; graſſatur. Verùm omni

CAP. III.

omni tempore omnibusq; in locis una eademq; pestis eodem modo se non habet, sed nunc intensionem, nunc remissionem suscipit: idq, vel à cælo, scilicet à maligna aut benigna siderum constitutione, vel à constitutione loci & apparatu morboso corporum, ut infra patebit.

III. Ab accidentibus consequentibus.

Tertio, Pestis plerumque cum febre est, rarissime sine omni febre, ut dictum est. Febris autem illa, licet intermittens non sit, nec ulli generi continuarum propriè adstricta, ratione tamen subjecti, ubi sedes putredinis, plerumq, continua putrida est, interdum etiam hectica. Nam febris pestilentialis quia sedem putredinis intra vasa potissimum habet, continua semper est, & ad manifestam infebricitationem non devenit, licet eam frequentes rigores comitentur, ab acribus vaporibus, delatis per partes sentientes: unde nunc quotidianæ, nunc tertianæ typum referre, & remissiones quasdam habere aliquando videtur: Præterea pestilens febris nulli generi putridarũ continuarũ proprie adstricta est, licet ratione subjecti, ubi sedes est putredinis, & ratione humoris prædominantis & putrescentis, ad aliquã speciẽ febris continuæ plerumq; referatur. Fomes autẽ sive sedes putredinis aut putrescentiũ humorũ in omni pesten, õ necessariò est cor, sed aliæ partes interdũ. Nam licet omnia ve-

Febris pestilentialis differentia.

nena,quatenus venena & peſtilens qualitas, cor lædat,non tamen ipſum cor primò petunt: ſed quædam primò aliam partem, deindè Cor. Quare in peſtilente febre ſufficere videtur, fomitem putredinis plerumq; in corde eſſe,aliquando in alia parte, à quâ promptè cordi communicatur, In corde autem ſedes putredinis duobus modis potiſſimum eſſe dicitur: primò, ubi ſubſtantiales cordis humiditates putreſcunt; ſecundò, ubi humores contenti in ventriculis. Nam peſtilens aura plerumq; humores inquinat,aliquando ipſam ſubſtantiam cordis invadit, eiuſque humiditates inficit. Vbi autem humiditates in ſubſtantia cordis putreſcunt, febris hectica peſtilens omnium peſſima oritur, quæ ſola rarò eſt ſine humorum putredine. Vbi verò humores contenti in ventriculis cordis vel vicinis partibus putreſcunt, febris putrida continua: quæ pro humorum putreſcentium ratione varia eſt. Nam materia venenata putredinis vel ſunt omnes humores; vel unus aliquis, ut ſanguis,bilis flava, melancholia, vel pituita: Quare ſi ſanguis omneſque humores putreſcant,febris peſtilens ſynochus putris erit; ſi bilis flava, καῦσος, aut tertiana continua; ſi pituita aut melancholia, quotidiana vel quartana &c. quæ omnia ſymptomatum diverſitas oſtendit, ſingulæ enim harum febrium

brium suis notis distingvuntur. Præterea sæpè ipsa febris mitis & placida videtur, ubi exigua est putredinis copia, & plus veneni; non rarò valdè ardens vehemensque est, maxime in interioribus, ubi malignæ putredinis ingens copia, ex qua sæpe interiora uruntur, exteriora frigent, febrisque lypiria oritur. Febris pestilens Diaria ex sola spirituum putredine propriè non datur, nisi fortasse initio priusquam humores & solidam cordis substantiam invaserit. Nec sudor ille Anglicus exquisitè ephemera fuit, licet ad unum diem aut paulò amplius perdurarit; cum ephemera sævissimis symptomatibus careat, & lethalis non sit, nec immodicis aut copiosis sudoribus terminetur.

Symptomata pestis eorumque causa.

Pestem multa gravissimaque symptomata comitantur: Nam functiones omnes aut præcipuæ vehementer læduntur, præcipuè facultatis vitalis, deinde animalis & naturalis: præterea excreta præter naturam apparent, & qualitates corporis ut plurimũ à naturali statu mutantur. Oriuntur symptomata non solum sævissima, sed etiam ob diversam humorum & partium affectarum naturam, impetumq; naturæ & morbi, contraria. Nam primùm ubi cor à veneno graviter afficitur, & in resistando laborat, functiones ejus debilitantur, excitanturq; cordis palpitationes, deliquia animi, syncope,

& sudores syncoptici, pulsus debiles, inæquales, deficiẽtes, formicantes, vermiculantes &c. Quando ad cerebrum humor aut vapor frigidus maligna qualitate affectus ascendit, sopor, stupor, oblivio, vertigo, veternus: si materia acris, vigiliæ, deliria, phrenitis &c. si nervi afficiantur motrixque facultas, convulsiones, paralysis, difficultas respirationis, depravatio vocis: Si instrumẽta sensuum, tinnitus aurium, oculorum caligines, depravatio gustus: fiunt item plerumq; dolores ingentes capitis & dorsi, punctiones totius corporis tanquam ab aciculis: Si ad nares, hæmorrhagia, stillæ sanguinis: Vbi ad os ventriculi feruntur humores corrupti, quod plerumq; fieri solet, ob consensũ cordis, inappetentia, cardialgia, anxietates, nausea, frequentissimi vomitus corruptorũ humorum, sitis plerumq; maxima ob ardorẽ humorumq; acrimoniam, interdum præter rationẽ nulla, ubi facultas extincta est: Si ad alvum decumbant corrupti humores, fluxiones alvi variorum pravorumq; humorum: sæpe ob colliquationẽ fluxus syntecticus, interdu dyssenteria; quando interiora à malignitate humorum ita aduruntur, ut ad interiora sanguis cum calore trahatur, febris gignitur lypiria.

Verum ipsa natura, nisi impediatur, materiam noxiam ab interioribus ad exteriora sem-

ra ſemper propellere ſtudet per cutem, ſudoribus aut inſenſibili tranſſpiratu; aut ſi per cutem evacuare nequeat, ad emunctoria, & ipſam cutem, ut partem maxime debilem tranſmittit: Vbi ex materia craſſiore coacervata & impacta in una aut pluribus partibus, bubones & carbunculi: Ex tenuiori diſperſa pēr ſumma cutis, maculæ & livores oriuntur. Bubones autem & carbunculi non omnes peſtilentes ſunt, nam alij ſimplices ſunt, qui veneno & inſigni malignitate carent; alij peſtilentes, qui peſtem conſequuntur, orti à facultate expultrice, materiam craſſam, corruptam, ſed minus acrem & aduſtam tranſmittente ad adenes, unde Bubones; vel materiam craſſam, corruptam, aduſtam ad alias cutis partes, unde carbunculi. Itaque *bubo peſtilens* erit *inflammatio in adenum locis erumpens, orta ab humore craſſo corrupto, minus acri & aduſto impacto.* Expellunt enim partes omnes internæ, præcipuè principales noxiam materiam ſæpe ad adenes ſive glanduloſas illas partes, quæ emunctoria communiter dicuntur: ut cor, ad glandulas ſub alis; jecur & lien, ad inguina ejuſque glandulas; cerebrum, ad glandulas poſt aures, unde parotides; aut glandulas cervicis. Initio dum generatur bubo, funiculi aut nervi indurati ſenſum refert, cum dolore

Bubo peſtilens quid.

Differentiæ bubonum. pungente, deinde tumor cum dolore & tensione molestissima augetur, & materia velut in glandulam colligitur. Augetur in alijs celeriter, cum ingenti dolore punctorio, in alijs sensim cum magno dolore; interdum vivido est colore, aliquando œdematosus, cum exiguo dolore, non rarò rubicundus, quandoque lividus & niger. Bubo si statim augeatur, & ad suppurationem festinet, *Phyma:* si inflammatio erysipelatis particeps sit, *phlegethon* appellatur. Erumpit interdum citò ante febrem robore naturæ; sæpius post febrem, aut symptomaticè natura intempestive extimulata ad expulsionem: Commodissimè tamen die critico, ut tertio, quarto, septimo, quia naturam robustam suo munere fungi demonstrant. At si symptomatice erumpant, lentè augeantur, ad maturitatem non tendant, aut subito disspareant, nullo præcedente sudore &c. naturæ jam victæ argumentum sunt, ut latiùs in Prognosticis dicetur.

Carbunculus Ἄνθραξ latinis *Carbunculus* & *Carbo*, Avicennæ *pruna* & *ignis Persicus*, quia ut pruna urit, & carbonis extincti colorem refert; Oritur à sanguine crasso, adusto, corrupto, in atræ bilis naturam converso & impacto, fervore suo in ulcus escharoticū erumpens. Vnde Gal: *lib: de Differ: morb: cap: 12.* morbum compositum esse dicit ex inflammatione

tione & ulcere. Nam propriè est *inflammatio ferventissima gravissimaq́, cum ulcere escharotico, orta ab humore crasso corrupto, adusto & fervente, influente in partem aliquam externam, eamq́ adurente:* Ex adustione enim crusta nigra oritur cum ulcere; ex influxione humoris adusti, inflammatio ferventissima graviter dolens, coloris nigri ad luteum vergentis cum splendore. In principio Carbunculus vix grani milij aut pisi magnitudinē æquat, mox excrescit bubonum instar in rotundam acutam figuram, cū dolore ingente, lancinante, pungente, urente, potissimū noctu; præterea cum dolore infixo: unde à nonnullis *clavus* dicitur, quod dolorem clavo infixo similem inferat. Pars autem, obsessa carbunculo, vehementissimè gravatur tanquam à plumbo: in medio vero carbunculi ingens pruritus. Oritur carbunculus aliquando sine pustula in medio; Nam Gal: in Asia multos carbunculos fuisse scribit, qui citra pustularum ortum cutem excoriarunt: plerumque cum pustula erumpunt, quam si rescindas, subjecta velut à carbone ustulata conspicitur nigra, retorrida, crustosa: circumstans vero caro est coloris iridis cum splendore gemmæ, carbunculi instar: unde à similitudine carbunculi nomen accepit, splendetq́; ut pix aut bitumen. Pestilentes Carbunculi omnes maligni sunt,

Quid Carbunculus.

Differentia.

præcipuè magni lateq; diffusi, tetri coloris, & qui ulcere suo escharotico carnem erodunt & serpunt: aut quando vi inflammationis pars amisso calore nativo in Gangrænam abit. Nam visi sunt carbunculi tantæ magnitudinis, ut solo intuitu medicos terrerent. Deinde ulcus depascens ita aliquando exedit carnem, ut viscera pene appareant, & ossa nuda relinquantur. Omnium gravissima est *Gangræna* præcipue in aut circa truncum corporis; ac in gangrænam partem transijsse signum est, si pars inflata colorem viridem aut nigrum acquirat, & puncta non sentiatur. Ex inflammatione in his tumoribus communicationis ratione febris accenditur. Nam pars calefacta proximam calefacit, donec ad cor dispositio pertingat. Excitatur plerumque febris ante inflammationem, quæ una cum alijs symptomatibus ab inflãmatione postea augetur; non rarò cum inflammatione incipit febris, aut paulò post: rarissimè sine omni febre existit inflammatio. Cætera de Anthracibus infra de Prognosticis proponemus.

Exanthemata, ut petechia. Ex materia tenuiori, transmissa ad cuticulam, exanthemata, maculæ excitantur, præcipue in dorso & pectore, pulicum morsibus non absimiles, quas recentiores *Petechias* ac *Pestechias* appellare solent. Erumpunt

CAP. IIII.

punt maculæ iſtæ citius aut tardius, cum febre aut poſt febrem, ſæpe tertio, quarto, quinto, aut ſeptimo die; aliquando cum bubonibus & anthracibus, non raro ſine his: aliquibus circa mortem aut paulò poſt. Verùm in multis peſte laborantibus maculæ iſtæ non apparent, ac ſæpius febribus peſtilentibus privatis ſuperveniunt. Meliores ſemper ſunt rubentes, multæ, magnæ, die critico erumpentes, ſine ſævis ſymptomatibus. Item quæ intrò non recurrunt, nec citò diſparent, priuſquam tranſſpiratione aut copioſo ſudore diſcutiantur; contrariæ malæ ſunt: Item lividæ, violaceæ, nigræ, ut mox dicetur. Materia corrupta, quæ tumores & maculas excitare debuit, intus manens non rarò in partem præcipuam irruit, interdum inflammationem accerſit, graviſſimaq; ſymptomata ſuprà propoſita, ſæpè ſubitam mortem inducit.

DE SIGNIS PESTIS FEBRISquè Peſtilentis

CAPUT IV.

REſtat, ut de Signis nunc agamus: ac primùm de ijs, quæ futuram peſtem, deinde, quæ præſentem demonſtrant. Signa futuræ peſtis alia ſumuntur à præſentia cauſarum; alia à præ-

præparatione corporis; quædam à medijs dispositionibus. A causis, primò sunt maligni siderum positus, ut Saturni & Martis, aut Iovis, chasmata multa, fulgura tetri odoris, cometa, annus magna ex parte austrinus, pluviosus, sine ventis &c. aquarum inundinationes, aut aquarum stagnantium tetra corruptio: Item terræ motus, pravæ exhalationes ex cadaveribus, antris, avernis, specubus subterraneis &c. Adduntur his fames præcedens, & corruptorum ciborum esus. Conjecturam confirmant, ranarum, locustarum, bufonum, aliorumque reptilium, insectorum, & eorum, quæ ex putredine oriuntur, magnus proventus. Item si grassentur publicè variolę, morbilli, carbunculi, lumbrici, febres pestechiales, alijque morbi putridi: si gravidæ abortus frequẽtes patiantur &c. Variolæ autem & morbilli, frequentes abortus & similia, quia à leviori causa publicè grassantur quam pestis, ideo pestem & antecedere & subsequi solent: præcedunt, si corruptio aëris intendatur, sequũtur, si ingens aëris malignitas, quæ in peste semper reperitur, se multùm remittat.

Signa aeris infecti.

Vbi vero aëris status jam pestilens est, adest contagium vagans; mures latibula sua, aves nidos refugiunt: caro aut panis aëri expositus justo citius putrescit: In plures eodem tempore pestis serpit, sine conversatione, cum

ne cum infectis: & qui per vicos ambulant, facilimè inficiuntur: aliqui in plateis repente corruunt, ſine ullis ſignis in corpore. Bruta interdum proſternuntur, potiſſimum oves, ſues & boves, canes rabie infeſtantur; poma integra, panes aëri expoſiti & carnes multò citius corrumpuntur quam ratio exigit. Præterea eodem tempore, excepta peſte, alij morbi rariſſimè apparent: quòd ſi apparuerint, peſtis plerumque ſe remittit. Nam quamdiu aëris ſtatus peſtilens durat, ſuperflui humores, unde alij morbi, facilime inficiuntur. Vbi aër à ſuperioribus cauſis inficitur, aves nidos & loca ſolita primū refugiunt, milvi, vultures & paſſeres diſcedunt: ubi vero à terra inquinatur, mures & inſecta è latibulis ſuis ad montes & ſuperiora confugiunt &c.

Signa diſpoſitionis corporum ad peſtem.

Secundò ad ſuſcipiendam peſtem paratiſſimi judicantur, qui praua victus ratione utuntur, & corruptos ſuccos congeſſerunt, qui gravibus perturbationibus agitantur, & veneri nimis operam dederunt: qui corpora laxa, rara, putridis morbis obnoxia habent: qui lumbricis ſcatent, ac principalia membra imbecilliora obtinent &c. Nam corpora rara, laxa, ut puerorum, virginum, prægnantium, delicatorum & ſimilium, ab externis aëris injurijs facilimè afficiuntur, contrà corpora denſa, robuſta &c.

In peſti-

Signa pestis instantis sive eorũ qui peste corripiuntur.

In pestilente aêris statu, aut contagio jam vagante, corpus aliquod corruptionem & pestem primùm concipere denunciant mediæ quædam dispositiones, scilicet color faciei mutatus; timor & mæstitia sine manifesta causa, lassitudo spontanea; torpor; sensus inæqualitatis per totũ corpus; prava insomnia; nausea; pruritus nariũ; crebra oscitatio; pandiculatio, & similia.

Signa eorum qui peste iam laborant.

Vbi verò corpus jam inquinatum est, & peste laborat, adest initio plerumque horror; punctiones totius corporis tanquam ab aciculis, capitis ingens dolor & gravitas, plerumq; dolor totius dorsi & stomachi; crebra suspiria; καρδιαλγία; frequentes vomitiones initiò biliosæ, corruptæ, nigræ, pòst aliquando puri sanguinis; excrementa alvi corrupta; in alijs vigiliæ immodicæ; deliria; furor; in alijs magna in somnum propensio; stupor; oblivio: Item palpitationes cordis, magna inquietudo; oris amaritudo; lingua nigra, adusta; stillatio sanguinis è naribus; anhelitus fœtidus: hypochondriorum tensio; vultus ferox aut varius, incertus, more ebriosorum; oculi vivifico splendore destituti flentium oculis persimiles sunt, & non raro rubentes sanguineque suffusi; vox rauca sæpe redditur; ægri à somno excitati vertigine sæpe corripiuntur & inquietudine, & nausea afficiuntur; plerumq;

sitis

itis insatiabilis est, aliquando sitis nulla, id-
ue sine ratione, quod signum est prostratæ
irtutis; interdũ interiora uruntur, exterio-
a frigent, aut fluxus aliquis colliquativus o-
itur. In progressu morbi plerumque bubo-
ies aut anthraces erumpunt; quandoq; ma-
ulæ, ut suprà dictũ est. Crescente malo re-
piratio magna valdeq; inæqualis redditur,
& difficilis; anhelitus fœtidus, frequens ani-
ni defectio; sudor fœtidus; frigus extremi-
atum; linguæ tremor; convulsio, aliaq; gra-
rissima symptomata, quibus subita mors
uccedere solet. Verùm ex his signis nul-
ũ per se pathognomonicum pestis est, citra
liorum complexum & considerationem,
uod inexercitatos plerumque fallere solet:
ebrilis calor mitis est & ad tactum naturalis,
præcipue in exterioribus, sed præter rationẽ
& cum sævissimis symptomatibus, scilicet
pertinace dolore capitis, crebris vomitibus,
cordis palpitationibus, syncope &c. præter-
ea pulsus nunc magis naturalis, nunc minus
quam cæterorum symptomatũ ratio postu-
lat; similiter & urina. Quare ex pulsibus
& urina nulla satis certa signa sumi pos-
sunt. Verùm plerumque pulsus initio,
aliquando in progressu, sanorum similes
sunt, aut paulo frequentiores & debiliores:
diastole minor semper est quàm systole: at
in pro-

Signa differẽtiarum pestis & febris pestilentis.

in progressu plerumque languidiores, frequentiores, minores & inæquales reddun-tur, donec formicantes, deficientes evadant. Pulsus autem moderati sanorum similes fiunt, vel quòd cordis substantia justo sit calidior, & humores contenti frigidiores, vel contrà: talesque pulsus, teste Galeno *lib. 3. de Præsagiis*, in maxima peste acciderunt ijs, qui cæteris perierunt. Itaque si pulsus sint moderati in peste, nunquam fidendum est: Deindè ubi venenata qualitas in substantiam cordis agit, & exigua est putredo in humoribus, urina similis sanorum est, aut parum mutata, interdum nonnihil aquosa: Quo tempore sæpè nec calorem febrilem, nec ullas exacerbationes ægri percipiunt, licet omnium primi moriantur. At si in humoribus insignis putredo fuerit, calor febrilis & exacerbationes appareant, necessario oritur mutatio in urina. Nam putrescentibus humoribus, urina turbida, rubicunda, multa, acris, malè olens, ut plurimum evadit: interdum aquosa, aliquando crassa, nunc biliosa, hinc ex ruffo livescens aut livida, nigra aut sanguinolenta redditur, aliquando pinguis, quod lethale signum est: dejectiones plerumque multæ, crudæ, tenues, in progressu fœtentes, prorsusq; corruptæ ex colliquatione. Magnum signum pestis est fœtidum expirare, & sudores, ructus fœtidos

edere,

CAP. IV.

edere; totumque corpus malè olere, palpitare, animo deficere &c. Characterismus præcipuus pestis & signum maxime pathognomicum est contagium serpens & venenata qualitate cor lædens, ac præter expectationem furtim & latenter vitæ insidians. Nã ubi in loco aliquo morbus apparere inceperit, qui subito & præter expectationem mortem infert, & qui cum ægris conversantur, simili morbi genere opprimuntur, ejusmodi morbus statim nobis suspectus esse debet. At si cum eo morbo symptomata suprà dicta conjungantur, nihil dubitandũ est pestem esse: Prout cor ad venenum se habet, aut venenatam materiam à se expellit, symptomata ista oriuntur. Nam primùm ubi vires cordis tàm debiles sunt, ut venenum aggredi nequeant, sed à veneno primo statim impetu superentur, ægri sine ulla materiæ translatione aut symptomate subitò moriuntur. Vbi verò vires satis robustæ sunt ad venenum propellendum, sanitas nunc cum bubonibus, nunc cum anthracibus, aut exanthematibus, aliquando cum manifesta aliqua excretione succedere solet. At si vires ad expulsionẽ materiæ venenatæ insurgant, deinde vincantur & in pugna deficiant, ægri cum materiæ translatione aut evacuatione aliqua moriuntur. Erumpunt autem maculæ diversæ magnitudinis & co-

Signa motus morbi & excretionis morbifica.

loris non solum in ægris, sed etiam interdū in mortuis, quod signum commemorativū Pestis est, sicut teter odor exhalans à cadaveribus, ulcera tetri odoris & coloris, contagium &c.

Signa prognostica. De futuræ Pestis præcognitione ex malignorum temporum observatione, cæterisq; signis, suprà diximus, ac de naturis pesti præcipuè obnoxijs. Infestantur enim peste maximè corpora rara & laxa ut puerorum, virginum &c. quæ vitiosis humoribus scatent, lumbricis laborant &c. Contra minus infestantur corpora densa, robusta, bonę constitutionis: deinde naturæ, in quibus ad cutem vitiosa excrementa multum propelluntur, ut elephantiaci, scabiosi, qui lue Gallica laborant, aut fistulosa fluentia ulcera in corpore habent, aut cauteria inusta brachijs & cruribus: item qui peste prius laborârunt. Magis grassatur autumno & circa temporum mutationes, ut circa æquinoctium, novilunium, plenilunium, sub prava siderum constitutione, noctu & in aêre nebuloso aut pluvioso. Luna decrescens laborantibus lethalis esse solet, plures enim luna crescente quam decrescente restituuntur. In tenui aêre pestis citius penetrat & grassatur ac velocius interimit: in crasso, calido, humido diutius conservatur. Durat pestis quam diu

diu pestilens aëris status, cessat plerumque circa brumam, vel ubi alij morbi apparere incipiunt. Pestis sua natura morbus valde acutus est maximeque lethalis. Nam interdum exactè peracutus est, aliquando simpliciter peracutus, rarius simpliciter acutus: Vnde aliqui subito aut intra 24. horas moriuntur, aliqui tertio, quarto, quinto, sexto, aut septimo die, aliqui nono aut undecimo, rarius post decimum quartum. Deinde nullus morb⁹ ex se magis perniciosius est, aut in quo signa omnia magis infida sunt, & motus magis incerti inconstantesque: sæpe enim signis bonis apparentibus in urina, pulsu, alijsque, præter expectationem ægri subitò moriuntur. Verùm signa pathognomica prius descripta si parva & obscura fuerint cum virium robore non exiguam spem salutis monstrant: Contrà si augeantur cum virium debilitate, mortem minantur. Summè perniciosum in peste est, vires omnes statim initio concidere, febrem hecticam, syntecticam, aut lypiriam supervenire; item in progressu bubones, anthraces aut exanthemata non apparere, aut, ubi apparuerint, deinde se subducere, aut non criticè sed symptomaticè, proritatione morbi, cum sævis symptomatibus prodire, ægrumque multo deterius se habere &c. Contra bonũ, si criticè

erumpãt, boni coloris sint, & ægri illa translatione multùm leventur: Quo autem bubones & anthraces longius à corde consistunt, & quò in altum citius erumpunt, & ad maturitatem perveniunt, eo magis salutares sunt. Verùm cum impetu & derepente tumores augeri cum pravis symptomatibus; malum est: Item ad maturitatem non tendere; fædi coloris esse &c. ut suprà. Malum quoque est, febrem pravaq́ue symptomata ante tumores oriri, quia tumores supervenientes febrem & symptomata augẽt, vireśque deijciunt. Carbunculi valde magni, fædi coloris, cum ulcere depascente, aut qui in Gangrænam mutantur, lethales sunt. Maculæ quæ Pestechiæ dicuntur, multæ, magnæ, rubentes, si criticè erumpant, & nõ retrocedant, magnum levamen ostendunt. Contra parvæ, paucæ, violaceæ, lividæ, nigræ, & quæ symptomaticè erumpunt, cum sævis accidentibus, aut citius retrocedunt quam discutiantur, perniciosæ sunt, extremumq́ue periculum denunciant. Lethalia sunt in hac, ut in alijs febribus perniciosis vomitus frequentes humoris corrupti, lividi aut nigri; alvi dejectiones tenues, fœtidæ, atræ, lividæ, virescentes; cardialgiæ; frequentes singultus; difficilis & anhelosa respiratio; anhelitus frigidus aut fœtidus; phrenitis; veternus; convulsio; lingua tremula; maxim

ximа anxietas; sitis præter rationem nulla; facies horrida; aspectus inconstans; color oculorum & faciei ad nigrum vergens; urina conturbata, pinguis, nigra aut livescens, cũ suspenso livido aut nigro, crasso divulso; sudor frigidus, syncope; pulsus vermiculans aut formicans; extremorum frigiditas; unguium lividitas &c. Atque hoc modo extincto calore nativo pestis cum vehementissimis symptomatibus ad mortem tendit. Via unica salutis est, ut malignitas corrigatur, humor corruptus è corpore educatur, aut ad partes ignobiles transferatur.

DE PRÆSERVATIONE à Peste

CAPUT V.

PRoposita natura, causis, & signis pestis, febrisque pestilentis, Consequens est, ut de officio Medici agamus, cujus in pestilenti aëris statu & contagio vagante duæ sunt partes: una sanos à Peste præservare; altera ægros aut peste infectos curare, sive pristinæ sanitati restituere. *Præservatio pestis consistit in duobus.* Præservatio autem in duobus posita est: primùm, ut causam præpotentem agentem sive inquinãtem corpora humana, submoveamus; deindè, ut dispositionem corporum ad inquinatione illam removeamus, sive corpora ad pestem suscipiendam minus opor-

tuna reddamus. Causa autem illa in specie est aêr qualitate venenata corruptus, aut contagium vagans, sive halitus venenatus è corporibus infectis manans. Corrumpitur aêr, ut suprà demonstratum est, interdum quia à naturali temperamento recedit; plerumque quia in propria substantia mutatus est, aut quia à susceptis pravis vaporibus inquinatur, malignamque vim naturæ nostræ inimicam acquirit. At primum omnium; quia ex sacris literis constat, pestem à Deo immediate aliquando immitti, propter delicta nostra; & si in ullo morbo, certè in peste quiddam divinum aut supernaturale reperiri, utpote, quod ultionis aut iræ divinæ character sit: ideo ad divina auxilia omnium primò confugiendum erit, & ille devota mente invocandus, qui solus omnes languores nostros perfecte sanat; & quanquam Deus solus omnia mala præsentia & instantia statim avertere & submovere queat, ut in peste illa, qua populum Israëliticum sub Davide percussit; tamen implorato divino auxilio, & adjuvante divina gratia, Medicus multa mala, quæ ab aëre alijsque causis dependent, arte medica inhibere aut leviora reddere potest, adjutus præsidio & authoritate magistratus, cujus officium est, sa-

lu-

luti civium & communis societatis providere, & salutaribus Medicorum consilijs acquiescere in aêre corrigendo & purgando, & in contagione coërcenda. His praevisis, si aêr aut locus aliquis inquinatus sit, nullum consilium, teste Gal: & Hipp: melius est, quam locum illum statim mutare, quod ipsae etiam sacrae literae *Ezech: 7. & Esaiæ 26.* non obscure praecipiunt: unde illud tutissimum est, quod vulgo dici solet, & ex Rhasis *4. ad Almans: cap. de Peste,* desumptum est.

Quomodo præservari corpus debeat in aere pestilẽti.

Mox, longe, tarde, cede, recede, redi.

Quòd si in aêre inquinato manere cogamur, nec fugere liceat, ante omnia & publicè & privatim in domibus corrigendus erit. Quare si inquinationis causa sit à qualitatibus primis, scilicet à calida aut humida, quae putrefactionis mater est, intemperies illae cõtrarijs alterandae erunt, & corpora à caliditate & humiditate tuenda Peculiariter aestate pro contemperanda caliditate aspergantur parietes domus aqua rosarum cum aceto aut oxycrato, sternatur pavimentum recentibus flor: ros: vitis, salicis, myrti, acetosae &c. degant in locis ab Austro aversis, fenestris ad septentrionem spectantibus &c.

Humiditas vero aëris contemperatur, & putredo abſumitur accenſo igne tum per vias, tum in privatis domibus, æſtate parcius, & potiſſimum noctu: hyeme liberalius, ex lignis & herbis ſiccis, ut ex quercu, fago, abiete, pino, erica, junipero, lauro, roremarino, thymo, lavendula, origano & ſimilibus herbis ſiccis odoratis. Calidis temporibus ex ſalice, vite, myrto, ſantalis, roſis &c. Si aër ſit corruptus ex prauis exhalationibus tetriſque halitibus, primùm materia, à qua expirationes illæ oriuntur, tollatur; deinde inquinamenta in aëre ſuſcepta diſpergãtur: tetri autem halitus ſi fuerint ex ſpecubus ſubterraneis vel barathris, aut arctiſſimè occludantur injectâ, calce, arena, aut igne copioſo expurgentur: ſi à cadaveribus, altè ſepeliantur in calce potiſſimum, aut igne longè ab urbibus comburantur: Præterea cloacæ diligenter expurgentur, ac etiam viæ publicæ à cœno, ſtercoribus animalium & ſimilibus. Ac illa omnia removenda tàm publicè quàm privatim in ędibus, unde tetri praviq́ue halitus expirant, aut quæ inquinamenta peſtis augent & conſervant. Si pravi illi halitus excitati ſint ex aquis aut ſtagnis putrefactis & corruptis, ex herbis viroſis injectis, ut ex lino, cãnabe, iſatide, braſſica &c. aut ex cloacis, nil melius eſt quam aquas illas exſiccare, aut puras currentes ſuperinducere

Aer corruptus à ſuſceptis pravis exhalationibus quomodo corrigatur.

cere, fluidasque facere. Tetri vero halitus in aëre suscepti disperguntur commotione aëris à ventis, aut tormẽtis majoribus bellicis excussis: absumũtur & dispergũtur vi ignis ex lignis aut herbis odoratis, quæ speciali proprietate pesti resistunt. Nã magna vis ignis est, Vnde Hipp: in peste Attica ingentes ignes passim succẽdere jussit, & inijcere odoratissima ligna & aromata. Consultissimum est mane vesperiq; in singulis urbis plateis frequentes ignes succendere ex lignis herbisque jam præscriptis, similiter in privatis domibus, ac suffitus, aliaque excitare, ad inquinamenta pestis dissolvenda, ut mox dicetur. Nonnulli præcipiunt, complures boves & vaccas mane & vesperi per urbis plateas agere, ut eorum anhelitu & frequenti mugitu aër ab inquinamentis purgetur. Simili ratione aër corruptus in sua substantia à causis inferioribus corrigi poterit, sed si corruptio sit cælitus demissa, aut à causis superioribus, tentanda quidem sunt omnia jam enumerata; sed quia pestis illa latissime vagatur, & commune flagellum meritò videtur, à Deo constitutum in peccatorum nostrorum pœnam, & vitæ emendationem; ideo decet nos eo magis manum Domini agnoscere, & ad divinã opem supplices confugere: deinde nihil, quod nostri officij est, prætermittere in aëre corrigendo, ut jam

Quomodo corrigatur aer corruptus in sua substantia.

Quomodo in pestilēti contagio homines se gerere debent.

dictum est, & pluribus nunc dicetur. Plerumque pestis contagio vagante serpit, ubi igitur contagium in propinquo est, aut jam præsens, malumq; pluribus communicatur, Magistratus erit, maturè subvenire, & nulla in re officio suo deesse. Nam per diligentem magistratus curam, prudentiam & severitatem pestis, quæ contagione incipit serpitque, omnium maximè cohibetur, & ut plurimum tollitur. Quare si pestis alibi grassetur, magistratus erit homines ex

Magistratus officium in avertenda peste.

infectis locis venientes severè arcere, commercia prohibere &c. si suspicio mali propius accedat urbem, à cœno & immunditie liberare, ac difficultati annonæ prospicere &c. si in ipsa urbe aut oppido jam cœperit, per viros peritos perfecte cognoscere, deinde progressus illius statim omni ratione prohibere. Verùm sæpe fit, ut ægri aut domestici morbum non patefaciant, aliquando ob ignorantiam, sæpe ob malitiam aut diffidentiam, ex metu, ne, ut fieri consuevit, in bonis magnum damnum patiantur, aut ab omnibus deserantur, aut ne concludantur, vel extra urbem deferantur, ibique neglecti maleque tractati, citò misereque pereant. Quibus incommodis magistratum prospicere oportet, & primum saluti totius reipublicæ, deinde singulorum ægrotantium aut suspectorum provi-

providere. Ac primum cum malum incipit, ne longius vagetur, consultum est, ægros suspectosque cum omni supellectile, si fieri queat, extra urbem in nosocomium aut alium locum idoneum statim transferre, eorumque diligentissimam curam habere. Deindè per fidos ministros domos infectas omnemque supellectilem ab inquinamentis minimo civium detrimento expurgare, mortuos altis fossis sepelire, interdum in calce viva: Nebulones, qui seminaria pestis malitiose diffundunt, vestes infectas aliaque distrahunt, severissime punire &c.

Domus infectæ quomodo purgantur.

Domus autem infectæ primum per ministros diligenter scopis mundentur, deinde aceto acerrimo cum aqua singula laventur: ac clausis fenestris suffitus idonei, ut infrà dicetur, excitentur, noctuque ignes luculenti accendantur. Postridie omnes fenestræ aperiantur, præcipue ad aquilonem si cælum serenum sit, quo aër undique perflare possit, atque iterum aceto & aqua irroretur: Tandem post plures dies parietes & pavimentum calce viva obducantur. Circa vestes aliaq; quæ fomitis rationem habent expurganda, major fere cura requiritur. Expurgantur lana, linum, & quæ ex lana linoq; fiunt, similiaque omnia lotione multa cum aqua salsa aut lixivio, addito alumine

Vestium & aliorum fomẽtorum purgãdorũ ratio.

alumine & calce viva. Quidam præcipiunt, quinque diebus aqua salsa fluente immergi, pòst à non infectis aqua dulci lavari, diligenterque exiccari. Quæ lixivio aut aqua mergi nequeunt, ut sericum, vestesque sericæ, plumæ & similia, soli aëri ventisq; aquilonarijs diutius exponantur, & diligenti agitatione, concussione, fustigatione, abstersione mundentur, sæpeque suffumigentur styrace Cal: thure, myrrha, alijsque, ut infrà. Quidam vestes sericas, pelles nobiliores & similia arena tenui siccaque quatuor diebus undique operiunt, deinde aëri exponunt. Item plumas ex lectis eximunt, sordes auferunt, bacillis excutiunt, per conclavia explicant, & caute supra prunas ad suffiendum collocant, tandemq; aceto optimo irrorant. Hoc modo præcipua pestis fomenta ab inquinamentis mundantur. Nonnulli populi ægros & suspectos suis ædibus includunt, & curam expurgandi patrifamilias aut domesticis relinquunt, ob avaritiam & malitiam ministrorum publicorum; quæ ratio minus periculosa est, si ædes ample, patentes alijsq; minus contiguæ sint. Attamē consuetudinē istam includendi ędibus, pollutis nō fuisse salutarē multorum locorū exempla demonstrāt, pręcipuè ubi ædes sunt angustę, non perflatæ, aut quasi suffocatæ, alijsq; ita contiguæ, ut inquinamenta facile communicent.

 CAP. V.

nicent. Vtilissimum ergò est incipiente peste potissimum, ex domo infecta extra urbem suspectos statim in locum non infectū transferre, ægros tamen, si vires & vis morbi patiatur. Nam crudele prorsusque inhumanum est, in vehementissima pugna naturæ & morbi, ægros è lecto rapere, extraque urbes transportare, atque ita eos plane jugulare. Pij igitur boniq; magistratus est, de salute omnium & singulorum solicitum esse, & pro ægris curandis & suspectis præservandis, peritos medicos, chirurgos & clinicos habere, deinde alimentis & omnibus medicamētis necessarijs prospicere, de quibus infrà pluribus dicetur. Quæ omnia ut rite perficiantur, requiritur *Nosocomium* omnibus necessarijs instructum, in varias habitationes distinctum pro viris & fœminis, quarum aliæ solos peste laborantes capiant, aliæ suspectos, reliquæ convalescentes ad quadragesimum diem, quo perfectè liberati in proprias ædes reverti queant. Verùm priusquam redeant, & sanis misceantur, in aëre libero pluribus diebus semper vivant, vestesque mutent &c. Tandem publicè interest, vitare frequentiam multitudinis, balnea publica, ac imprimis loca illa, ubi viget pestis, & consuetudinem cum ægris suspectis, aut ministrantibus: Item nil ex locis infectis exportare, nec ulla contrectare, quæ

quæ in usum ægrotantium & ministrantium venerunt. Atque in his alijsq; moderandis, requiritur non levis solicitudo & prudentia magistratus.

Privata singulorũ cura ut præserventur à peste.

Privatim vero pestis suspicione prius accedente, consultùm est, ut singuli cives potiorem rei domesticæ partem in tutiorem locum deferant, aut proprio earundem ædium loco diligentissime occludant. Qui fugere possunt, citò, antequam infectio latius serpat, & inquinamenta ulla suscipiant, fugere oportet: deindè longè recedere extra infectæ regionis limites, in locum salubrem, ventis septentrionalibus expositum: denique ibi morari, nec priùs reverti, quàm aëris extincta prorsus sit corruptio, & pristinam integritatem receperit. Nam periculosissimus est ex loco salubri in insalubrem transitus, multoque consultius fuisset, aliò non commmigrasse, atque publicæ aëris malignitati paulatim assuevisse. Qui verò fugere nequeunt, laborare debent, ut totius familiæ suæ diligentissimam curam habeant, singulis prospiciant, & à suspectis personis, locis, rebusque prohibeant, domi contineant &c. Deindè, ut domi suæ aërem purum habeant, omniaque munda, præcipuè vestimenta; ciboſque salubres; ac, cùm in publicum prodeunt, ut corpus muniant &c. Corrigitur aer domi

aër domi varijs modis, primùm irrorationibus aquæ rosarum cum aceto, aut vapore ex aceto affuso silicibus candentibus. Rhases suadet lintea aceto macerare, & aulæorum loco parietibus affigere: Calidioribus temporibus pavimenta conspergere flor: rosarum, nymphææ, fol: vitis, salicis &c. Æstate calidioribusque temporibus satius est, uti aceto rosaceo, aut infusionis santalorum, Vel,

V. *Ratio corrigendi aerem in domibus.*

℞ *aquæ rosar:* ℔ ij.
aceti rosacei ℔ j.
pul: santalorum albor: & citr: ana ℥ ij s.
camphora ʒ s.
misce; frigidioribus temporibus laudatur magis acetum rutaceum, aut infusionis angelicæ, scordij &c. addito vino odoratissimo, aqua damascena, lavendulæ & similibus. Deindè noctu potissimum excitentur in cubiculis ignes luculenti ex quercu, fago, abiete, Iunipero &c. Nam ignis seminaria pestis consumit, sed calido tempore post ignes domus posca aspergatur, alijsque refrigerantibus, ut suprà: Mane & vesperi potissimum clausis fenestris suffitus excitentur ex styrace cal: Benzoino, thure, ladano, myrrha, succino, ligno aloes, baccis juniperi, lauri, fol: lavendulæ, rorismarini &c. Calidioribus temporibus ex folijs quercus, santalis, rosis &c. addita camphora.

phora. Ex his & similibus parantur varij pulveres pro fumo, ac etiam cum mucilagine gummi Arabici & tragacanthi trochisci, addito pro ditioribus moscho, **ambra &c.** Veluti

℞ *styracis calamitæ,*
benzoini ana ℥ ij s.
thuris,
santali citrini,
albi,
ligni aloes,
ladani ana ℥ j.
garyophyllorum ℈ s.
moschi gr: vij.
sacchari candi ℥ j.

cum mucilagine gummi tragacanthi & Arabici ex aqua rosarum: fiant trochisci.

Vel ℞ *baccar: juniperi,*
Ramentorum ligni juniperi ana ℥ j s.
thuris,
ladani ana ℥ s.
succini,
styracis cal:
myrrhæ ana ℥ ij,
santali citrini ℥ j.

fiat pulvis grossus. Pauperioribus sufficiunt suffitus ex fol: quercus, baccis juniperi &c. Averrhoes ex peculiari proprietate commendat suffitus ex styrace, costo & galbano; Item ex terebinthina, quam singulari pro-

prie-

prietate pesti adversari putat: aliqui eodem modo utuntur resina pini, & pice cum myrrha &c. Lemnius aliiq́ue nonnulli probant odores fœtidos & suffitus ex cornibus combustis, vel ex pulvere bombardario, sulphure, asa fœtida, galbano, sagapeno &c. Paracelsus ex *sulphuris lib. 1. myrrhæ* ℥ iij. *thuris* ℥ viij. *gummi opoponacis* ʒ j. *asæ fœtidæ* ℥ j. *pulverem parat, addito duplo Corticum baccarum lauri & succini parte dimidia*, quo singulis horis fere domus suffumigetur. Laudatur hic pulvis

℞ *Cornu hirci olidiss:* m j s.
baccar: juniperi m ij.
fol: rutæ,
quercus,
sabinæ,
rad: helenij ana m j.
myrrhæ ℥ ij.

misce, fiat pulvis, quo mane & vesperi domus suffumigetur. Nonnulli pro singulari pestis præcautione, domi ac in cubiculo suo hircum alunt, quo tetro suo nidore malignā aëris vim discutiat & extinguat. Praeterea aliqui sunt, qui ad pestis præcautionem fœdissimum cloacæ & similium nidorem olfaciendum esse contendunt, quo natura talibus assueta ab aëris pestilentis malignitate minus offendatur; itidem cadavera canum & felum in vijs putrescere sinunt, quo hinc

Qui fœtidiodores in peste conveniunt.

ſublatus putridus vapor ambientem aërem impleat & inquinamenta abſorbeat. Verum licet venena venenorum interdum ſint remedia; tamen quia conſtat, fœdos vapores, qui ex latrinis & cadaveribus emanant, humidi calidi ratione, aërem primum inficere, & in corporibus noſtris putridos morbos procreare; probabile non videtur, eos peſtis inquinamenta mutare & abſumere, cum cauſa peſtis omni putredine efficacior ſit, & in aêre humido calidoq́ue potiſſimum conſervetur & augeatur: ſed eos potius fœtidos odores, qui vi exiccandi pollent, quibus tamen rarius parciuſq́ue uti conſultum eſt. Nam aſſueſcere nimium fœtidis, non modo ingratum & obſcœnum eſt, ſed etiam periculoſum, & cordi cerebroq́ue inimicum. Deindè veſtes laneæ, pelliceæ, aliæq́ue, quæ peſtis inquinamenta facilimè recipiunt, non probantur, ſed potius ſericæ, non villoſæ, lineæ &c. Conſpergantur ſæpe aqua roſarum cum aceto, & exſiccentur, aut injectis ſilicibus candentibus vaporem aquæ roſarum & áceti excipiant. Veſtes ſint ſemper mundæ, ſæpius permutentur, in aêre libero ſuſpendantur, bacillis concutiantur, ſuffumigentur aliquo pulvere præſcripto, aut uſitato pulvere Matthioli pro veſtibus. Præterea exeundum domo non

est ante solis ortum, nec cœlo pluvioso, aut valdè nebuloso: cum quis in publicum exit, caveat frequentiam multitudinis, & os à colloquente aversum habeat, ne illius vitiosos halitus inspiratione attrahat; quādo cū suspectis aut ignotis loquitur, diligenter ventorum motum observet, ut halitum omnē colloquentiū abigat. Caveat sibi suisq; potissimum circa novilunia, plenilunia, æquinoctia, malignos siderum positus. Deindè ante nares & os teneat, cum exit, vel spongiam imbutam aceto, vel pomum, aut orbiculum suavem. Acetum autem pro spongijs calidis temporibus sit acetum rosaceum, aut infusionis santalorum cum modico camphoræ &c. frigidis temporibus acetum rutaceum cum theriaca, vel acetum descriptionis Matthioli.

Quid faciendum cū quis in publicum exit.

Vel:

℞ *gr: juniperi* ℥ j.
rutæ,
scordij ana ℥ s.
santali citr:
rad: angelicæ,
valerianæ,
aristolochiæ,
zedoariæ ana ʒ j s.
myrrhæ ʒ j s.
pulverizentur grosso modo, & infunde in aceto vini ℔ iij s.

Poma odorata parantur ex styrace, benzoino, ladano, ligno aloes, rad: iridis, garyophyllis, item ambra, moscho, & zibetho &c. sed æstate pro calidis naturis cum santalis, rosis, flor: nymphææ, camphora &c. cum mucilag: gummi tragac: ut

℞ *ladani* ℥ j.
styracis calamitæ,
benzoini ana ℥ s.
ligni aloes,
Iridis flor: ana ʒ j.
spicæ,
nucis moschatæ ana ℈ j.
pulverizentur, & cum mucilagine gummi tragacanthi incorporentur, addendo olei cinnamomi gut: ij.
olei cort: citri,
garyophyll: destill: ana gut: iij.
moschi,
ambræ, ana ℈ s.
zibethi gr: v.
fiat Massa. Pro calidis naturis
℞ *styracis calamitæ,*
benzoini ana ℥ s.
ladani ʒ vj.
santali citrini & albi ana ℥ s.
flor: nymphææ,
violarum ana ʒ ij.
rosarum rubr: odoratiss: ʒ vj.
camphoræ ʒ s.

moschi

moschi gr: iiij.

cum mucilagine gummi tragacanthi ex aqua rosarum, & modico terebinthina Veneta lota aqua rosarum, fiat Massa pro pomis. Verùm in usu horũ observandum est, pro fœminis hystericis, quæ suaveolentibus offenduntur, substituenda esse castoreum, asam fœtidam, galbanum, aut rutam maceratã in aceto &c. Pro viris qui cephalalgia aut calida cerebri intemperie laborant, quia valde odoratis offenduntur, minùs odorata convenire. Præterea si suspicio sit aëris infecti, priusquam domo exeat, os & dentes diligenter abluat aceto solo, vel aceto rosaceo, aqua rosarum, & modico vini odoriferi, in quibus macerari poterit nonnihil corticum citri, zedoariæ, angelicæ &c. aut spongijs hoc aceto tinctis, abluatur quoq; facies. Deinde gestent in ore & masticent aliquid corticum citri, vel zedoariæ, vel angelicæ maceratæ in aceto, & similia, vel trochiscos usitatos, ut moscardinos, aut Cratonis. Vel

℞ *rad: Angelicæ,*
Zedoariæ ana ℥j s.
dictami albi,
fol: scordij ana ℈ ij.
cortic: citri odoratiss: ℥ ij.
ligni aloes,
iridis flor: ana ℥ s.
olei garyophyll: gut: iij.

olei sem: angelicæ, vel cort: citri ana gut: ij.
moschi & ambræ ana gr: ij.
sacchari candi ℥ i s.

Cum mucilagine gummi tragac: ex aqua rof: fiant trochisci. Addi poterit aliquid Thericæ optimæ. Præterea nares inungantur æstate aceto & aqua rosar: cum modico camphoræ, aut infusionis santal: hyeme frigidisque temporibus & locis, theriacá cum succo rutæ &c. Parantur in hos usus, ac pro corde confortando, ex oleis destillatis varia balsama & linimenta, ut ex oleis cort: citri, sem: angelicæ, rutæ, juniperi, garyophyllorum, cinnamomi, succini, lavendulæ, nucis moschatæ &c. Balsama ex his oleis destillatis pluribus modis parantur, aliqui assumunt butyri loti part: iiij. ceræ albæ lotæ part: j. eique massæ ℥ j. miscent olei destillati ℈ s. vel gut: viij. Nonnulli loco butyri & ceræ utuntur recente spermate ceti aut oleo nucis moschatæ expresso. Veluti

℞ *olei nucis moschatæ per exp:* ℥ ij.
olei sem: angelicæ,
olei sem: rutæ,
olei cort: citri ana gut: v.
olei cinnamomi gut: j.
olei garyophyll: gut: ij.
commisceantur diligentissime, fiat balsamũ, additis theriacæ ℥ j.
moschi & ambræ ana gr: ij.

fiat

fiat linimentum illinendum naribus, temporibus, interioribus partibus aurium, aliquando carpis & regioni cordis. Parantur linimenta pro corde frigidis temporibus & naturis, ex theriaca aut mithridatio, ſpec: cordialibus temperatis myrrha, cum oleo ſpicæ, aceto rutaceo aut flor: garyophyllorum &c. Calidis temporibus & naturis, ex modico theriacæ cum ſucco limonum, acidi citri, camphora, ſpec: cordialibus frigidis, diamarg: frig: unguento nenupharino Guainerij &c. Præſtantiſſimum putatur linimentum ex adipe ſerpentum, theriaca & ſucco citri. Commendatur plurimum, & in præſervatione & curatione peſtis, oleum ſcorpionum compoſitum deſcriptum à Matthiolo comm: ſupra Dioſcoridem, Item oleum viperarū Magni Ducis. His oleis quater in die inungantur nares, tempora, pulſus, carpi, regio cordis &c. Adhibentur etiam cordi ad corroborationem, ne ab inquinamentis afficiatur, ſacculi, emplaſtra, aliaque pro corporis diſpoſitione temporiſque ratione. Veluti, pro minus frigidis naturis

℞ *flor: borrag:*
bugloſ:
roſar: rubr:
nymphææ ana P ij.
meliſſæ,
roriſmarini,

scordij ana ℈ j.
santali citrini,
albi,
ben albi & rubri,
sem: acetosæ,
cort: citri ana ʒ j.
sem: ocimi,
corallorum rubr:
ligni aloes,
zedoariæ ana ʒ s.
croci,
garyophyll: ana ℈ s.
diamosc: dul: ʒ s.
moschi & ambræ ana gr: iij.

pulverizentur subtiliter & cum syndone rubra fiat sacculus cordialis interbastatus, qui, postquam irroraveris aceto rosaceo æstate, vino malvatico aut aqua cinnamomi hyeme, regioni cordis admoveatur.

Amuleta. Commendantur à præstantibus medicis ad inquinamēta à corde discutienda varia Amuleta, quorum usitatissimum est illud Carpi ex solo arsenico, aut Paracelsi ex Arsenico cum pulvere bufonis & speciebus nonnullis cordialibus &c.

℞ *pul: bufonis exiccati* ʒ j s.
arsenici citrini & cristallini ana ʒ vj.
pul: diptami,
tormentillæ ana ʒ j s.
margarit: præp:

santali

santali citrini ana ℈ ij.
croci ʒ s.
hyacinthi,
smaragdi præp: ℈ j.
pulverizentur, & cum mucilagine gummi Arabici fiat Pasta pro Amuleto, suspendendo cum linteo raro super regionem cordis. Mercurialis hanc compositionem probat
℞ *arsenici cristall:* ℥ ij.
diptami,
croci ana ℥ ij.
camphoræ,
euphorbij ana ℥ j.
pulverizentur, & cum mucilagine gummi Arabici fiat pasta. Existimant nonnulli hoc medicamento cor ita veneno assuefieri, ut veneno facilius resistat, aut quod probabilius est, ipsum medicamentum venenum à corde evocare sive attrahere, & caliditatis ratione, & totius substantiæ similitudine; Nam Gal: *5. de Simpl: Med: cap. 18.* asserit, deleteria evacuari à foris impositis medicamentis duplici modo: vel caliditate attrahente, vel totius substantiæ similitudine; cujus ratione percussi à scorpione ab eodem imposito sanantur. Arbitrantur etiam nonnulli, arsenicum præter venenatam qualitatem vehementer siccum esse, & siccitate sua pravas humiditates absumere, & inquinamenta discutere, ac proindè cordi prodesse

tum attrahendo interius, caliditate & substantiæ similitudine, tùm discutiendo pestis inquinamenta. Verùm licet concedi queat, arsenicum substantiæ similitudine venenum attrahere, aut pestis inquinamenta dispergere, tamen quia tota substantia nobis contrarium est, in sanis, ubi nulla adest veneni suspicio, tutus ejus usus esse nequit, potissimum in tenellis, qui raræ sunt texturæ, si cuti proximè admoveatur, aut post sudores apertis poris: unde nonnulli imminente peste, ubi actu in aêre inquinato vivunt, jubent hoc Amuletum cuti adhibere, alioqui aliquid interponere. Quidam probant Amuletum ex argento vivo, incluso putamini nucis juglandis, exempto prius nucleo per angustum foramen, si à collo suspendatur, ut regionem cordis attingat. Ab Avicenna & Marsilio probatur smaragdus aut ebur à collo suspensum, ut nudum pectus attingat; A Serapione Topazium. Eodem modo rad: plantag: aut corralli, qui in pueris & gravidis potissimum probantur. Hæc aut similia extrinsecus adhibentur, ut corpora à pestis inquinamentis conservent.

Medicamenta assumpta pro præservatione.

Intrinsecus verò conveniunt proprie alexipharmaca, quę pestilenti malignitati resistunt, & ab inquinamentis corpora defendunt, quorum legitimus usus requirit, ut dis

ut dispositionem corporum ad pestis inquinamenta facile suscipienda primum removeamus. Nam pestis licet morbus Epidemius sive communis sit, omnes tamen non æquè afficit, cùm omnium corpora nō æquè sint huic malo oportuna. In genere illi maximè oportuni videntur ad pestem, quorum vis cordis infirmior, & calor nativus debilior, quàm ut malignitatem superare queat, qualia sunt corpora humida laxa magis quàm sicca, corpora raræ texturæ & debilia, ut puerorum, puellarum, gravidarum, deinde corpora, quæ multis superfluitatibus referta sunt. Nam hæ nativum calorem debilitant, & in peste facile inquinantur. Itaque qui in pestilenti loco degere cogitur, ad præservationem præter aëris correctionem, usumque alexipharmacorum decet primùm corpus à superfluis humoribus evacuare, nimirum plenitudinem & cacochymiam omnem tollere, & obstructiones aperire; deinde à vitiosis humoribus præcavere, & putrefactionem cohibere, corpusque exsiccare; tertio robur cordis & caloris nativi augere, & viscera confortare. Perficiuntur hæc triplici genere remediorum; Diæta, Chirurgia, & Medicamentis.

Quomodo removetur dispositio corporis ad pestis inquinamēta suscipienda.

Diæta conveniens utilis potissimum est; ut corpus à vitiosis humoribus preservemus,

Diata.

mus,

mus, & putrefactionem caveamus. Debet autem victus ratio, quæ in usu sex rerum nō naturaliū consistit, ita institui, ut ad siccitatem potissimū inclinet, corpus excrementis vacuet, optimeque transspiret. De Aëre corrigendo suprà dictum est. Cavendum autem est ab aëre nebuloso, concluso, humido, à nimis calido, à ventis meridionalibus, aut venientibus ex stagnis, paludibus aut locis infectis. Ne autem corpus ab aëris inquinamentis facilè afficiatur, ignis domi accendendus, & clausis fenestris sæpius suffitus instituendus, ut dictum est. Nunquam si fieri queat; domo egrediendum ante solis exortum, aut nebularum discussionem: cavenda etiam est noctu luna, ejusque radij; fugiendi congressus hominum; diligenter corpus muniendum in novilunio, plenilunio, in æquinoctijs, & malignis siderū constitutionibus.

Aer.

Deindè in cibo & potu mediocritas servanda, & vitanda ebrietas, & satietas, nec plus assumendum, quàm natura exigat, & ventriculus probè cōcoquere queat. Cibi autem sint boni succi, pauci excrementi, facilis concoctionis, & putredini minimè obnoxij, quales sunt panis triticeus fermentatus, bene coctus in fornace, non recens ut caleat, nec vetus: carnes pullorum gallinæ, caponis, perdicum, phasianorum, avicularum montanarum

De cibo & potu.

tanarum, vituli, hædi, vervecis junioris, leporis junioris, lingua bubula &c. Pisces saxatiles, & quæ mollem friabilem carnem habent, ut perca, lucius &c. ova recentia tremula. Ex fructibus amygdalæ amaræ, nuces pineæ, passulæ, mala citrina, limones, aurantia, cappares, aridæ ficus cum nucibus juglandibus, cerasa acida &c. Ex herbis pro acetarijs probantur acetosa, portulaca, lactuca, intybus, nasturtium, pimpinella, buglossũ &c. pro cibis condiendis acetosa, pimpinella, fœniculũ, petroselinum, hyssopus, majorana, thymus, rosmarinus, menta, borrago, buglossum, calendula & similia Condiantur quoque pisces & carnes aceto aut succis acidis, ut agresta, succo acetosæ, limonum, acidi citri, auranciorum, granatorum acidorum, ribes, berberum &c. Aceto & succis acidis ad intinctus inspergendi sunt pulveres cordiaci, quales parantur ex margaritis, corallis, rasura cornu cervi & eboris, cinnamomo, tormentilla, nuce moschata, maci, zedoaria, garyophyllis, croco & similibus: frigidis naturis frigidisque temporibus calidiora debentur. Abstinendum est à cibis qui facile corrumpuntur, ut à fructibus horarijs, exceptis acidis; à lacte, nisi acido, & à cibis acribus nisi ab allijs, raphano, nasturtio cum aceto, pro assuetis robustisq; potissimum. Vitanda sunt multa juscula nisi

succo

ſucco aliquo acido condiantur. Aſſa ſuo humore turgentia magis quam elixa probantur, niſi valde calidis ſiccisſque temporibus, & tùm in prandio elixa præferunt, cæna magis aſſa. Deinde abſtinendum ab uſu ciborum valde pinguium, & qui tardè digeruntur, aut ſuccum excrementitium aut pravum gignunt, ut à carne porcina, bubula, cervina, ovilla, anatis, anſeris, aliorumque quæ in locis aquoſis degunt, ab anguillis &c. à leguminibus omnibus, à braſſica, alijsſque ſimilibus. Tertio unico ſimplici cibo in brandio aut cœna qualibet utendum, & à magna ciborum varietate cavendum, quæ cruditates & corruptionem plerumque pariunt. Præterea nimia cibi potusſque ſatietas tanquam peſtis vitanda eſt, quæ calorem nativum obruit, concoctiones impedit. Quotidiè pro conſuetudine cibo bis aut ter utendum, & à ſiti & fame potiſſimum cavendum, ac ſemper, priusſquam domo egrediatur, convenit aliquid alimenti guſtare, ac corpus alexipharmaco munire, ne ventriculus parteſque famelicæ aërem putridum attrahant. Detur itaque manè, priusſquam domo exeat, aut ovum ſorbile cum momento pulveris alicujus cardiaci, aut toſta panis vino odorifero madefactus, cui inſpergatur aliquid pulveris bezoartici aut folia rutæ cum

tæ cum pane & butyro, vel aliquid Elect: de nucibus, vel haustus vini absinthitis aut simile, de quibus infrà pluribus dicetur. Potus usitatus cum cibo sit vinum tenue odoriferum, aut dilutum aqua; vel cerevisia minus potens jucundi saporis, bene cocta aut defæcata. Probatur potus conditus absinthio vel pimpinella, buglos: melissa &c. Calidis temporibus ad sitim restinguendam detur aqua hordei, aut aqua saccarata prius decocta cum limatura cornu cervi, aut mixta cum succo acidi citri, limonum &c. Item julep rosarum, aut oxysacchara cum aqua acetosæ & similibus.

Exercitationes moderatæ instituantur ante cibum, non ad sudorem usque, ne pori immodicè aperiantur, neque ad magnam respirationis mutationem, ne propter necessitatem majorem aëris inquinati copiam attrahamus. A crebra magnaque respiratione cavendum in locis publicis, ubi aër inquinatus est, & in suspectis, quòd crebra magnaque inspiratione cum aëre pestis seminaria copiosè attrahantur. *Exercitia.*

Venus immodica imprimis vitanda, quia vires enervat, & corpus ad pestem disponit; quemadmodum & crebra balnea laconica, quæ planè interdicenda sunt. *Venus.*

In somno mediocritas servetur iuxta *Somnus.*

ætatem

ætatem, naturam & consuetudinem, sed si suspicio sit attracti veneni, somnus sit perexiguus. Nam per somnum cum calore inquinamenta concepta ad interiora recurrunt: A somno meridiano prorsus abstinendum; Dormiant autem in cubiculo fenestris ad septentrionem aut ortum spectantibus, in aëre puro, siccoque, ab omni pravo odore & vapore libero, excitenturq; mane & vesperi suffitus, aliaque ut suprà.

Animi affectus. Animi perturbationes fugiendæ, inprimis metus & tristitia, deinde ira; quia spiritus & humores commovent, ut promptius inquinamenta suscipiant: proinde tempore pestis decet animo hilari & tranquillo esse.

Excreta & retenta. In excretis & retentis modus naturæ servandus est. Nam evacuatio naturalis & consueta servanda sive per alvum, urinas, uterum, sudores, sive per hæmorrhoides, nares, sive per ulcera, fistulas aut cauteria. Vbi igitur suppressa fuerint, omni ingenio revocanda, alvusque quotidie, si non sponte, medicamento excitetur.

Chirurgia.. Phlebotomia. Ad chirurgica præsidia quod attinet, ubi corpus sanguine abundat, præcipiunt plerique venæ sectionem, si vires ferre queant. Verùm cum venæ sectio plurimū spiritus exhauriat & humores commoveat, ut promptius aërem pestilentem suscipiāt, ideo qui in aêre pestilenti degunt nisi adsit pleni-

CAP. V.

plenitudo quo ad vasa, aut consueta sanguinis evacuatio prætermissa, venam secare nō debent, sed potius redundantiam illam evacuare inedia, tenui victu, medicamentis alvum blandè subducentibus, sanguinemque mundificantibus, & quæ tenues humores dissolvunt, crassos attenuat, corpus transspirabile reddunt. Verùm ubi necessitas exigit, aut consueta sanguinis evacuatio suppressa est, & homo huic remedio assuetus, utile est sanguinem detrahere, sed minùs quam vires patiuntur, & si ulla ratione suspectæ sint vires, ex minoribus venis potius quam majoribus, quæ tantum spiritus non exhauriunt: Deindè imperare ut aërem corruptum fugiant, nec statim in publicum prodeant. Vbi suspecta est venæ sectio, pro tollenda plenitudine prodest uti scarificatione crurum & brachiorum cum cucurbitulis: quidam etiam natibus cucurbitulas admovent. Commendantur plurimum cauteria & fonticuli in brachijs & cruribus, quorum vi humores ab interioribus ad exteriora trahuntur, & pravi ichores corporis, qui ad corruptionem paratissimi sunt, continuo ductu evacuātur, proindè nihil melius est, quàm tempore pestis duo cauteria excitare; unum in sinistro brachio, alterum in dextro crure. Nam hujus remedij beneficio

Cucurbitulæ cum scarificatione.

Cauteria.

multi clinici plurimos peste infectos impune tractarunt.

Medicamēta. Medicamenta in pestis præservatione, alia intra corpus assumuntur, alia exterius admoventur. Assumuntur, quæ redundantes humores evacuant & præparant, obstructiones aperiunt, aut ab inquinamentis corpus muniunt, & cor confortant. *Purgantia & præparantia.* Evacuantia autem potissimùm eligenda sunt, quæ nullam malignam aut pravam qualitatem habent, nec humores conturbant, corpusq́ue debilitant, sed quæ blandè evacuant, & simul putredini resistunt, aut bezoartica admista habent, cujus generis sunt pilulæ pestilentiales, quæ adscribuntur Ruffo, ex aloe, myrrha & croco: addunt nonnulli ammoniacum, aut pro croco substituunt. Verùm quia hoc remedium calidis temporibus & naturis nimium calefacit, aperit, & spiritus dissolvit, ideo aliqui aloen abluunt succo ros: aut acido citri, & pro myrrha substituunt bolum Armen: adduntq́ue aliquid camphoræ, corallorum, santalorum, & nonnunqua rhabarbari: At frigidis temporibus, pro naturis pituitosis, agaricum, cujus generis compositiones à Marsilio, Palmario, alijsq́ue compluribus recensentur. Probantur etiam pil: Ruffi cum flor: sulphuris sublimatis cum myrrha, aloe & croco.

℞ *aloes zocotar:* ℥ s.

flor:

flor: sulphuris sublimati cum aloe, myrrha & croco ℥ j.
myrrhæ,
gum: ammoniaci optimi ana ℈ ij,
croci ℈ s.
cum syr: acetositatis citri, fiat Massa: & pro ℥ j. *pil: num:* vij. *sumantur, semel in hebdomada ad minimum.* In calidis naturis pro myrrha & croco substituantur santali citrini & bolus Arm: & addatur aliquid rhabarbari, & grana aliquot camphoræ, ac aloe maceretur in succo rosarum & acidi citri. Cõmendantur Tabulæ liberantis cum aloe; sumantur *sp: liberantis sine bolo* ʒ ij.
aloes zocotar: ʒ j. *aut* ʒ j s.
sacchari albi q. s. solve aqua buglossæ & cardui benedicti. fiat confectio in rotulis aut tabulis. Verùm illi potissimum qui calidiore sunt corporis constitutione, aut fluxu hæmorrhoidum laborant, quia diuturno pilularum usu sæpe læduntur: satius videtur pro pilulis septimo aut octavo die leniter purgare ut syr; de cichoreo cum rhabarbaro, cũ diluto rhabarbarbari, aut Tabulis de Rhabarbaro Cratonis & similibus. Initio à levioribus incipiendũ, & si aliqua fuerit cruditas in venis, humores præparãdi & obstructiones aperiẽdæ medicamẽtis appropriatis, quorũ plurima est sylva, sed ea eligenda sunt, quæ humori peccanti & naturæ conveniunt, simulq;

Præparantia humores.

malignitati resistunt. Quorum pleraque in curatione quoque locum habent, de quibus sequenti capite latius dicetur; Veluti lenitâ prius alvo clystere, vel alio medicamento, si multa crassorum crudorum humorum copia circa viscera primasque venas fuerit,

℞ *syr: capill: ven:*
cort: citri,
oxymelitis simpl: ana ℥ j.
Aquæ carduibenedicti,
scabiosæ,
buglossæ ana ℥ ij.
spiritus vitrioli ad gratam aciditatem, misce, fiat julep.

Vtile est parare oxymel ex aquæ cardiacæ ut carduibenedicti, scordij &c. partibus iij. aceti & succi acidi citri ana parte j. cum mellis q. s. aromatizetur pul: cinnamomi, ligni aloes &c. præparatus humor purgetur.

℞ *rad: helenij,*
scorzoneræ,
pimpinellæ ana ℥ s.
polypodij quercini ʒ vj.
cort: citri ʒ iij.
sem: anisi,
carduibenedicti ana ʒ j s.
fol: scabiosæ,
agrimoniæ.
veronicæ,
scordij ana m s.

betonicæ

betonicæ,
carduibenedicti,
flor: borrag:
buglos:
calendulæ ana ℞ j.
passularum enucleat: ℥ j.
concisa coquantur in aqua pura fontana q. s. ad dimidias, addendo sub finem vini albi odoriferi ℔ s. *In Colaturæ* ℥ x. *infunde fol: senæ Alex: sine stipit:* ʒ vj.
agarici troch: ʒ j s.
turbith albi gum: ʒ j.
rhabarb: electi ℈ iiij.
scænanthi gr: vj.
zinziberis albi ʒ s.
zedoariæ,
cinnamomi electi ana ℈ j.
deindè leviter bulliant, Colentur cum expressione, colaturæ admisce syr: capill: ven:
Diasereos ana ℥ j.
fiat Apozema, pro duabus vicibus. Robustis addi poterunt Diacarthami ʒ ij. Verùm à validis abstinendum est, nisi in robustis, qui lenioribus non moventur. Si humor redundans sit biliosus aut melancholicus, procedendum ferè, ut in curatione dicetur.

Purgato corpore & evacuata omni cacochymia, ut convenienti diæta & medicamentis corpus exiccemus, laborandum est, & ab humorum inutilium redundãtia con- *Alterãtia & Alexipharmaca.*

ſervemus, tranſſpirabile reddamus, vires cordis & caloris nativi conſervemus, & ab inquinamentis muniamus. Medicamenta autem illa prophylactica, quæ non ſolùm in curatione, ſed etiam in præſervatione locum habent, & quæ venenatæ qualitati reſiſtunt, corpuſq́ue muniunt, alexipharmaca & alexiteria vocantur; quæ unius generis non ſunt. Nam quædam ſola ſubſtantiæ proprietate, ſive occulta qualitate agunt, ut lapis bezoar, aurum &c. in quorum numero ſunt etiam venena, quatenus venenorum ſunt remedia, ut troch: de Vipera, Arſenicum, oleum ſcorpionum, viperinum &c. Alia ſimul manifeſta qualitate in peſte juvant. Nam in peſte duplicia requiruntur remedia, quorum alia putredinis venenatæ generationi, partiumq́ue diſſolutioni reſiſtunt, ſpiritus & cor firmant, & aſtrictione quadam roborant, quæ ſua natura ſicca frigidaq́ue ſunt, ut bolus Armenus, terra ſigillata, coralli, cornu cervi, ebur, margaritæ, gemmæ &c. Alia putredinem tollunt, & aut putredinem & malignitatem refrenant & extingvunt, ut frigida tenuium partium, nimirùm ſuccus limonum, acidi citri, acetoſæ, troch: de Camphora, ſpiritus vitrioli: Aut ſpiritus & vapores venenatos diſſipant & conſumunt, ut à corde ad exteriora propellant,

Differentia Alexipharmacorum.

pellant, ut theriaca, Mithridatium, rad: angelicæ &c. aliaque calida diaphoretica. Nam in specie ex medicamentis simplicibus calidis, quæ naturis potissimum frigidis, minusq; calido tempore in peste commendantur, sunt Angelica, Aristolochia utraq; ambra, aloe, allium, absinthium, sal arthemisiæ, aut absinthij, aut fraxini, radices bistortæ, buglossa, borrago, corallina, fol: & sem: cardui benedicti, flor: caledulæ, centaureum minus, sem: & cort: citri, chelidonium majus, dictamus albus & Creticus, ficus, rad: gentianæ, flor: hyperici, & garyophyllorum, melissa, myrrha, moschus, radix myrrhidis, nuces juglandes, & avellanæ, sem: ocymi, radix ostrutij, pimpinella, petasitis, ruta capraria & vulgaris, raphanus, scabiosa, scordium, succisa, scorzonera, flores sulphuris simplices, vel cum aloe, myrrha & croco sublimati, sarsafras, succinum, tapsus barbatus, tanacetum, valeriana, veronica, verbena, vincetoxicum, zedoaria, &c. Huc addi poterunt olea, extracta & sales ex dictis speciebus. Ex simplicibus frigidis in peste laudantur acetosa, acidum citri, aurum, bolus Armenus, camphora, coralli, sem: coriandri, cornu cervi, & os de corde cervi, ebur, Gemmæ preciosæ, præcipuè hyacinthus, smaragdus, granatus, margaritæ,

Simplicia Antidota in peste.

oculi cancri, flor: rosarum rubr: nymphææ, millefolium, santàla tria, terra sigillata, tormentilla, lapis bezoar, unicornu: Item succus limonum, granatorum, citri, cydoniorum, spiritus vitrioli, sulphuris &c. Macerantur calidiora in aceto & æstate dantur cum aceto aut aqua acetosæ &c. hyeme cum vino, aqua scabiosæ, carduibenedicti & sim. Ex his simplicibus concinnata sunt varia medicamenta composita à veteribus & recentioribus, quorum quædam sunt simpliciora, primum syrupi, nimirum acidi citri, limonum, de succo acetosæ, granatorum acidorum, buglos: borrag: corticum citri, scabiosæ, scordij, carduibenedicti &c. Deindè conservæ flor: rosarũ rubr: acetosæ & acetosellæ, flor: borrag: buglos: flor: garyophyll: anthos, carduiben: scordij, flor. calendulæ &c. cortices citri conditi, radices helenij conditi &c. Alia adhuc magis composita, ut primùm pulveres usitati à Foresto alijsq; descripti, ut pulvis Imperialis, pulvis aureus, pulvis de semine citri, pulvis rubeus, pulvis Saxonicus sive Moibani, pulveres usitati à Marsilio Ficino descripti, A Fracastorio, Mercato, alijsq; peritissimis medicis. Commendatur hic pulvis Ioëlis in præservatione & curatione

Composita, Antidota.

℞ *scordij* ℥ s.

carduibenedicti,

summitatum cornu cervi debito tempore col-

lecti & præparati succo scordij ana ℥ ij.
rad: petasitis,
sem: citri excort:
veronicæ ana ℥ j.
corall: rubr: præp: ℈ ij s.
fiat pulvis tenuissimus. Robustioribus datur ad ʒ ij. natura debilioribus ʒ j. pueris ℈ ij. vel ʒ s. Additur interdum utiliter aliquid florum sulphuris vel Theriacæ & cum aceto rutaceo, & aqua carduibenedicti fiat haustus. Pro delicatis & divitibus convenit hic pulvis bezoarticus

℞ *lapidis bezoartici ℈ ij.*
solutionis margaritarum in succo limonum,
solutionis corallorum,
unicornu veri aut summ: cornu cervi præp: succo scordij
ossis de corde cervi,
smaragdorum præp: ana ℈ j.
terræ lemniæ veræ,
boli orientalis præp: aqua carduibenedicti,
tormentillæ ana ʒ s.
ligni aloes,
corticum citri odoratiss:
zedoariæ,
succini albi ana ℈ j.
santali citr: ℈ s.
ambræ griseæ ℈ s.
moschi gra: iiij.
camphoræ gr: ij.
fol: auri num: iij.

sacchari candi ℥ s.
fiat pulvis subtilis in lapide porphyretico, dosis à ℈ s. ad ℈ ij. Pro mulieribus hystericis removeatur moschus & ambra. Hujus generis est pulvis præservativus Viennensium à Cratone descriptus & similia. Ex his pulveribus cum saccharo solutis in aqua carduibenedicti, acetosæ &c. fiunt Rotulæ aut Tabulæ. Vsitata vero Electuaria in peste sunt, Electuar: de nucibus longo usu comprobatum, ex nucum juglandium, ficuumque siccarum num: ii. fol: rutæ num: xx. cum grano salis. Verùm recentiores sumunt juglandium, ficuum & rutæ partes æquales, & seorsim unumquodque in mortario lapideo cum pistillo ligneo contundunt, deinde cum syr: acidi citri miscent, additis granis aliquot salis, interdum aliquid cort: citri, boli Armeni, Mithridatij & similium. Deindè usitatissima est Theriaca Diatessaron ex gentianæ, myrrhæ, baccarum lauri & Aristolochiæ partibus æqualibus, mixtis cum quadruplo mellis despumati. Addunt nonnulli bolum Armenum, rad: tormentillæ, dictami albi, aut scordium, zedoarium, corallinam & similia. Item confectio liberantis, confectio cordialis usitata, diamoschus, diambra, diamargaritum, Elect: de ligno aloes, Elect:

Elect: de gemmis, confectio Alkermes, Diascordium Fracastorij, quod mirificè in præservatione & curatione pestis laudatur: Antidotus de sanguinibus, confectio hyacinthorum, Elect: de Bolo à Cratone descriptum, & Elect: salutis ejusdem, Theriaca smaragdorum, Theriaca magna Andromachi, Mithridatium, Theriaca Guidonis, Theriaca Arnoldi de Villa nova, Theriaca aurea Tabernæmontani, Theriaca Matthioli, Theriaca Paracelsi, Elect: de ovo Imperatoris Maximiliani à Matthiolo descriptum, aliaque antidota à veteribus & recentioribus inventa, usuque comprobata, quorum descriptiones ex eorum scriptis petuntur. His adduntur variæ aquæ bezoarticæ & Theriacales ut aqua Bezoartica à Guainerio capite *de curatione pestis* descripta, Aqua Theriacalis Paracelsi ut

℞ *Theriacæ Venetæ* ℥ ijs.
myrrhæ ℥ js.
croci ʒ ij.
spiritus vini ℥ vj.

(quidam multo plus spiritus vini affundunt) *infundantur diebus octo, deinde destillentur lento igne in balneo.* Probatur etiam hujus infusi tinctura ac mixtura ex spiritibus tartari & vitrioli cum aqua theriacali descripta à Paracelso

capite

capite *de vitriolo*. Non parum efficax est hæc aqua theriacalis

℞ *theriacæ optimæ* ℥ ij s.
mithridatij ℥ j.
cort: citri odoratiss: ʒ iij.
rad: angelicæ,
diptami albi,
petasitis,
valerianæ ana ʒ ij.
fol: scordij,
carduibenedicti,
veronicæ,
dictami veri ana m s.
ligni sarsafras ℥ j s.
baccarum juniperi ʒ iij.

pulverizentur pulverizanda, misceantur & infundantur vini albi odoratiss: ℔ ij s. *aquæ carduibenedicti* ℔ j. *post aliquot dierum infusionem destillentur in vase vitreo, ex balneo, lento igne. Conservetur in vitro & aromatizetur santali citr:* ℈ ij. *ligni aloes* ʒ s. *moschi & ambræ ana* ℈ s.

Hæc aliaque ejus generis medicamenta, si recta ratione utamur, tam in præservatione quàm curatione locum habere poterunt; nam iisdem antidotis plerumq; à pestis inquinamentis corpora defenduntur, quibus maligna & venenata qualitas in corpore vincitur pestisque curatur; Verum in præservatione multo minori quantitate quã in curatione: faciliùs enim multo corpora sana

sana ab inquinamentis defenduntur, quam inquinata sanantur. Verum in horum usu respicere oportet primum ad pestis, quæ grassatur, naturam & proprietatem, deinde ad assumentis ætatem, sexum & consuetudinem, tertio ad tempus anni, aërisque constitutionem. Nam nulla fere pestis est, quæ peculiarem proprietatem non habeat, ut infrà apparebit: deinde calidis siccis naturis & temporibus nimis calefacientia non conveniunt, nec pueris tenellis aut gravidis valida diaphoretica, sed alexipharmaca, quæ cor & calorem nativum corroborant & malignitati resistunt. Nam ne in robustis quidem bene valentibus tutum est crebrò validis diaphoreticis uti, sed rariùs parva quantitate solum. Tutissima igitur sunt illa alexipharmaca in præservatione, quæ exsiccant & aperiunt, sed non nimium calefaciunt, nisi valde frigidis temporibus & naturis. Quare ad præservationem à peste post omnem redundantiæ evacuationem, utile est, quotidie Antidotum aliquod assumere, eoque corpus munire. In usu Antidotorum certa & necessaria ratio non est, sed singuli convenientibus, pro constitutione corporis & dispositione temporum, utantur, ut diximus. Deindè uni remedio assuescere commodum non est, sed diversa experiri, veluti sexto aut septimo die mane, vel vesperi una hora

Cap. V.

Legitimus. Antidotorũ usus.

hora ante cænam assumere pilularum pestilentialium præparatarum, ut suprà, pro cuiusque naturæ dispositione à ℈ ij. ad ℥ j. vel ℈ iiij. sequenti die post purgationem mane Theriacæ optimæ aut Mithridatij à ℈ j. ad ʒ j. pauperes tantundem Theriacæ Diatessaron assumant, dentur hæc naturis calidis cum conservæ rosarum vel acetosæ ʒ ij. naturis frigidis cum conserva anthos, calendulæ &c. Sequentibus diebus uti poterunt pro arbitrio vel Elect: de nucibus simplici vel composito, vel tabula una conf: liberantis: vel conf: cordialis, vel Elect: Diascordij Fracastorij ʒ j. vel alterius antidoti. Interdum aliquid pulveris Bezoartici aut Cardiaci, vel nonnihil aquæ theriacalis cum vino, aut mixtura spirituum tartari vitriolati Paracelsi. Pauperibus mane detur Elect: de nucibus, vel folia aliquot rutæ, aut scordij, aut mentæ saracenicæ, cum pane & butyro. Macerentur baccæ Iuniperi vel radices angelicæ, vel pimpinellæ, vel tormentillæ, vel petasitis, in aceto, deinde exsiccentur, pulverizentur, denturque mane ad ʒ j. Rusticis utiliter conceditur aliquid radicum allij, maceratum in aceto, nam allium Theriaca rusticorum putatur, eorumque naturis magis accommodata est. Coquantur baccæ juniperi in aqua per horas tres, colaturæ expressæ adde

saccha-

ſaccharum, coque ad ſpiſſitudinem mellis, detur mane cochlear. Eodem modo ex decoctione angelicæ, tormentillæ, & ſimilium paratur Antidotum. Singulare hoc exiſtimatur

℞ *rad: tormentillæ* ℨ j.
cinnamomi electi ℥ j s.

pulverizentur ſubtiliſſimè, impaſtentur cum ſucco ſcabioſæ aut ſcordij, deinde exſiccentur, iterum pulverizentur, detur pulveris ℨ s. *aut* ℈ ij. *mane cum vino abſinthite.* Vel:

℞ *rad: tormentillæ,*
petaſitis: ana ℥ ij.
angelicæ maceratæ aceto & exſiccatæ ℨ j.
boli Armeni ℨ iij.

fiat pulvis. Verùm qui ſicca alvo ſunt, parciùs bolo & tormentilla utantur. Si metus ſit infectionis detur hujus ℨ s.

℞ *theriacæ optimæ* ℨ ij.
diaſcordij ℨ j.
myrrhæ rub: ℈ j.
camphoræ ℈ s.

miſc: cum modico ſyr: acidi citri. Quidam aſſumere jubent propriam urinam: aliqui nonnihil ſtercoris columbini in aceto vel vino, aut ſtercoris anſerini cum pauco myrrhæ.

Antidota pro pueris modusq; præſervandi.

Pueris & virginibus infra decimum quartum annum leviora magiſque temperata conveniunt, ac multò adhuc leviora

modusquè præservandi. viora pueris infra ſeptimum annum, tales enim evacuationes non ferunt, nec multa diaphoretica, ſicut nec gravidæ; proindè in pueris, ubi alvus ſuppreſſa eſt, ſufficit ſyr: roſatus ſolutivus, aut de cichoreo cum rhabarbaro, aut ſyr: diaſereos ℥ j. aut mannæ ʒ vj. in jure pulli, aut confect: liberantis cum aloe ʒ ij. alvum ſubducere; Deindè corpus confortare & munire Tabulis aut Rotulis confectionis liberantis, aut Confect: cordialis, aut Elect: de nucibus, vel pulvere imperiali, vel bezoartico deſcripto, vel hoc pulvere

℞ *rad: tormentillæ*
cort: citri odoratiſſ:
cornu cervi præp: ſucco ſcordij ana ʒ j s.
ſuccini albi præp:
corallorum rubr: præp:
boli armeni ana ℈ s.
ſacchari candi ʒ vj.

miſce, fiat pulvis, detur ʒ s. *cum toſta panis irrorati vino aut aceto.* Pro ditioribus addi poterit aliquid ſolutionis perlarum in ſucco limonum, lapidis bezoartici, ſmaragdi, &c. & ſi ſuſpicio ſit vermium aliquid ſem: cinæ aut corallinæ, interdum nonnihil rhabarbari.

Præſervatio Gravidarũ. Gravidis quoque hæc & ſimilia proſunt, ac etiam quæ fœtum confortant, ut pulvis ex raſura eboris, & granis Alkermes, biſtorta, nuce

ta, nuce moſchata, margaritis, corallis, interdum ex rad: tormentillæ, zedoariæ &c. cujus generis eſt pulvis & Elect: Cratonis, Tabernæmontani, & aliorum. Vel

℞ rad: tormentillæ ℥ j s.
zedoariæ,
nucis moſchatæ toſtæ,
granorum Alkermes recentium ana ℥ j.
raſuræ eboris ℥ j s.
corallor: rubr: præp:
margarit: præp: ana ℥ j.

miſce, fiat pulvis, dentur ℈ ij. *in ovo ſorbili cum toſta panis &c.* Verùm gravidis nil conſultius eſt, quàm ſtatim locũ mutare, quia valida remedia non ferunt, cæteriſque faciliùs inquinantur & moriuntur. Medicamenta exterius applicanda pro præſervatione ſanorum ab aëre inquinato & corrupto, ſuprà magna ex-parte propoſita ſunt. Tandem medici, cæteriq;, quibus viſitatio ægrorum commiſſa eſt, ut ſuæ ſaluti conſulant, corpus præ cæteris omnibus maxime munire debent, & priuſquam ægros accedant, providere primum, ut domus diffletur apertis feneſtris, pòſt, ſuffitus excitentur, ut ſuprà: cubiculum poſtea irroretùr, ipſe æger os ſæpe colluat aqua roſarum cum aceto, eademq; veſtes irrigentur. Medicus accedens bonam ſpem ſalutis præbeat, blande ſingula præcipiat, ſed os ſemper à facie alloquentis

Medici ſolicitudo & cura.

ægri & aſſidentium averſum habeat, non diu ibi hæreat, ſtatimque pòſt, os, faciem, manuſq; lavet aceto & aqua roſarum, veſtes mutet &c. ut ſuprà monuimus.

DE CVRATIONE Peſtis.

CAPVT VI.

Vpereſt, ut de curatione eorum, qui peſte aut febre peſtilentiali laborant, nunc dicamus. Primùm autẽ indicationes in peſte curanda ſumuntur à natura peſtis febriſq; peſtilentis, à cauſis & viribus ægri. In peſte autem propriè conſideratur pernicioſa & venenata qualitas cor afficiens: In febre peſtilentiali, & pernicioſa qualitas & putredo calorq; præternaturalis, qui plerumq; eſt in humoribus, aliquando in ſolida ſubſtantia cordis. Igitur indicatio curativa primaria in peſte erit Alexipharmacis ſive antidotis, quæ à tota ſubſtantia agunt, pravam & venenatam illam qualitatem domare, profligare, planeq; expellere: deinde cor, quod præcipue afficitur, roborare, & ab eo venenatos humores & halitus avertere, omneſque vires confortare, ac quò natura viam affectat, per cutem ſudoribus, & per bubones, carbunculos aut maculas materiam noxiam expellere. In febre verò peſtilentiali præter has intentiones re- *Indicationes.*

quiri-

quiritur, ut ipsi febri ejusque causæ, sive putredini malignæ occurramus: febri autem refrigerantibus & humectantibus, putredini vero humorum, partim evacuantibus, partim contemperantibus. Decet enim, quod putridum est, evacuare, quod nondum putridum est, contemperare, cohibitam trasspirationem aperire &c. Sed quia putredo humorum ab obstructione causatur & fovetur, & obstructio ab humorum copia, crassitie & lentore; Ideo ut putredinem tollamus, decet redundantiam humorum tollere evacuantibus, crassos humores attenuare, lentos incidere & abstergere. Verùm vincit indicatio à venenata qualitate indicationem à febre. Nam febris pestilens malignitate sua multò magis infesta nobis est, quàm caliditate, ideo ei primariò statimque initio occurrere convenit. Nam dum augetur morbus, & erumpunt bubones &c ob virium dejectionem, sæpe magnis remedijs locus non est; ideo vires ægri semper respicere oportet, easque omnibus modis reficere, & symptomatum sævitiam mitigare.

Diæta. Ad materias remediorum quod attinet, diæta ita instituatur, ut vires reficiantur, simulque contemperetur maligna putredo, sanguinisque ebullitio. Ac primum *Aer.* aer temperetur & corrigatur pro morbi,

temporis anni, & qualitatis peccantis ratione, ferè ut suprà in præservatione: deinde ubi ægri hoc malo corripiuntur, statim sese in cubiculum subducant nitidum, temperatum, jucundo odore perfusum, ubi sit ignis noctu potissimum collucens, & suffitus, aliaque ut suprà, quæ tetros halitus absumant. Si aëris magna sit caliditas, irrigetur cubiculum oxycrato, aër commoveatur flabello, quod in oxycrato maceratum fuerat &c. jaceant ægri bene contecti, ut siccum purumque aërem liberè attrahant, & frigidum, si febri ardentiori corripiantur.

Victus ratio quo ad alimenta.

Deindè victus ratio in cibo & potu judicatur à morbo & virtute, morbus quidem peracutus est, sed cum corruptione humorum, quæ contemperationem exigit, vires quia debiles plerumque sunt, refectionem: igitur inedia, nimisque exquisite tenuis victus, noxius est, vires dejicit & ferociores humores reddit. Exhibentur autem alimenta boni succi, facilis concoctionis, pauci excrementi. Sed quia morbus nunc magis, nunc minus peracutus est, & interdum cum majori, interdum cum minori corruptione humorum, ideo quò longior futurus est morbus, aut quò corruptio humorum major est, eò major alimenti reficientis copia requiritur. Sin vires debiles tantam copiam non ferant, sæpe parumq; exhibendum.

CAP. VI.

dum: semper tamen, cum in peste ob malignitatem vires exhausto spiritu brevi collabantur, ideo ægri reficientibus multum nutriendi. Nam Hipp: *lib. de Attenuante victu & Epidemicis*, in constitutione maligna eos tantum ait evasisse, qui cibi multũ sumpserunt. Qualitas vero victus à morbo judicatur: febris quidem pestilens refrigerantia humectantia indicat, sed quia præpollet venenata qualitas, ideo conveniunt alimenta aut natura aut arte præparata quæ venenatæ qualitati adversantur, simulq́, appetentiam excitant, veluti sunt carnes boni succi, facilis digestionis, ut pullorum gallinæ, perdicis, capi, vituli & sim. decoctæ vel assæ, additis acidis & cardiacis. Si æger sit biliosus & febris ardens, condiantur cibi acetosa, uva acerba, succo limonum, acidi citri, granatorum acidorum, agresta, succo ribes, berberum, aceto rosaceo &c. Si æger natura frigidus sit, febrisq́ue lenta, inspergantur aceto ad intinctus, aut cibis, cinnamomum, lignũ aloes, zedoaria, tormentilla, macis, cortices citri, crocus &c. Elixis in decoctione addantur aquæ cardiacæ, aut acetosa, buglossa, pimpinella, calendula, mala citrina &c. Avenzoar carnium usum prohibet. Conceditur tamen circa finem morbi, & robustis interdum, ut etiam ova rencentia sorbilia cum agresta. Verùm ubi vires sunt debiles,

detur cremor hordei aut avenæ cum succo citri &c. vel jura carnium per se, aut cum pane loto & pulvere cardiaco. Iuscula autem carnium alia simplicia sunt, alia expressa, quę collatitia vocatur, ex carne capi, vituli & simili optime elixa aut assa, addito plerumq; succo acido. Laudatur plurimum gelatina ex ijsdem carnibus, quia facile concoquitur, citò multumque spiritus & substantiam virium restaurat.

℞ pulpæ Caponis integri concisi,
carnis vituli concisæ ℔ j s.
cinnamomi electi ℥ ij.
croci ℈ s.
affunde aquæ buglossæ,
acetosæ,
vini albi odoriferi ana ℥ ij.

Coquantur in duplici vase diligentissime clauso, ne quid expiret, per horas octo, lento igne, deinde succus exprimatur, pinguedo detrahatur, parumquè sacchari addatur, hujus cochlear unum aut alterum frequenter detur, si febris sit ardentior cum modico succi citri, vel cum aceto & aqua rosacea. Si vires dejectæ sint, conveniunt potissimum aquæ destillatæ caponis cum cardiacis, ut à Palmario alijsque describuntur; Aqua cardiaca Fernelij *lib. 5. Meth. cap. 21.* Quia autem ægri plerumq; inappetentia laborant, cibosque aversantur, ideo cohortandi sæpe sunt, ut aliquid utilis

alimenti,

alimenti, ſumant, nimirum quod aut firmiſſime aut affatim nutrit, additis acidis, quæ appetentiam excitant, & malignitati reſiſtunt.

Initio morbi vini potus non convenit, ſed cereviſiæ tenuioris, vel aquæ hordei aut aquæ panatæ, cum ſyrupo aut ſucco limonū, granatorum, julepo roſato, oxyſaccharа &c. additis interdum aliquot guttis ſpiritus vitrioli rectificati. Sub finem aut in progreſſu, ubi inſtat virium lapſus, datur vinum album, tenue, odoratum, lymphatum aqua bugloſſæ, roſarum, acetoſæ &c. In malignis febribus probatur talis potio *Potus.*

℞ limaturæ cornu cervi ℥ s.
ſantali citrini,
corticum citri,
cinnamomi electi ana ʒ j.
aquæ puræ fontanæ ℔ iij.
coquantur lento igne, ad tertiæ partis conſumptionem. Colaturæ admiſce ſucci acidi citri vel limonum ℥ j s.
ſacchari albi ℥ ij s.
leviter bulliant, fiat potio clara Vel:
℞ aquæ hordei ℔ iij.
aceti vini optimi,
ſucci acidi citri ana ℥ j s.
ſacchari ℥ iij.
fiat ſecundum artem julep, cujus aciditas pro voluntate ægri augeri vel minui poterit.

Poteſt etiam aquæ ſimplici miſceri conſerva acetoſæ, vel rob ribes, aut berberum, vel ſyrupus aliquis acidus, & ita potus parari. Vitanda eſt nimia potus ingeſtio, præcipuè frigidi, niſi æger ſit robuſtus.

Somnus & vigiliæ.

Somnus & vigilia moderata ſint, verum initio morbi ſomnus modicus ſit. Immodicus enim ſpiritus & humores inquinatos ad interiora revocat; verum non ideo tantum vigilandum eſt, ut ſpiritus reſolvantur. Si noctu non dormiat, arte procuretur topicis. Si ſomnus modum exceſſerit, aut ſopor premat, excitentur ægri frictionibus, ligaturis dolorificis extremorum, ſpongia macerata in aceto infuſionis rutæ, caſtorei &c. naribus admoveatur. Conſuetæ evacuationes ſi natura non procedant, arte procurentur, alvuſque, ſi ſiſtatur, glande aut leniente clyſtere ſubducatur, & cætera fiant, ut ſuprà in præſervatione.

Phlebotomia.

Deindè inter præſidia Chirurgica, quæ in peſtis curatione locum habent, primò numeratur à pleriſque phlebotomia, de qua tamen diſcrepantes ſunt opiniones. Nam plurimi arbitrantur, ſi vires ætaſque ferant, in peſte venæ ſectionē convenire, vel quod morbus magnus ſit, & teſte Gal: *11. Method.* omnibus febribus putridis ſaluberrima, vel ut redundantia minuatur corpuſque melius reſpiret, unde putredo melius reſtinguitur,

tur, obstructiones tolluntur &c. Ex opposito non pauci sunt, qui venæ sectionem in præservatione admittunt, in pestis curatione improbant: vel quia venenatam qualitatem, causam scilicet pestis, nullo modo temperet, sed potius spiritus & caloris nativi substantiam, viresque cordis, quas tueri operæprecium fuit, minuit: vel quia diminuto & commoto sanguine, prava illa qualitas magis concitatur & augetur in corpore. Verùm licet ex eventu ob perniciem morbi difficile sit judicare, utra opinio verior sit, tamen absolutè neutra rationi satis consentanea videtur. Nam prior illa putredinem magis respicit, posterior neglecta putredine venenatam tantum qualitatem cùm neutra sit contemnenda, & illa causa imprimis, quæ maximè urget. Quia vero plerumq; maxime urget pestilens qualitas, ei præ cæteris occurrere, & viribus laborantibus subvenire oportet, & venam nunquam secare, ubi nulla adest plenitudo, & ubi vires vel jam sunt, vel brevi futuræ debiles. Sed si adsit plenitudo, quæ obstructiones auget, ac proinde putredinem fovet, non sufficit solis antidotis malignæ qualitati resistere, sed etiam causam putredinis tollere, dũ per phlebotomiam diminuta materia eventilationem caloris nativi molimur, quę tamen initio fieri debet, deinde parce sine virium ja-

ctura, ac proinde non indistinctè in omni peste. Nam cum ipsæ etiam pestes, quæ diversis temporibus grassatæ sunt, eosdem impetus non habuerint, sed singulæ propè suã quandam proprietatem, quæ pro dispositione ægrorum & locorũ aliquam varietatem admiserunt, ideo una omnium curatio non fuit. Nam, ut testatur Oribasius, quæ ad sanguinẽ analogiam habuerunt, sanguinis missione curatæ fuerunt; quæ vero ad alios humores distinctos à natura sanguinis, vel quæ humorum corruptionem citra plethorã habuerunt, phlebotomiam adversam, purgationem verò salutarem expertæ sunt. Aliquæ fuerunt, quæ neutra prædictarum evacuationum curarentur, ut Hecticæ pestilentes. Pręterea non omnibus eadem antidota profuerunt, quæ omnia in curatione pestis nobis observanda veniunt, ut cognita proprietate pestis ægris facilius subveniamus. Quare ut phlebotomia cæteraque remedia ritè adhibeantur, duo consideranda sunt: dispositio humorum & motus plenitudinis, deinde motus sive translationes & excretiones materiæ morbificæ. Plenitudo autem in peste alia est, quò ad vasa ex redundantia boni sanguinis, alia quò ad vires tantum, ubi ea humorum copia est, quam virtus gubernare nequit, ac proinde à natura relicta putrescit: qualis plenitudo non solum cum viri-

Quæ pestis phlebotomiã admittit, vel non.

Observanda in phlebotomia cæterisq́; remediis duo.

1. Dispositio humorum.

um debilitate est, sed etiam cum corruptione & cacochymia, unde vires non solum gravantur, sed etiam, quia à pravis illis succis, membra ali nequeunt, resolvuntur: qualis in febre pestilentiali privata evenit, ac etiam in Epidemica, ubi præcedit prava victus ratio. In qua igitur peste adest plethora quò ad vasa, si vires ferant, consultum est, venam initiò secare, & pro modo plenitudinis sanguinem detrahere, potissimum si æger tali remedio sit assuetus, & alij servati, qui eodem tempore sanguinis evacuatione usi fuerunt. Quod ut testatur Oribasius *lib. 7. cap. 20.* in peste Asiatica evenit. Verùm ubi metus est, ut vires pestilenti qualitate debilitatæ copiosas evacuationes non ferant, melius est, eas partiri, & primùm ex majoribus venis ℥ vj. aut vij. detrahere: deinde refectis viribus post horas sex ℥ iiij. aut v, ex minoribus venis potissimũ, aut cucurbitulas cum scarificatione cruribus admovere. Vbi verò cacochymia aut cruditas est in primis venis, quod accidit in febri pestilenti privata & Epidemica, ex intemperantia victus, aut ubi adest cacochymia, aut putredo in facto esse, quia vires vel debiles sunt, vel momentaneæ, quæ in futurum validæ esse debent, venæ sectio tentanda non est, ne vires resolvantur, quæ ob pestilentem qualita-

Qua pestis phlebotomiam requirat.

qualitatem ſatis alioquin debilitantur. Sin ob redundantiam major ſit virium oppreſſio, quam reſolutio, aut adſit Angina aut Pleuritis,&c. poterimus illo onere naturam aliqua ex parte levare, ſectis venis minorib⁹ in manib. aut pedibus, quia citra ſpiritus reſolutionē evacuant, aut admotis hirudinib⁹ ipſis venis vel cucurbitulis cum ſcarificatione crurum. Verùm in his omnibus motus materiæ morbificæ obſervandus eſt. Motus autem materiæ morbificæ in peſte alij purè critici dicuntur, quæ fiunt poſt concoctionem à natura die critico, unde ſequitur morbi levamen, quales rariſſimi ſunt in peſte: Alij purè ſymptomatici ex proritatione & malignitate morbi, die non critico, cum labore, ſine morbi levatione, ut fluxus alvi colliquans &c. Quidam medij videntur partim critici, partim ſymptomatici, quia natura aliqua ex parte materiam vincit, aut à corde ad exteriora expellit, licet irritetur adhuc ejus copia aut malignitate; unde ſequitur aliquando morbi levamen, ſed nulla certa ſalutis ſpes, quales motus materiæ in peſte ſæpius fiunt ad cutem & emunctoriā, qui magis minuſque critici ſunt, prout vincit natura & morbus. Verùm motus purè critici alij perfecti ſunt totius morbificæ materiæ à corde, alij imperfecti & diminuti, vel ob naturæ debilitatem, vel materiæ copiam

II. Motus materiæ morbificæ in peſte & quid in ſingulis medico faciendum.

copiam, crassitiem, lentorem, malignitatē. In omni morbo, ut præcipit Hipp: quæ judicata sunt, integrè movenda omnino non sunt, sed naturæ permittenda. Motus vero purè symptomatici, nunquam juvandi, sed sistendi. Quare ubi in peste materia ad emunctoria relegata est, aut à virtute robusta perfecte relegatur cum morbi levamine, aut materia bubonis ad suppurationem jam perducta est, non convenit venam secare, nec cucurbitulis alijsve medicamentis naturam irritare. Verùm si criticæ excretiones imperfectæ sint, aut partim criticæ, partim symptomaticæ, sive materia venenata à corde, ad cæteras partes aut emunctoria diminutè propellatur, aut recurrat, consultū omnino est naturam omnibus præsidijs juvare: & si natura copia gravetur, eam ab onere levare, vel phlebotomia per vicinas & conjunctas venas ipsis bubonibus, aut admotis hirudinibus, aut cucurbitulis cum scarificatione; interdum purgationibus. Si crassitie & lentore impediatur, attenuare & incidere, forasque expellere medicamentis incidentibus, attenuantibus, attrahentibus: si malignitate, contemperare alexipharmacis; si ob debilitatem virtutis expellentis, opem ferre attrahentibus, admotis ipsis partibus externis cucurbitulis, frictionibus, vesicatorijs, alijsque revellentibus. Remedia

autem

autem revellentia ab interioribus & attrahentia ad exteriora eò magis conveniunt, quò magis natura vitiosam materiam ad exteriora propellens hoc subsidium requirit. Unde Avicenna; *non solum non curamus, si in parte ignobili apostema fuerit, sed etiam materiam peccantem eo attrahimus, ut illi parti pejus sit, cordi & interioribus melius.* Ante eruptionem macularum venæ sectio utiliter administratur; pòst rariùs, ne recessus fiat materiæ venenosæ ad interiora, nisi plenitudo magna subsit, præcipuè in majoribus venis. His consideratis ubi necessitas exigit, viresque ferunt, initio vena statim communis secetur, si nullum signum tumoris apparuerit: sin aliqua in parte tumor aut signum tumoris, & natura copia gravetur, ex ejus lateris vicina conjuncta vena sanguis detrahatur, veluti si signum aliquod sit post aures aut circa collum, secetur cephalica, aut vena prope pollicem; si sub axillis, basilica, si sub inguine, poplitis aut malleoli vena. Hac ratione motus ac inclinatio naturæ adjuvatur, ipsaque natura copia humoris, quâ gravata fuit, exoneratur, ut reliquum melius superare queat. Verùm ubi exanthemata aut tumores erumpunt, nisi sit necessitas, vena nunquam secetur, & tum quoque rarius parciusque sanguis detrahatur, aut venis hiru-

Ex qua vena institui debeat phlebotomia.

hirudines admoveantur, vel crura ſcarificentur. Hirudines autem admotæ venis non confertim, ut venæ ſectio, ſpiritus exhauriunt, & ſimul ab internis partibus valide revellunt, & vitioſum ſanguinem evacuant, admoventur interdum majoribus venis, ſæpius minoribus, potiſſimum hæmorrhoidalibus: Et ubi cerebrum infeſtatur, naribus aut venis temporum, interdum ipſis bubonibus. Scarificatio vero cum cucurbitulis ſpiritus non diſſolvit, & magna vi ad exteriora revellit. Adhibentur cucurbitulæ cum ſcarificationibus ad evacuandum & revellendum à toto, nunquam dorſo è regione cordis, ſed præcipuè inferioribus partibus, ut natibus, coxis, cruribus. Vnde Apollonius, teſte Oribaſio, in peſte Aſiatica, cum hoc malo correptus eſſet, crus ſcarificavit, duaſque libras ſanguinis detraxit, atque hac ratione, tum ipſe tum alij multi, qui hoc auxilio uſi fuerunt, periculum evaſerunt. Affirmat Marſilius Ficinus, veteres nonnullos ſtatim initiò, ante ſectionem venæ, cucurbitulas duas natibus totidemque coxis applicaſſe. Verùm elapſo biduo ſi adſit plenitudo vena ſecanda non eſt, ſed ſcarificatione plenitudo detrahenda. Applicantur etiam cucurbitulæ prope bubones ab inferiore parte, ut

Hirudines.

Cucurbitulæ cum ſcarificatione.

adjuve-

adjuvetur motus materiæ, ne retrocedat, sed ad cutem & emunctoria revocetur; unde ubi maculæ aut petechiæ apparent, ne materia ad cor recurrat, utile est, partibus, quæ maculis tinctæ sunt, cucurbitulas cum scarificatione adhibere, sed nunquam dorso è regione cordis, aut multis frictionibus cum linteis asperis sæpe uti. Nam revulsionem ab interioribus ad exteriora plurimum juvant frictiones totius corporis cum linteis asperis, aut manibus cum linimento Aëtij ex oleo & nitro, potissimum ubi exanthemata erumpunt, & maculæ apparent, ne delitescant.

Cauteria. Cauteria majorem in præservatione usum habent, quàm in curatione, quia lentè operantur. *Vesicatoria.* Vesicatoria in pestis curatione nonnulli improbant, potissimum initio, quòd concoctionem humorum impediant, febrem augeant, & dolores excitent. Verùm quia febris plerumque lenta est, & natura studet omni conatu materiam venenatam ab interioribus ad exteriora propellere, ideò utile est motum naturæ juvare etiam vesicatorijs magis minusque acribus, pro modo febris & dispositione corporis. Nam hæc humores aut spiritus venenatos alliciunt ab interioribus, ad ignobiles partes, citra virium jacturam: fiunt autem vesicatoria ex flammula Iovis, aut sapone nigro cum sale to-

ſale toſto aliquando, ut in minus tenellis, ex cantharidibus cum fermento:

℞ *fermenti acris* ℥ s.
cantharidum ʒ iij.

cum aceti acerrimi pauco miſce, fiat paſta, addi poterit ſem: ſinapi ℥ j. *vel euphorbij* ℈ j Admoventur hæc manibus & cruribus, aliquando etiam, ubi malum caput invadit, humeris & poſt aures, ſæpius infra emunctoria aut bubones, ne materia retrocedat, ſed attrahatur, & à corde revellatur, ut latius infrà *de Curatione bubonis* dicetur. Marſilius Ficinus ante eruptionem tumorum aut exanthematum, facta phlebotomia aut levi purgatione, ut venenum citò ab interioribus extrahatur, veſicatorium admovet, paulo ſupra carpum dextri brachij, ab interiore parte, & ſupra talum interiorem dextri pedis &c.

Ad pharmaca quod attinet, inter ea, quæ aſſumuntur, numerantur purgantia, de quibus tamen non conſentiunt medici, alij ſtatim initio purgandum eſſe cenſent, non expectata concoctione, vel quia venenum toto genere præter naturam concoctionem nō recipit, ſed aſſiduè inficit humores, quamdiu in corpore hæret; vel quia materia corrupta turget. Alij contrà cathartica non convenire putant, vel quod venenata qualitas alexipharmacis tantùm curetur, vel quia

Pharmaca.

Purgantia.

humores, venenata qualitate infecti, crudi adhuc sunt, nec semper turgent, ac proinde, à cathartico exagitati, malignam vim latius diffundant viresque dissolvant. Verùm ut de phlebotomia dictum est, illi pestilentem qualitatem tantum respicere videntur, quæ maxime urget, hi redundantiam pravorum humorum qui inquinantur & putrescunt, & putrescentes febrem gignunt foventque; quæ negligenda non est, sed sine jactura virium & perturbatione corporis tempestivè blandis evacuanda; licet ad curationem nihil melius sit, quam corpora, quæ inficiuntur, superfluis humoribus vacare, probeque purgata esse, ut in toto morbi decursu queamus antidotis pestilentem qualitatem domare viresque confortare. Interim si in corpore redundaverit pravorum humorum copia, quæ inficitur, aut putredo sit jam in facto esse, consultum videtur, ne vires illa copia oppressæ succumbant, redundantiam evacuare, pro modo materiæ, additis semper cardiacis. Initio levioribus utendum, nisi materia turgeat, conveniunt clysteres, qui blandè evacuant, simulque pravæ qualitati resistunt, & intestina non debilitant. Medici in usu purgantium dissentiunt plurimum; aliqui blandis evacuantibus cōmuniter utuntur, ut manna, pulpa tamarindorum, syr:

rosato

rosato solutivo &c. ac pro bile purganda non superant rhabarbarum; pro pituita, agaricum aut turbith; pro melancholia, epithymum & folia senæ. Alij contra validissima præcipiunt. Nam Avenzoar, & non pauci recentiorum commendant medicamentum ex euphorbio, quia ad exteriora pellere putatur. Matthiolus stibij præparati gr: iij. aut iiij. cum conserva rosarum. Paracelsistæ turbith minerale, sive Mercurium præcipitatũ præparatum. Capivacceus alijq; non pauci scammoniata, trochiscos Alhandel, helleborum cum bezoarticis exhibent. EtGentilis scribit, medicos sui temporis feliciter usos scammoniatis. Verùm cũ in peste plerumq; vires aut debiles sint, aut facile debilitentur, horum usus periculo non vacat, nec satis tutus est, licet in robustis interdum conferant. Initio morbi, si quid movẽdum sit move, & nisi materia turgeat, administranda sunt levia purgantia, & à validis abstinendum, nisi post septimum aut nonum diem signa concoctionis apparuerint cum virium robore: Cavendũ initio eò diligentius erit à validis purgantibus, quò natura magis intenta fuerit, ut per alias vias evacuet, ne à sua operatione avertatur, nisi fortasse id facere oporteat, ut à tanto malignitatis onere naturam relevemus, præcipuè quando propter venenositatem adest copia

humorum redundantium; quæ omnia prudentis medici judicio permittenda sunt. Nam sæpe videmus naturā onere hoc modo levatam opus suum validius persequi, propellendo id, quod infestius est, ad partes exteriores. *Præparantia.* Imminuta primum materia lenientibus, reliquum præparetur, pro natura humoris, medicamentis, quæ & evidenti qualitate & substantiæ proprietate veneno resistunt. Pro calidis biliosis ubi æstus, sitis &c. syrupi acetositatis citri, limonum, granatorum, de succo acetosæ, endiviæ, oxysacchara &c. Vbi febris lenta est, & humores pituitosi redundant, oxymel, syr: capil: ven: de scordio, scabiosa, cort: citri, betonicæ &c. Pro melancholia syr: buglossæ, borraginis, melissæ, fumariæ, &c. cum aquis aut decocto appropriato. Calidis tamen parcè utendum initio, aut miscenda semper quæ putredinem restingvunt: Veluti, si febris lenta sit à pituitoso humore, syrupo scabiosæ &c. aliquid syr: acidi citri & limonum, aut guttas aliquot spiritus vitrioli aut sulphuris rectificati. Si febris sit ardens

℞ *syr: acidi citri,*
limonum,
oxysacchara simpl: ana ℥ j.
aquæ acetosæ ℥ iij.
endiviæ,
buglossæ ana ℥ j s.

spir:

spir: vitrioli rectificati ad gratam aciditatem, misce, fiat julep, aromatizetur sp: diamargariti frig: ℈ ij. similis ratio est in cæteris. Materia præparata purgetur appropriatis, quæ humorem noxium evacuant, & malignitati resistũt, cujus generis sunt syrupus & apozemata Palmatij, syr: Marsilij, qui divinus appellatur, Oxymel cum agarico Cratonis, si materia sit pituitosa &c. Non pauci ad malignitatem extinguendam addunt aliquid Theriacæ & Mithridatij, licet vim purgantium impediant, ut si febris sit ardentior

℞ *pulpæ tamarindorum* ʒ vj.
cassiæ extr: ʒ ij.
pul: rhabarbari opt: irrorati aqua endiviæ ʒ j.
mithridatij ℈ j.
misce cum sy: de cichoreo cum rhabarb: fiat bolus. Vel

℞ *mannæ* ℥ j s.
rhabarb: electi ℈ iiij.
mithridatij ℈ j.
syr: acidi citri vel limonum ℥ j.

cũ decocti flor: & fruct: addita acetosa &c. ℥ iiij. *fiat haustus.* Cassia vero, quia humectat per se, non probatur in peste. Si vires sint robustæ

℞ *pulpæ tamarind:* ʒ vj.
Elect: de succo rosar: ʒ ij s. *vel* ʒ iij.

cum syr: acidi citri, misce. Si humores plures redundaverint, detur Elect: diacatholici vel

Tripheræ persicæ ℥ j Vel
℞ *rad: valerianæ,*
acetosæ,
tormentillæ ana ℥ ß.
polypodij querc: ℥ ß.
sem: fœniculi,
citri ana ʒ j.
fol: betonicæ,
scabiosæ,
ceterach, ana m ß.
scordij,
flor: buglos:
borrag:
calendulæ ana P j.
passul: enucleat: ℥ s.
concisa coquantur in aqua buglos: scabiosæ, cardui benedicti ana q. s. ad dimidias, addendo, sub finem fol: senæ Alex: ℥ s.
Colaturæ ℥ v. *infunde rhabarbari El:*
agarici troch: ana ʒ j.
scananthi gr: iiij.
cinnamomi El:
zedoariæ ana ℈ j.
colaturæ expressæ admisce syr: rosati sol: ℥ j s. *fiat haustus*, detur mane aut eo tempore, quo minus sævit morbus. Quidam robustis Diaturbith cum rhabarbaro aut benedictā laxat: exhibent. Marsilius Ficin: confect: Hamech ʒ iij. cum Tripheræ persicæ ℥ j aut diasenæ, si humor peccans sit melancholia.

CAP. VI.

lia. Complures medicamentum ex euphorbio probant, non tàm quia purgat, quàm quia pesti peculiari proprietate resistit, & vi quadam diaphoretica ad exteriora propellit: Variæ hujus medicamenti sunt compositiones, valde usitata est hæc:

℞ *euphorbij ad ignem tosti* ʒ j.
mastichis ʒ ij.
croci aut dictami albi ℈ j.
cum sacchari ʒ iij.

fiat pulvis, vel cum melle rosato, fiat massa: detur à ʒ s. ad ʒ j. Alij probant Florentinorum præparationem.

℞ *euphorbij* ʒ v. ℈ j. *gummi Elemi* ʒ j s.
mastichis ʒ j.

misce, fiat massa. Pro calidioribus quidam miscent camphorā & aliquid opij, vel ladani opiati. Verùm ob virium debilitatem, ac ne natura à sua operatione avertatur, parciùs purgantibus utendum erit, præcipuè metu diarrhææ. Nam, teste Hipp: & Gal: *in 3. Epid.* peste laborantes in fluxum syntecticum facile incidunt, qui citò mortem accersit. Quare Celsus censuit alvum in peste non esse ciendam, quod potissimum locum habet in pestilenti hectica, cui evacuationes noxiæ sunt. Verùm nec apparentibus signis concoctionis, evacuationibus fidedum; nec copiosa evacuatio critica ad salutem hic expectanda est. Nam cum venenosa qualitas

concoctione nō propriè corrigatur, ideo apparentibus signis concoctionis multi pereunt. Deindè in pugna plerumque vincitur natura, ob malignitatem morbi: ideo securior est illa solutio, quæ sensim & paulatim fit per translationem materiæ. Si redundantia sit in ventriculo, conceditur interdū vomitorium, sed leve minimeque violentum

Vomitoria.

℞ *decocti raphani* ℥ v.
oxymelitis ℥ j.
olei scorpionum ʒ iij.

misce: fiat haustus. Alij ad validiora transeunt, ut salis vitrioli gr: iij. aut iiij. quidam ad validissima, ut stibij præparati gr: iij. in conserva rosar. Verùm in hoc affectu valida vomitoria periculo non carent, semperque à vomitu utendum, quæ ventriculum confortant. In progressu morbi probantur diuretica

Diuretica.

℞ *sem: napi,*
cardui benedicti ana ʒ j s.
melonum ʒ iij.
citri excorticati ʒ s.

cum aqua cardui benedicti & scabiosæ ana q. s. fiat emulsio: dulcoretur vel manib. christi perlat. vel syr. limonum, addi poterit parum margaritarum, corallorum, cornu cervi, aut modicum spiritus vitrioli. In toto morbi decursu Alexipharmaca sive Antidota requirūtur,

Antidota.

quæ

quæ veneno resistunt, & à corde expellunt, sudoresque movent. Antidota autem quadruplicia sunt, ut suprà in præservatione, primo quædam frigida, sicca, modicè adstringenti qualitate putredinis generationi resistunt, cor firmant & roborant, ut bolus Armenus, terra sigillata, coralli, tormentilla &c. Deindè alia frigiditate & tenuitate substantiæ suæ putredinem restingvunt, & malignitatem coërcent, ut succi aut syrupi acidi citri, limonum, camphora, spir: vitrioli &c. Tertiò, alia calida & diaphoretica vi venenatos vapores & humores à corde expellunt, malignitatem coercent, ut Theriaca, Mithridatium, angelica, & simila, quia simul & manifesta & occulta proprietate agunt. Tandem aliqua sola substantiæ proprietate cor confortant, pestique resistunt, ut lapis bezoar, aurum simplex aut potabile, Vnde limonum succus depuratus, in quo macerata sunt folia auri optimi, cum decocto angelicæ deploratis ferè prodesse putatur. Hæc omnia nec eodem tempore, nec omnibus peste laborantibus similiter conveniunt. Nam initio statim, quando venenum cor petit, ante revulsiones alexipharmacis utendum, quæ substantiam cordis firmant, putredinem cohibent & aditum veneni intercipiunt, cujus generis est illud Avicen: ex boli Armeni ʒ j. in aquæ rosarum

Legitimus usus horũ Antidotorum.

℥ ij. vini albi odoriferi ℥ j. si nequeat haberi verus bolus Armenus aut Terra Lemnia, substituatur Terra Silesiaca aut Vngarica præparata cum aqua Bezoartica, aut tinctura Theriacali, vel detur pulveris Electuarij liberantis ʒ j. aut alterius pulveris usitati earundem virium, cum aqua acetosæ, tormentillæ, modico vini aut aceti. Vbi febris lenta est, detur electuarij ex bolo ʒ s. cum theriacæ ʒ j. ex aquæ carduibenedicti, scabiosæ, calendulæ ana ℥ j. syr acidi citri ℥ s. Si potionem non vomuerit, bonum est, si vomuerit, malum, attamen os colluat, & iterum aut tertio repetat. In progressu ubi cor à se venenum propellere studet, præmissis revellentibus conveniunt nõ solum per intervalla, quæ malignitati resistunt, & putredinem restingvunt, sed potissimùm quæ conatum naturæ adjuvant, cor spiritusq; vitales reficiunt & excitant, malignam materiam alterant, & ad exteriora propellunt, & per sudores evacuant, si febris magnitudo viresque ferant, cujus generis sunt Theriaca Andromachi & mithridatium, aliaq; antidota hydrotica à recentioribus ad horum similitudinem composita, ut Theriaca Arnoldi, Matthioli, Tabernæmontani, Paracelsi: Diascordium Fracastorij: pulvis Saxonicus. Item aquæ bezoarticæ & Theriacales; sales absinthij, fraxini, arthemisiæ &c.

ſiæ &c. ad ℥ s. Extracta zedoariæ, veronicæ, carduibenedicti, ſcordij &c. ad ℈ ij. aliaq; in præſervatione enumerata. Miſcentur Antidotis flores ſulphuris, qui ſiccant ſine caliditate: Item ad penetrationem ac reſtinguendam putredinem, ſpiritus ſulphuris rectificati, ſpiritus vitrioli, ſpiritus tartari. Mixtura ſpirituum tartari vitriolati Paracelſi, Trochiſci de Camphora. Veluti

℞ *theriaca opt:*
flor: ſulphuris,
croci,
thuris ana ℈ j.

detur cum aqua convenienti.

℞ *conſerva roſarum rubr:* ℥ j s.
boli armeni aut terra ſigillata praparata ſucco ſcordij, vel tinctura theriacali Paracelſi ℥ s.
flor: ſulphuris quinquies ſublimati vel ſimpliciter, vel potius cum myrrha, aloe & croco ſi haberi queat ʒ j.
cornu cervi uſti praparati ſucco ſcordij ʒ s.
miſce cum ſyr: acidi citri Vel

℞ *theriaca opt:* ʒ ij.
myrrha ℈ j.
camphora gr: iij.
ſpiritus vitrioli ℈ s.
miſce, detur dimidium. Vel

℞ *theriaca opt:* ʒ ij. *Elect: de ovo* ʒ j.
pul: bezoartici ℈ j.
nitri opt: prap: ℈ j.

cam-

camphora gr: viij.

misce. Huc refertur pulvis camphoratus ex camphoræ ʒj. zinziberis ʒij. ſacchari candi ʒiij. qui à nonnullis plurimũ commendatur.

℞ *pulv: Saxonici* ℈ij.
theriaca ʒj.
lapid: Bezoar,
unicornu ana ℈s.
croci,
ſalis abſinthij ana ℈j.

miſce, detur robuſtis dimidium in aqua appropriata. Geſnerus alijque nonnulli Antidotis addunt grana tria aut quatuor euphorbij toſti, quia validè penetrare, & à centro ad circumferentiam pellere exiſtimatur. Quidam in naturis calidis totidem grana camphoræ & euphorbij miſcent, adduntq; ladani opiati grana duo, & cum Theriacæ ʒj. exhibent. Valde efficaces in hoc affectu videntur hæ pilulæ

℞ *Theriaca opt:* ℥j.
Diaſcordij Fracaſtorij ℥s.
ladani opiati opt: ʒj.
euphorbij toſti,
croci,
dictami cretici,
baccar: juniperi,
baccar: hedera,
myrrha,

rad:

rad: tormentillæ,
angelicæ,
helenij,
lapidis bezoartici ana ℈ j.
cardamomi,
moschi ana ℈ s.
cum syrupo de pomis aut corticum citri, misce, fiat Massa, dosis à ℈ j. *ad* ℈ ij. *vel* ʒ j. *cum conserva calendulæ.* Datur noctu ante somnum, aut summo mane. Præterea ubi adsunt vigiliæ, deliria &c. ad somnum conciliandum, vapores malignos condensandos & sistendos, Antidotis in progressu additur aliquid Ladani opiati vel Philonij. Prosunt etiam hæc ad fluxum alvi sistendum, Veluti

℞ *Theriacæ,*
Diascordij Fracast: ana ʒ j.
boli Armeni præparati tinctura theriacali,
pulveris bezoartici ana ℈ s.
ladani opiati gr: iiij. *vel* v. *misce, detur vesperi ejus dimidium hora somni* . Tandem ad penetrationem præparantur aut exhibentur Antidota cum spiritu vini Veluti

℞ *theriacæ opt:*
succi allij ana ℥ j.
succi rutæ ℥ s.
aceti acris & spir: vini ana ℥ j s.
misce, detur cochlear unum aut duo ad sudores movendos pestemque expellendam, sed natura robustis convenit. Commendatur

tur tinctura hæc Paracelsi

℞ *theriacæ opt:* ℥ vj.
myrrhæ rubr: ℥ ij.
fungi sive verrucæ crurum equorum ʒ vj.
spermatis ceti,
terræ sigillatæ ana ℥ s.
rad: Vincetoxici sive hirundinariæ ℥ j.
diptami,
pimpinellæ,
valerianæ ana ʒ ij.
camphoræ ʒ j.

concisa pulverizentur, & infunde spiritus vini optimi rectificati mensuram unam vel q. s. arctissime claudantur in vitro, stent in sole diebus octo. Dosis robustioribus cochlear integrum, debilioribus dimidium, deindè tecti in lecto bene sudent, & sex horis ab omni potu ciboque abstineant, si vires debilitentur dentur manus christi: earundem fere virium est aqua sive Tinctura à Cratone descripta in Curatione pestis. Atque ita variæ à varijs excogitatæ sunt formæ & compositiones Antidotorum, quorum mole non decet ægros fatigare & obruere, sed pauca convenientissima unicuique eligere. Nam in usu horum aliorumque Antidotorum tria observanda sunt, primò proprietas pestis. Compertum enim est, non omni pesti eadem semper profuisse, ut suprà diximus. Quare ea imprimis inquirenda, quæ substantiæ pro-

Observanda in usu Antidotorum tria

proprietate juvant, & unicuique pesti præ cæteris maxime resistunt. Ad inquirendum autem ea, quæ substantiæ proprietate veneno resistunt, servit non ratio, sed aut experientia sive observatio ejus, quod eodem modo accidere videtur, aut Analogismus, id est, perceptio causarum juvantium per similitudinem. Quare in qualibet peste eligenda sunt Antidota quæ usu deprehenduntur plurimos juvare. Verùm quia pestis tanta calamitate sævit, ut quicquid agas, malè agere videaris; nullaque brevi tempore dari queat certa juvantium experientia, ideo sumenda illa initio sunt, quæ venenis præcipuè resistunt, & in simili peste multis profuerunt, Vt Theriaca Andromachi, Theriaca Arnoldi, Bolus Armenus, Diascordium Fracastorij, pulvis Saxonicus &c. *Deinde* observanda est pestilentis febris natura, alia enim consistit in humoribus, alia in solida cordis substantia, & illa nunc ardens, nunc lenta, nunc media: unicuique idonea remedia conveniunt. Nam febris pestilens hectica aut ardens, valida antidota, ut theriacam &c. non sustinet, aut saltem in exigua quantitate cum medicamentis quæ vehementiam & caliditatẽ eorum contemperant, ut syrupo acetositatis citri, limonũ, coserva nymphææ, acetosæ, trochiscis de Camphora &c. At febris

febris lenta valida illa facilè sustinet. *Tertiò*, considerandà dispositio corporum, nam pueris, virginibus, & gravidis valida non exhibentur, sed juvenibus, virisque robustis. Deindè naturis biliosis calidis ea quæ pituitosis aut melancholicis, non conveniunt. Quare initio, ut diximus, alexipharmacis utendum, quæ putredini partium resistunt, si nil impediat. Præterea quò majorem corpus concipit putredinem, eò magis admiscenda erunt, quæ putredinem restingvunt, aut putridos humores & vapores consumunt, & à corde ad exteriora propellunt: non tamen unicuique corpori idem exhibendum, sed pro corporis affecti & febris natura. Nam multis sola frigida, quæ putredini resistunt, ut bolus Armenus, cornu cervi, coralli, margaritæ vices alexipharmaci præstant: nonnullis, quæ putredinem restingvunt, ut syrup⁹ limonu, acidi citri, spiritus vitrioli aut sulphuris, trochisci de cãphora pluribus calida hydrotica, ut Theriaca, Mithridatium, diascordium &c. Ex quibus omnibus illa Alexipharmaca maximè probantur, quæ simul qualitates occultas & manifestas habent, putredini & conditioni humoris contrarias. Circa initia utendum est Antidotis hydroticis, non expectata concoctione, ut in alijs febribus putridis fieri solet, quò venenata pernicies residens

Delectus Antidotorum pro cuiusq; natura.

Modus utendi hydroticis.

residens partim in vaporibus & ichoribus evacuetur & expiret: partim in crassiori materia à naturâ ad emunctoria & ignobiles partes faciliùs expellatur. Vtendum hydroticis pro natura febris, & dispositione corporis, validioribus ter aut quater ad summum ante quartum diem, interpositis semper decem aut duodecim horis, & refectis prius viribus, ut natura onere aliquo modo levata & levioribus Antidotis deinde adjuta, assuescat absque magnis hydroticis, id quod noxium est, expellere. Assumpto hydrotico æger si vires ferant, paululum deambulet, deinde ad sudorē in lecto se componat, admotis plantis pedum lateribus calentibus, & duas horas sudet, aut non ultra quam vires corporis debilitari cæperint, quo tempore vires confortentur manibus Christi perlatis, emulsione margaritarum &c. sudores abstergantur, corpus exsiccetur linteis calentibus, cavendo, ne aëris frigidioris occursu venenum introrsum recurrat. Exactis post sudorem duabus horis cibo reficiantur, atque hoc modo mane & vesperi triduo aut quatriduo procedendum erit. Verùm sudor nunquam provocandus ventriculo repleto cibo aut pravis humoribus, Vbi parcius fluit, utile est adjuvare exhibitis Electuarijs hydroticis cum decocto sassafras, sarsæparillæ aut radicum chinæ cum

cardiacis, ut describit Palmarius alijque, aut cum aqua theriacali.

Antidota pro pueris.

Infantibus, pueris, ac gravidis validiora Antidota, ut diximus, non conveniunt: Si infans lactansq; afficiatur, nutrici alexipharmaca prædicta exhibeantur, ipsi infanti detur pulveris bezoartici parum, aliquando nonnihil pulveris tormentillæ &c. cum lacte nutricis, aut aqua scabiosæ & carduibenedicti dulcorata manibus christi, vel emulsione margaritarum. Pueris post quartum aut quintum annum detur spec: liberantis, vel pul: Bezoartici, vel Elect: alicujus curativi ℈ ij. aut ʒ s. in aqua convenienti. Si alvus suppressa sit, excitetur glande, vel dentur mannæ Calab: ʒ vj. vel syr: rosati sol: ℥ j s. in decocto veteris galli, vel jure pulli cum cardiacis cocti. Si magna sit sanguinis redundantia, utile est initio crura scarificare aut hirudines admovere.

Cura gravidarum.

Gravidæ ægrè sectionem venæ, purgationes, aut valida hydrotica ferunt, tamen si necessitas exigat, ut monet Hipp: *4. Aphor: 1.* quarto mense atque usque ad septimum, purgare licet, sed levioribus; atque sanguinem mittere si valde sanguinea sit, metusq; suffocationis. Antidota debiliora conceduntur, ut in præservatione fortiora, potissimùm à tertio mense ad septimum, ut boli Armeni, vel spec: liberantis ʒ j. cum aqua

tormen-

tormentillæ, acetosæ. Vel Cap. VI.

℞ *specierum liberantis,*
rad: tormentillæ ana ℈ j.
zedoariæ,
margarit: præp: ana ℈ s.
mithridatij ℈ j. *vel* ʒ s,
aquæ tormentillæ vel decocti zedoariæ in aqua scabiosæ aut acetosæ ℥ iij.
syr: cort: citri,

vel, si febris ardentior sit, *acidi citri* ʒ vj. *fiat haustus.* Si vires sint debiles, dentur frequenter manus christi perlatæ, vel emulsio margaritarum in aqua acetosæ & buglossæ, addito pauco aquæ cinnamomi & syr: acidi citri, vel dulcoretur manibus christi &c. Probatur ista confectio in gravidarum affectibus & fœtus confortatione

℞ *gran: alkermes electi* ʒ j.
rad: tormentillæ ℈ ij.
nucis moschatæ ℈ j.
santali citrini rubri,
garyophyllorum,
margarit: præp:
corallorum rubr: præp: ana ℈ s.
fol. auri num: ij.

pulverizentur subtiliter, & cum sacchari albi q. s. soluti aqua rosarum fiat confectio in Tabulis. Alexipharmaca hydrotica in curatione pestis locũ primũ obtinẽt, & initio requiruntur, ut maligni humores & vapores à corde

expellantur &c. Verùm post quartum diem, aut translationem maximæ partis materiæ peccantis ad emunctoria & cutem, rariùs hydroticis utendum, sed Antidotis illis præcipue insistendum, quæ cor corroborant, spiritus reficiunt, & malignitati resistunt: cujus generis sunt manus christi perlatæ pro naturis frigidis cum aqua vel oleo cinnamomi, Elect: de gemmis, Conf: liberantis & cordialis, Diamargaritū, Diarrhodon Abb: lætificans Gal: Conf: Alkermes, Conf: de Hyacintho, pulveres Bezoartici &c. Componuntur ex speciebus cardiacis varia Antidota, additis conservis acetosæ, acetosellæ, rosarum rubr: buglos: borrag: nymphææ, violarum, flor: garyophyllorum, flor: calendulæ, fol: scordij, cort: citri condit. Si ingens sit æstus sitisque, rob ribes, berberum &c. Veluti si febris sit lenta

Confortātia.

℞ *Conser: flor: buglos:*
flor: garyophyllorum ana ℥ vj.
flor: calendulæ,
cort: citri condit: ana ℥ s.
sp: Elect: liberantis ℈ ij.
de gemmis,
diarrhod: Abb: ana ℈ j.
margarit: præp:
corallor: præp: ana ℈ s.
cornu cervi præp: succo scordij ℈ ij.
fol: auri num: iij.

cum

cum syr: cort citri, fiat conditum, addi poterit Confec: Alkermes ℥ j s. pro ditioribus. Si febris sit ardentior, cum magna siti &c.

℞ *conservæ acetosellæ,*
rosarum rubr: ana ℥ j.
rob ribes aut berberum ℥ j s.
sp: diamargariti frigidi ℈ ij.
Elect: de gemmis frigidis ℥ s.
solutionis margarit: & corall: rubr: in succo limonum,
cornu cervi præp: ana ℈ j.
smaragdi,
rasuræ eboris ana ℈ s.
troch: de camphora ℈ s.
fol: auri num: iiij.

cum syr: acidi citri q. s. fiat Conditum. Addi poterunt aliquot guttæ spir: vitrioli rectificati, aliquando nonnihil lapidis bezoartici. Ad vires reficiendas & malignitatem contemperandam servit emulsio margaritarum & corallorum ex aquis cardiacis: Item aquæ cardiacæ Palmarij, Cratonis & aliorum. In toto morbi decursu, si febris ardentior sit, ad calorem, putredinem, & malignitatem restinguendam dentur julepi ex syr: acidi citri, limonum, granatorum acidorum, de succo acetosellæ &c. cum aquis acetosæ & similibus, additis aliquot spir: vitrioli, & sulphuris guttulis ad gratam aciditatem, & nonnihil solutionis margaritarum.

℞ *succi acidi citri,*
cydoniorum,
granatorum acidorum depuratorũ ana ℥ ij.
aceti infusionis scordij & zedoariæ ℥ j.
sacchari albi q.s. coquantur ad consistentiam syrupi, Aromatizetur spec: diamargariti frigidi,
lætificantis Gal:
Aromatici rosati,
Diambræ ana ℈ j.
detur cum aquis cardiacis. Hæc & similia intrinsecus conveniunt.

Topica. Dum his alijsque utimur, prodest etiam pestilentem qualitatem oppugnare, viresq; cordis & viscerum confortare medicamentis exterius admotis. Admoventur autem cordi Epithemata, Inunctiones, sacculi, emplastra &c. ferè, ut in præservatione, habita ratione constitutionis corporis, virium ægri, & febris. Epithemata autẽ nonnulli improbant, præcipue refrigerantia & adstringentia, quia ad cor repellunt, & conatũ naturæ moventis venenatã materiã ad exteriora impediunt. Verum in vigore, ubi cor vehementer æstuat, aut à putrido calore vires debilitantur, non noxium esse, sed utile putamus, epithemata modicè refrigerantia cordi & carpis admovere, quæ non repellũt, nec conatum naturæ impediunt, sed potius cor firmant, spiritus reficiunt, & putridũ calorẽ cõtemperant. Veluti si febris sit ardens

℞ *aqua*

℞ aquæ rosæ:
borrag:
buglos: ana ℥ ij.
aquæ acetosæ,
nymphææ,
aceti rosacei ana ℥ j.
spec: diamarg: frig: ℈ ij.
Elect: de gemmis frig:
santali citrini & albi ana ℈ j.
camphoræ,
croci ana gr: v.
Theriacæ opt: ʒ j s.

misce, fiat Epithema: Addi poterit aliquid succi granatorum, acetosæ aut acidi citri. Verùm parciùs his frigidis utendum est. Si febris sit lenta, ad spirituum viriumq; refectionem

℞ aquæ buglos:
melissæ,
carduiben:
vini malvatici ana ℥ ij.
aquæ damascenæ,
flor: calendulæ ana ℥ j s.
spec: cordialium temperat: ℈ iiij.
de gemmis ℈ j.
zedoariæ,
croci ana ℈ s.
theriacæ opt: ℥ ij.

misce, f. Epithem: madefiat in ejusmodi liquoribus pannus ruber cocceus, & tepidè cordi

admoveatur: Interdum cum sacculo cordiali ex fol: calendulæ, buglossæ, melissæ, scordij, croco, speciebus cardiacis & similibus. Probantur hic tales inunctiones cordis, quales in Præservatione suprà descriptæ sunt. Vt

℞ *spec: cordialium temperat:*
spec: liberantis,
de gemmis ana ℈ j.
theriacæ opt: ʒ s.

cum aceto scordij aut flor: garyophyllorum: fiat linimentum. Addi poterunt guttæ aliquot olei cort: citri destillati, & similia, si non sit magnus fervor circa cor. Præ cæteris omnibus probatur oleum scorpionis compositũ, à Matthiolo descriptum, ac oleum Viperinum Magni Ducis cum alterutro horum: Vt primum invadit, inungatur regio cordis, pulsus manuum, pedum, temporum, item nares, occiput, gula, ac erumpentibus tumoribus locus in circuitu. Laudatur etiam inunctio arteriarum, carpi, & temporum, ac etiam spinæ dorsi, cum olei sive balsami sulphuris paracelsi ℥ j. theriacæ ʒ j. croci ℈ s. Exhibetur quoque intra corpus, cum aqua bezoartica, paratur autem hoc modo

℞ *flor: sulphuris ter sublimati* ℥ ij.
myrrhæ ʒ ij.
camphoræ ℈ iiij.
spiritus terebinthinæ ℥ iiij.

flores

flores sulphuris,
myrrha & camphora tenuissime pulverizentur, ponantur in cucurbita arcti orificij, superinfundendo spiritum terebinthinæ, deindè arctissimè claudatur luto sapientiæ, locetur in cineribus, supponendo lentum ignem per horas duas deinde augeatur ignis, ut bullire incipiat, & dissolvatur sulphur in oleum, hinc à fecibus separetur, & in loco tepido ponatur ad digestionẽ diebus septem. Ad attrahendam materiam ad exteriora prosunt non solum vesicatoria, cauteria, & frictiones, sed etiam peculiari proprietate, in petechijs potissimum, linimentum Aëtij, quo dorsi spina & extrema sæpius inungantur. Tandem ut maligna inquinamenta dispergantur, cubiculum sæpè aspergatur æstate aceto & aqua rosarum additis santalis &c. sed noctu frigidisque temporibus ignes luculenti excitentur, suffitus crebro fiant, aliaque ut suprà in præservatione.

DE CURATIONE BUBONUM, Carbunculorum, & Exanthematum Pestilentialium,

CAPUT VII.

SUperest, ut de cura Apostematum & Exanthematum pestilentialium agamus. De Causis signisq; pestilentialium bubonum, Anthracum & Macu-

larum ſupra dictum: horum omnium curatio ſub peſtis curatione continetur, & cum ea conjuncta eſt. Nam eorum curatio non aliam, quam peſtis, diætam, chirurgiam & præſidia pharmaceutica requirit, tantum peculiaria topica ſive medicamenta localia, quæ, ut in curatione aliorũ tumorum, initio à parte affecta non repellunt, ſed potius vitioſam materiam attrahunt; deindè tumorẽ digerunt, contemperant & emolliunt; Tertiò facta ſuppuratione aperiunt, mundificãt, carne implent & conſolidant. Nam in peſtis curatione non ſolum laboramus, ut in parte ignobili apoſtema oriatur, ſed etiam materiã peccantẽ eo attrahimus, ut illi parti pejus ſit, cordi & internis partibus melius. In omnibus tumoribus & exanthematibus peſtilentialibus cavendũ ſedulò, ne humor malignus foras viam affectans, intrò repellatur & recurrat. Repellunt autẽ & revocant ſomnus profundus, aëris frigiditas, timor, triſtitia &c. interdum phlebotomia & purgatio intempeſtivè adhibita. Quare vitanda illa omnia erunt, &, niſi neceſſitas exigat, ut ſuprà diximus, nec inſigni purgatione, nec phlebotomia utendum, ſed potius hydrotica & bezoartica exhibenda ſunt, evocantia & attrahentia admovenda, quæ naturæ conatum, propellentis ad exteriora, juvant. Nam omnibus modis laborandum eſt, ne tumo-

Obſervanda in curatione omnium tumorum peſtilentialium.

tumores aut maculę delitescant, sed evocentur, & primùm, ut venenum versus exteriora trahatur, deindè tumores augeãtur, emolliantur, malignitate superata, & maturentur: Tertiò quia plerumq; radices habent altas, cum magna putrefactione interna, ideo tamdiu differenda non est apertio, ut in alijs tumoribus, sed aperiantur interdum, etjamsi perfecte maturi non sint, foramine satis amplo. Quartò mundẽtur, hinc repleantur, tandem consolidentur. Verùm ne venenum ad interiora repellatur, tumoribus omnia tepide admovenda sunt, deinde ulcera diu aperta conservãda, nec citò consolidanda. Præterea nec multa unctuosa adhibenda, quæ poros constipant, & discussionẽ impediunt. Quare remotis Emplastris tumores sæpius foveantur decocto emolliente digerente, ex rad: liliorum alborum, altheę, malvæ, scabiosæ, flor: camomill: &c.

Atq; ut à Curatione bubonis incipiamus, si tarde incrementum susceperit, aut evanescere cœperit, decet non solum hydroticis alijsque cardiacis assumptis, sed etiam extrinsecus attrahentibus motum naturæ juvare. Attrahunt autem ad exteriora frictiones; podex vivæ gallinæ, columbæ & similiũ deplumatus, tumori admotus; cucurbitulæ; hirudines, cum scarificatione; item fomenta & Emplastra attrahentia. Nam dũ natura *Curatio bubonum.*

non

non ſufficienter vitioſam materiam expellit, juvanda eſt attrahantibus ad partes ignobiles, cavendo tamen, ne validè attrahentium uſu dolor febriſque multùm augeatur vireſque debilitentur. Quare ſi bubo ſit ex lenta craſſa materia, cum exiguo aut nullo dolore, & lentè augeatur, aut evaneſcere incipiat, conſultum tùm demum eſt, ei cucurbitulam admovere, & ſexta hora innovare: Nam cucurbitula vim veneni ab interioribus partibus in tumorem convertit. Quidam tumorem ſcarificant & hirudinem admovent, poſt emplaſtrū validè attractivum. Verùm ſi bubo per ſe ſpontè ſatis augeatur, aut dolorem & calorem inſignem habeat, ab his validis attrahentibus, ac etiam emplaſtris plurimum calefacientibus abſtinendum eſt, & mitioribus utendum, quæ magis digerunt & maturant, quàm attrahunt. Attamen initio, & ſi metus ſit, ne materia ad interiora recurrat, utile eſt partibus buboni vicinis cucurbitulas admovere. Palmarius alijque nonnulli infra tumorem deorſum verſus in recta linea, ubi quaſi nervus durus ſentitur, duas cucurbitulas admovent, unam poſt aliam, & relicta ſuperiori inferiorē ſæpe repetunt, tandemq; ea detracta locum ſcarificant, aut veſicatorium imponunt, unde bulla excitatur, qua diſrupta ulcus oritur, quod diu apertum ſervandum

vandum est: Ipsum vero tumorem sæpe fovent decocto digerente, emolliente, ex rad: althææ, liliorum alborum, malvæ, scabiosæ, scordij, flor: camomillin. meliloti, Sem: lini, fænugræci &c. Tumori si lentè augeatur loco cucurbitulæ tutius multò admovetur podex deplumatus gallinæ vivæ ova ponentis, quo sphinctere ani sui venenum attrahat sine insigni dolore, si prima moriatur, alia substituatur viva; idem commodè fit aperta vomica. Quidam catellum aut gallum per medium dissectum, theriaca illitum, calide admovent, & pulmones recenter extractos. Paracelsus scribit, bufonem exsiccatum in aêre ad solem, omni tumori pestilenti admotum per integram cutem ita extrahere, ut veneno turgescat. Deindè passerem vivum detractis plumis tumoribus tantum post aures admotum ante ortum solis venenum extrahere & mori, sed mortuum comburendum & sepeliendum esse: Item murænam vivam ante solis ortũ sub alis ligatam, ac ranam vivam eodem tempore inguini admotam, non post aures, venenum attrahere &c. Præterea lib: *de Pestilitate Tract: 2.* Pro viris laborantibus scarabeũm illum cornutum, quem *cervum volantem* vulgò vocant, conterit, & in aceto 24. minutis horæ coquit, & in eo ranam exsiccatam madefacit, & tumori aut ulceri ca-

lidè

CAP. VII.

lidè admovet, ac singulis sex horis renovat. Pro mulieribus scarabæum communem sumit, & loco ranæ bufonē exiccatum. Verùm in horum aliorumq; usu, sicut etiam in descriptione specierum pestis, varius est & inconstans. Species autem pestis, ut suprà diximus, quatuor ponit, scilicet ignis, aëris, aquę & terræ, fortassè iuxta regiones macrocosmi & microcosmi. Deindè lib: *de Pestilitate tract:* 1. Signa pestis ignis sunt; tumores post aures, ingens sitis & ardor, somnus continuus &c. Aëris; tumores sub alis cum punctionibus & tensione pectoris, ingens dolor capitis, delirium, tibiarum continua jactatio &c. Pestis aquæ; tumores in inguine, magna sitis sine potus desiderio, somnus exiguus, intumescentia labiorum, palpebrarum & pedum. Pestis terræ, *lib: de Pestilitate Tract:* 1. signa sunt somnus profundus sine tumoribus, & tantùm cum maculis lividis, aut quasi vibicibus ex percussione aut flagris. Contrà *lib: 2. de Tartaro 2. tract: 3. Cap:* dicit: *apostema primum signum pestis terræ.* Remedia ponere videtur alia omnibus pestis speciebus communia, ut Theriacā, & similia; alia unicuiq; propria ex signatura, aut elementi sive substantiæ similitudine. Hæc duplicia ipsi sunt, quędā pestis venenū attrahunt, alia incarnant aut cōfortant. Venenū pestis ignis primùm attrahūt, cepa, alliū, manna, tereniabin &c. Confortāt aut incarnant, coralli rubri, granatus, rubi-

Differentiarum pestis signa & curatio iuxta Paracelsum.

nus, Amethystus & similia, quæ fulgent. Deindè venenum pestis aëris extrahunt passeres, picæ, corvi, gallinæ, perdices, pavones, aliaq; volatilia, quæ circa aquas non degunt. Confortant agaricus, terebinthina &c. Tertiò venenũ pestis aquę extrahunt rana, bufo, anguillæ, ciconia, anas &c. Incarnant sambucus, coralli albi, margaritæ quia sunt ex genere limacum aquatilium aut ostrearum, quæ admota venenũ attrahunt, ut rosæ, margaritæ incarnant, Verùm limaces montani venenũ aëris magis attrahunt. Tandẽ pestis terræ venenum extrahit, caro talpæ, vulpis, lupi, felis, axungia taxi &c. Confortativũ pestis terræ; est boletũ cervi, spirit⁹ tartari &c.

Adhibentur buboni Vnguenta & emplastra attrahentia, quæ digerendi emolliendi vi prædita sunt, cujus generis sunt, cepa cocta addita theriaca & butyro, vel cepa magna excavata repletur theriaca sub cineribus cocta, hinc contusa, & cũ axungia porci mixta cataplasmatis forma. Validius attrahit allium coctum adjecto fermento & Theriaca. Vbi bubo lentè augetur cum exiguo dolore, prodest hoc cataplasma *Vnguẽta bubonibus adhibenda.*

℞ *rad: althea,*
liliorum alborum,
ceparum ana ℥ j s.
scabiosæ m j.
ficuum pinguium concisarum num: v.

coquan-

coquantur, conterantur & per Setaceum transmittantur, addendo
pul: sem: sinapi ℥ s.
stercoris columbini ʒ vj.
farinæ hordei,
lupinorum,
fænugræci,
erobi ana ℥ j.
incorporentur cum mellis q. s. & olei liliorum albor: ℥ ij.
ol: scorpionum ℥ j.
croci ℈ ij.

fiat Cataplasma, addi poterunt fermenti acris ʒ vj. Vtuntur communiter in hoc casu Diachylo magno aut Ireato, vel

℞ *Diachyli* ℥ ij.
gummi ammoniaci,
galbani ana ℥ s.

cum oleo scorpionum incorporentur; Laudatur mirifice Emplastrum istud Paracelsi

℞ *gummi Opoponacis* ℥ ij.
serapini ℥ iiij.
bdellij ℥ iij.
galbani ℥ j.
olibani ℥ ij:

dissolvantur & coquantur in aceto, percolentur; addendo pulveres unius bufonis ac etiam ranæ exiccatæ, sulphuris vivi ℥ j
camphoræ ʒ j.

fiat Emplastrum imponendum apostemati & sin-

& singulis sex horis renovandum. Probantur quoque in Carbunculis Emplastra, quæ quia discussionem impediunt, sæpius removenda sunt, & pars decocto digerente & emolliente fovenda, ut suprà. Evocato sufficienter humore vitioso, & tumore satis aucto, maturantia & digerentia admoveãtur, & si humor discuti nequeat, ad suppurationem perducendus est, cataplasmate ex cepis coctis in cineribus & caricis elixis, addito butyro & fermento, aliquando additis farinis hordei, fænugræci &c. Vel utantur unguento Basilico, & in naturis frigidis, ut melius attrahat, misceatur aliquid fermenti & theriacæ & similium. Additur emplastris sub finem nonnihil cantharidum, ut citius vomica rumpatur: Nam apertio bubonis ut non est acceleranda ante omnem suppurationem, ita facta suppuratione non est differenda. Aperiendus est in decliviore loco scalpello aut cauterio, deinde mundificetur Vnguento ex Apio, aut ex melle, terebinthina, farina hordei, aut

℞ *terebinthinæ* ℥ j.
succi scabiosæ,
scordij ana ℥ j.
vitellorum ovorum, num: j.
croci ℈ s.

fiat linimentum. Si ulcus valde impurum sit, aut caro supercrescat, transeundum ad Vng:

Apostolorum & Ægyptiacum. Vlcere purgato caro regeneretur insperso pulvere *ex*
sarcocollæ ℥ ij.
thuris,
myrrhæ ana ℥ j ß.
aloes ℈ ij.
rad: iridis,
scordij ana ℈ j.
fiat pulvis. Vel cum melle rosato, addita terebinthina & vitello ovi, fiat linimentum. Tandem ulcus repletũ consolidetur Vng: albo camphorato, vel rubro exiccante &c. post vomicam ruptam ad consolidationem usq; imponatur Emplastrũ Opodoltoch Paracel:

Carbunculorũ Curatio. Deindè Carbunculi ob majorem materię adustionem & malignitatẽ ac sævitiam symptomatum, quia ut plurimũ magis sunt periculosi, quàm bubones, ideo majorẽ magisque diligentem curam requirunt. Hæc in diæta, chirurgia & medicamentorũ usu eadem est, cũ pestis curatione. Phlebotomiæ si necessitas sit, initio administretur ea forma, ut diximus in præcedente capite. Purgatio levis hic conceditur (ne humor malignus adustus exagitetur) medicamento humores adustos blandè subducente. Victus ratio hydrotica, cardiaca, aliaq; confortantia minus calida requirit, aut frigidis tẽperata. Topica Carbũculi curatio sumitur à natura carbunculi & differentijs. Nam Carbunculi licet omnes

omnes sint tumores fervidi, cum ulcere e-scharotico, à materia venenata adusta, tamẽ varias differentias admittunt: Alij enim parvi adhuc sunt, nullo insigni dolore aut calore infesti, materia venenata intus restitante. Alij contra magni, cum insigni ardore & calore; quorum quidã minus maligni sunt, qui ad suppurationẽ citius deveniunt, faciliusq́; curantur, alij valde maligni cum sævissimis symptomatibus sævientes, qui vel ad suppurationem non perveniunt, sed aperti lividum serum profundũt; vel serpunt, carnemq́ue latè depascunt; vel extincto calore nativo in gangrænam degenerant: atq́; hi omnes perniciosi præcipuè in trunco corporis, ac difficilimè curationem admittunt, cæteri faciliùs. Verùm cum carbunculi pestilentis venenata sit materia, in ejus curatione valide repellentia nunquã conveniunt, sed potius, quæ ab internis corruptam materiam attrahunt & evacuant, malignitatẽ restingvũt, putredinem tollunt, digerunt & maturant, ulcus crustosum sanant. Attrahentibus autẽ potissimum utendum est, si affluxio pigra sit, & tumor exiguus, cum levi dolore aut ardore, præcipuè in parte ignobili longe à corde & visceribus. Verùm si fluxio acris multa sit, tumor ferventissimus cum summo dolore, ad temperandum calorem & dolorem cogimur refrigerantia adhibere, quæ leviter

tantùm repellunt, partesque sanas munire. Ac primum attrahunt venenū ab exterioribus, ut in curatione bubonis, podex gallinæ deplumatus admotus, bufo exiccat9 &c. Validius trahunt & educunt cucurbitulæ, scarificationes, hirudines, caustica, ferrum candens inustum, quod putredinem valde coërcet. Adduntur Cataplasmata & Emplastra attrahentia. Quare cum carbunculus exiguus est lenteque procedit, & in parte ignobili, nonnulli ipsi cucurbitulam admovent, alij potius duas aut tres affigunt, proxime carbunculum deorsum versus in recta linea, ut in bubonis curatione. Aliqui carbunculos scarificant altis plagis & hirudinē interdum admovent, vel hoc Cataplasma

℞ *salis tosti,*
fuliginis, ana ℥ j.
limacum sine testis num: iiij. *therica* ℥ j.
terantur cum vitello ovorum,

fiat Catapl: Nonnulli ferro candente inurūt, aut cauterium admovent, vel vesicatorium, ut aperto tumore venenum diffluat. Semper ut primùm in carbunculo vesicula apparet, scarificetur: deinde aqua salsa calente abluatur cum pauco aceti. Si tumor exiguus sit, cum non magno dolore, imponantur postea fomentationes ex decocto rad: altheæ, liliorum, malvæ, violariæ, scabiosæ, plantaginis, sem: lini, fænugr: &c. Cataplasmata & Emplastra

plastra digerentia, qualia in curatione bubonis. Quidam initio tumorem aqua calida fovent, deinde Theriacã mixtam oleo scorpionis imponunt &c. Evocata sufficienter materia, aut si sponte vehementius influat, cum summo ardore & dolore, ne in gangrænam abeat, consultum est, fervorẽ remittere & putredinẽ restinguere. Ea præstat Cataplasma ex malis punicis uno dulci, altero acido coctis in aceto, sed quia multum repellit, & plerisq; suspectũ est, parciùs uti oportet, deinde restincto nonnihil ardore, digerente emolliente decocto fomẽtare &c. Probatur Emplastrum Galeni ex farina lentium pane & plantagine, vel istud Mercurialis

℞ lentium elixarum,
panis furfuracei ana ℥ s.
pull: gallorum,
scordij ana ʒ j.
succi plantaginis ℥ j.

misce, fiat Cataplasma, tumori imponendum & sæpius renovandum. Si dolor vehementiùs urgeat, admoveatur Cataplasma ex pane furfuraceo, cum lacte caprino & succo plantaginis, addi poterit aliquid flor: hyoscyami. Ne verò horum refrigerantiũ usu, humor, qui influxit, repellatur, & ad principes partes recurrat, in ambitu tumoris pars illinenda est Vnguento isto ex bolo aut simili,

℞ boli Armeni ℥ ij.

terræ sigillatæ ℥ j.
sanguinis draconis ℥ ß.
camphoræ ℈ j.
cum olei rosarum & aceti q. s. fiat linimentum.

Deindè tentanda est carbunculi suppuratio. Maturat Carbunculos radix symphyti majoris, inter duos lapides contrita cum sale & vitello ovi, Item scabiosa similiter contrita, cum axungia porci veteri, vitello ovi & momento salis, addi poterit aliquid theriacę & fermenti. Idem fere præstat succisa & tussilago simul contusa, aut medulla juglandiũ vel avellanarum assata, mixta cũ farinâ hordei, axungiâ porci, & vitellis ovorum, additur sub finem interdum cepe coctum & fermentum. Si non admodum sæviat malum, maturatur & aperitur tumor Cataplasmate ex ficubus coctis fermento & sale, additur cepe coctum, farina hordei &c. Vel cepe excavatum, theriaca repletum sub prunis coquatur & admoveatur. Maturat carbunculum ac simul partem sanam à corrupta separat Vnguentum istud Valleriolæ

℞ *succi symphyti,*
scabiosæ,
& calendulæ cujusq; ℥ j.
theriacæ ℈ iiij.
salis ℈ j.
vitellorum ovorum num: ij.

fiat linimentum. Vel linimentum Palmarij ex fuligi-

CAP. VII.

fuligine, sale &c. Si pars putrescat, aut putredo latius serpat, ei admovenda sunt, quæ validè exsiccant, & partē corruptam absumunt, ut Vnguentum Ægyptiacum aut Apostolorum. Linimentum ex pastillis Andronis & Pasionis cum vino dulci, Vel pulvis aluminis usti, aut mercurij præcipitati, aut Cauterium potentiale: his & similibus pars corrupta à viva separatur. Laudatur plurimum ferrum candens inustum, quod carnē corruptam cito consumat, valideq; exsiccet & putredinē restinguat, item aqua fortis aurifabrorum & similia. Vt autem ulcus crustosum sanetur, primo crusta detrahatur, Crustam resolvit unctio cum butyro loto, citiùs hoc Cataplasma

℞ *farinæ tritici & hordei ana* ℥ iij.
malvæ,
althea,
violariæ ana m s.
coquantur, terantur, addendo butyri recentis,
axungiæ porci ana ℥ ij.
vitellorum ovorum num: ij.
fiat Cataplasma. Detracta crusta, & extracto eo, quod radicem vulgus appellat, ipsum ulcus primùm diligentissimè mundetur, diúque apertum reservetur, deinde carne repleatur, tandem consolidetur, ijsdem aut similibus, quibus in cura bubonis, aut ut docet Paræus, Fallopius alijque.

VII.

Petechiarum Curatio.

Tertiò, Exanthemata, ut petechiæ sive maculæ pestilentiales in corpore erumpentes, non aliam curationem, quàm febres pestilentiales, postulant. Eliciuntur & curantur maculæ potissimum hydroticis, initiò levioribus, pòst validioribus, cavendo diligentissimè, ne à frigore humor intrò repellatur, aut timore, intempestivis purgationib⁹, & similibus ad interiora recurrat. Quare frictionibus, cucurbitulis, scarificatione crurũ, alijsq; omnibus remedijs humor venenatus in corpore latens ad cutem evocetur. Vt in morbillorũ cura rubris linteis involvantur, frequenterq; bibant decoctum caricarũ, lentium, florum calendulæ, interdum cum pulvere laccæ ablutæ, croci &c. Ad evocandam materiam in Petechijs peculiari proprietate commendatur linimentum Aëtij, aut hoc non dissimile,

℞ *olei amygdalarum amararum* ℥ vj.
olei camomillini ℥ ij.
nitri præp: ℥ iij.
aquæ camomillinæ ℥ ij.

coquantur ad aquæ consumptionem, addi poterit aliquid olei scorpionum, Hoc sæpe illinatur spina dorsi & extremæ partes, præmissâ frictione. Tandem accidunt Pesti multa sævissima symptomata, ut dolor capitis, vigiliæ, deliria, sæpe sopor aut veternus, Item cordis palpitationes, syncope, cardialgia, singultus, sitis,

ſitis, linguæ nigredo & aſperitas, vomitus, alvifluxus, aliaque complura, quæ ſæpè magnam curationis partem ad ſe trahunt. Nam unicuique ſymptomati urgenti occurrere oportet remedijs appropriatis, de quibus infrà in calce hujus libri plurimis agemus, additis ſemper bezoarticis & cardiacis, quæ malignitati reſiſtunt &c.

DE VARIOLARUM, ET MORbillorum Natura, Cauſis & Signis.

CAPUT VIII.

CUm Variolæ & Morbilli febrem adjunctam habeant, & inter contagioſos morbos numerentur, peſtéque ut plurimùm præcedere aut ſubſequi ſoleant, ideo Avicenna alijq; poſt peſtē de Variolis & Morbillis agunt. Continentur autē variolæ & morbilli ſub genere exanthematum, quæ à Latinis papulæ communiter dicuntur. A Gal: *comm: 6. Aphor: 9.* & à Celſo *c.28. lib. 5.* duplicia recenſentur exanthemata: alia lata, quæ modo rubent, modò colorem cutis repreſentant: alia ſublimia majora & eminentia quæ ἐκθύματα proprio nomine plerumque dicuntur. Sub illo genere continentur primum papulę per totum corpus erumpentes, quæ ob parvitatem minuſque conſpicuā eminentiam, aut quia pueris *Exanthematum differentia.*

inprimis accidunt, *morbilli* peculiari nomine dicuntur. Deindè quæ vibices referunt, aut in malignis febribus pulicum morsibus similes sunt: Item rubores sive purpuræ, quę *ἐρυθήματα* dicuntur. Sub hoc genere continentur pustulæ majores, eminentes per totum corpus cum dolore & pruritu, quæ quia vari sive ionthi similitudinem exprimunt, *variolæ* propriè vocantur: Item pustulæ colore albo, nullum aut exiguum pruritum inducentes, his similes quę à ferventi aqua ambustis emergunt, quæ quia sunt veluti vesiculæ plenæ aqua, instar cristalli splendentes, *cristallos* nonnulli appellare solent. Has omnes fere Aëtius *lib.2. Tetrab: Serm: 1. c.129.* attingere videtur. Nos verò de variolis & morbillis, quæ modo generationis differre non videntur, nunc solum agemus.

Quinq; observanda in variolis & morbillis.

In Variolis & Morbillis quinq; observanda sunt, quibus ab alijs exanthematibus distingvuntur. *Primum*, variolas esse exanthemata sublimia per totum corpus erumpentia, in abscessum plerumq; desinentia, cum ichore purulento, magno dolore & pruritu: Morbillos vero exanthemata lata, per totũ corpus erumpentia, cum exiguo dolore & pruritu, quę facilè discutiuntur. *Deindè* cum febre continente, quæ impetuosa est, plerumque advenire. *Tertiò*, omnes fere homines his

nes his

nes his malis semel potissimum tentari, paucos bis, paucissimos ter. *Quartò*, puerili ætati inprimis contingere, raró juvenili, rarissimè senili. *Quintò*, morbum ut plurimum contagiosum & epidemicum esse, sed non pestilentem, pluribusq; cōmunicari, inprimis pueris, & qui hoc malo prius tentati nō fuerunt: Interdum accidere, ut hic morbus sporadicus tantum sit, & hunc aut illum privatim apprehendat. His positis & concessis, apparet quidem, hunc affectum ante Arabes à veteribus in libris, qui nunc extant, satis distincte & diligenter pertractatum non fuisse: non tamen certa ratione inde colligitur Hipp: Gal: Celsum, Aëtium, aliosq; veterum variolas & morbillos prorsus ignorasse, aut circa tempora Arabum primum incepisse. Nam nec ipsi Arabes, qui hunc morbum satis distinctè & accurate tractarunt, affirmare videntur, novum aliquod morbi genus esse, veteribus incognitum. Deindè si novus fuisset, causas ejus non retulissent ad reliquias impuritatis sanguinis menstrui, quo in utero fœtus usus est. Verùm credibilius multò est, aut vitium hoc, illa ætate, minùs grave fuisse: aut quia eruptiones criticæ sunt, sive accidentia, quæ ut plurimum epidemijs affectibus, aut febribus synochis ex sanguinis ebullitione superveniunt, separatim de ijs

An veteribus cognitæ fuerint variolæ & morbilli.

tracta-

tractationē nullam proposuisse. Hæ namq; pustulæ & maculæ supra cōmunem pustularum rationem nil ferè habent, nisi quod per modum κρίσεως in morbis cotagiosis erumpant. Deindè nec supra aliarum pustularum curationem, nisi quod repellendæ non sint; sed potius quia vi naturæ oriuntur, propellentis materiam morbosam ad ignobiliores partes: ideo omni ingenio juvandæ & promovendæ non aliter sunt, quam exanthemata in febribus pestilentialibus; in quibus non minus periculi est, si materia repellatur, aut ad interiora recurrat, & naturæ conatus impediatur. Qua ratione ab Aëtio quoque curantur *lib. 2. Tetrab: Serm: 1. cap. 129.* Nam in confesso est materiam variolarum & morbillorum esse humorem vitiosum, ad cutem à natura expulsum. Deindè variolas, quia inflāmationes referunt, ab humore crassiore: morbillos qui Erysipelati similes sunt, à tenuiori magisq; bilioso oriri. Tertio expulsionem à natura fieri, per ebullitionem massæ sanguinis, à causa aliqua naturam ad expulsionem stimulante. Verùm quæ illa causa sit, disputatur à Medicis. Fernelius quia morbum hunc semper Epidemicum esse arbitratur, ad cæcam & occultam aëris vitiati qualitatem refert: Cum tamen (ut experientia testatur) non semper Epidemicus sit. Deindè si esset, pueros aut

Opinio Fernelii de causa variolarum & morbillorum.

eos so-

eos solos non infestaret, qui hoc malo prius tentati non fuerunt. Concedimus quidem, aërem vitiatum causam esse, quod vitium hoc contagio serpat,& eodem tempore plures inficiantur: Verùm quod omnes fere homines semel ut plurimum afficiantur, deinde quòd illi,qui hoc malo semel tentati fuerunt,rarissimè iteru corripiantur: negamus causam ejus externam esse, ut aërem,omnibus tam qui prius hoc malo tentati fuere, quam non tentati,comunem; sed internam aliquam, omnibus, ut primum nascuntur, communem: cum effectus cõmunis communem requirat causam, proprius propriã. Quare necesse erit,causam, cur omnes fere hoc malo vexentur, cõmunem, internã, aut quasi omnibus connatam esse: cur vero pauci tantu bis aut sępius,cuiq; naturæ propriã.

Opinio Mercurialis. Istam causam communem internam Mercurialis arbitratur esse proprietatem aut inclinationem contractam à parentibus, qui hoc vitio prius tentati fuerunt. Statuit enim variolas & morbillos veteribus ignotos fuisse. Deindè suspicatur, tantùm circa tempora Arabum cæpisse, vitio cæli aërisque. Tertiò omnes à parentibus, qui his malis correpti fuerunt, aptitudinem ingenitam accepisse ad similes morbos perpetiendos; Ac proinde variolas & morbillos fieri paterna hæreditate ex sanguine

&icho-

& ichoribus ebullientibus, ob calorem, qui in corporibus varijs modis excitatur. At nec hæc opinio consentanea videtur. Nam ut supra dictum est, si novum morbi genus veteribus incognitum fuisset, quod circa tempora Arabum primum incepit, profecto Avicenna, Avenzoar, cæteriq; tum temporis medici præstantissimi vel verbo indicassent. Deindè nec causam retulissent ad reliquias impuritatis materni sanguinis in fœtu. Quod si vitio aëris contracta sit primum ex parentibus ista habitudo & inclinatio in liberis omnibus: cur non & illi, qui ex parentibus prius peste infectis nascuntur, talem ingenitam inclinationem ad pestem suscipiendam acquirunt? præterea si morbus sit hæreditarius, cur semel tantum hoc malo pleriq; corripiuntur? cum in omnibus morbis, qui hæreditarij proprie dicuntur, id contingere non soleat.

Opinio Arabum.

Quare magis probabilis erit opinio Arabum, qui causam illam communem internã referunt ad reliquias impuritatis sanguinis menstrui, quo fœtus in utero nutritus fuit, & viscera concreta. Has arbitrantur in corpore post ortum tamdiu latere, donec cum sanguine effervescentes, natura eas (veluti mustum ebulliens spumam & fecem) ad exteriora corporis expellat. Verum ut in omni concoctione duo sunt excrementorum genera:

nera: unum tenuius, alterum crassius: aut ut mustum dum fervet, à duplici excremento purgatur, quorum unum quod tenuius est, spuma scilicet, innatat; alterum, quod crassius est, feces nimirum, fundum petunt, quibus expurgatis, manet vini substantia pura: Ita quoque Arabes statuere videntur, partes corporis, quæ in utero ex menstruo sanguine formatæ & nutritæ fuere, duplicem materiam alienam, crassam scilicet & tenuem, tamdiu acquirere: Aut, ut voluit Avenzoar *ultimo capite* libri sui, ipsum fœtum ex utero labem sanguinis menstrui contrahere, etiamsi puro sanguine materno nutriatur; quemadmodum nova pasta panis vim fermenti contrahit ex solo vase, ubi fermentatio sępe factafuit. Deindè hanc labem aut inquinamenta tamdiu retinere, donec natura stimulata interdum à causa interna, sæpius ab externa, ut aëre vitiato aut contagio vagante, per ebullitionem quandam sanguinis, materiam vitiosam expellat: ac tum ex materia crassiori effervescente cum sanguine, expulsa ad cutem, variolas; ex tenuiori, morbillos oriri. Hæc Arabum opinio omnium maxime probabilis videtur, etiamsi omni dubitatione non careat. Nam cum variolæ & morbilli omnibus hominibus fere communes

Confirmatur opinio Arabum.

munes ſint,ut plurimum vero ætati puerili, neceſſe erit, à cauſa aliqua provenire, quæ omnibus hominibus communis ſit, & illi ætati cumprimis. At talis nulla ne excogitari quidem poterit, præter eam, quæ in utero materno contracta eſt, aut fortaſſe ex lacte, quo infantes primum nutriuntur: ſed lac mulieris ſanæ benè diſpoſitæ, conveniens alimentum infantibus videtur. Deindè compertum eſt, variolas exortas fuiſſe, fœtu adhuc in utero exiſtẽte, aut paulò poſt partum. Relinquitur igitur, cauſam illam communem ab utero eſſe, vitio aut ſeminis, unde formantur partes ſpermaticæ; vel materni ſanguinis, unde nutriuntur, & viſcera concreta ſunt. Verùm morbi contracti vitio ſeminis tenaciſſimè adhærent, nec unquam facilè eradicantur; ſed ſemel geniti, aut perpetuò manent, aut ſæpe facileq́; recurrunt. Supereſt igitur, cauſam iſtam referendã eſſe ad menſtruum ſive maternũ ſanguinem, quo fœtus in utero nutritur; cujus vis in puerili corpore maxime viget, ob relictas geminas impuritates, pravamq́; qualitatem in partibus: unde ſæpe poſt ortum aliqua humorum pars inquinatur, eaque potiſſimum, quæ ex vitioſo alimento gignitur.

Duplex materia Variolarum & morbillorum.

Quare Avicenna duplicem materiam variolarum & morbillorum ſtatuit: unam omnibus communem, reliquias illas nutrimenti

menti fœtus in utero: alteram propriam, humores genitos ex alimentis vitiosis. Nam ex solis impuritatibus sanguinis materni, relictis in fœtu, tanta variolarum & morbillorum copia, quantam sæpe videmus in ætate provectis, non oritur. Deinde credibile non est, illas impuritates tam longo tempore easdem prorsus numero in corpore manere, licet Isaaco probabile videatur; sed potius ex materno sanguine remanere aliquid in substantia partium, quod deinde cum affectu, quem solidæ partes contraxerunt, semper nonnullos humores ad talem corruptionem dispositos, ex illis, qui assiduè gignuntur, inficit; donec omnis hujusmodi materia aliena, & inquinamenta partium impetu naturæ separentur. Verum ab illis inquinamentis sanguinis materni laborat non statim fœtus in utero, nec infans semper post ortum: sed diu in corpore latere possunt, vel quia naturæ ita molestæ non sunt, ut statim ad expulsionem stimulent, viresque suas exerant, quod vel in pessimo illo veneno canis rabidi accidere solet: vel quia ipsa natura ita impedita est, & ob alias actiones magis necessarias (scilicet nutritionem & augmentationem) tam occupata, ut materiam istam non aggrediatur. Aggreditur autem natura non impedita, ab inquinamentis turgescentibus

Quare non statim laborat fœtus in utero aut infans post ortum.

ſtimulata, plerumque ſumpta occaſione ab aêre vitiato, aliiſque cauſis remotioribus. Quo tempore, quia natura fervet deſiderio expellendi, magnoque labore & conatu inſurgit, ſanguis exagitatur, calorque præter naturam excitatur. Atque hæc commotio ſive exagitatio communiter ebullitio dicitur, cujus interventu, non ſecus ac in muſto feces & ſpuma à vino; ita in corpore inquinamenta illa à ſanguine omnibusque partibus vi expultricis facultatis ſecernuntur, & per cutaneas partes extruduntur. Nam vi caloris homogenea facile congregantur, & heterogenea ſeparantur. Verùm ex craſſioribus illis impuritatibus ebullientibus cum ſanguine, & ad cutem propulſis, variolæ; ex tenuioribus verò, morbilli generantur. Quare ubi utraque impuritas ſatis efferbuit, ſi natura robuſta ſit, tota ad cutem propellitur; unde corpore ab his impuritatibus perfectè expurgato, variolæ & morbilli nunquam deinde redeunt. Quod verò paucis nonnullis interdum recurrant, potiſſimum variolæ, cauſa erit, quia primo tempore impuritas illa craſſior aut tenuior non ſatis deferbuit, & à natura debili & impedita non tota expulſa eſt; ſed pars aliqua relicta, ad quam expellendam natura iterum inſurgere cogitur, ſumpta plerumque occaſione ab aëre vitiato: quod maxi-

Quare ſemel omnes fere variolis & morbillis tentantur, nonnulli bis aut ter.

maxime evenit, si humores geniti ex vitiosis alimentis ab impuritatibus materni sanguinis inquinentur, nam ex solius menstrui sanguinis impuritatibus semel ut plurimum variolæ oriri solent, depurato sanguine à crassiore quasi fece, unica ebullitione; non aliter, quàm in vino accidere videmus. At propter vitiosos humores genitos ex pravis cibis in corporibus cacochymicis, bis aut ter provenire poterunt: sumpta occasione ab aêre vitiato, & contagio vagante.

Definitio Variolarum.

Ex quibus colligitur, quod *Variolæ* sint *exanthemata sublimia, in cute potissimum totius corporis omnium ferè hominum, puerili inprimis ætate erumpentia, orta ex impuritatibus illis crassioribus suprà descriptis, à natura per ebullitionem sanguinis secundum modum putredinis segregatis, & ad cutaneas partes expulsis.*

Definitio Morbillorum

Similiter *Morbilli* sunt *exanthemata lata, in cute totius corporis omnium ferè hominum, puerili cumprimis ætate erumpentia, cum febre plerumque continente, exiguo dolore & pruritu, orta ab impuritatibus illis tenuioribus suprà descriptis, à natura per ebullitionem sanguinis segregatis, & ad cutem expulsis.* Dico, *in cute potissimum erumpentia*; quia variolæ in cute sæpius tantum erumpunt, à natura robusta, totam materiam ad exteriora propellente. Verum in-

terdum, teste Avicenna, accidunt in partibus interioribus, ut in ventriculo, faucibus, gula, intestinis, pectore &c: ubi materia minus obediens est, & natura non ita robusta, ut ad exteriora propellere queat.

Causa proxima variolarum & Morbillorum.

Causa, ex qua fiunt variolæ & morbilli primaria, est impuritas illa, relicta ex materno sanguine in corpore, deinde humores feculenti, crassi, crudi, aquosi, geniti ex vitiosis alimentis, & contagione superiorum inquinati, ut jam dictum est: Qui humores unius generis non sunt, sed nunc sanguis simplex, nunc biliosus, nunc pituitosus, serosus aut melancholicus; ubi ab humoribus non separamus singulorum ichores. Attamen variolæ fiunt ex materia magis crassa, qualis est sanguis, simpliciter consideratus, vel pituitosus, aut melancholicus. Morbilli verò fiunt à materia magis tenui, calida, siccaque, qualis est sanguis biliosus, quatenus naturam ad expulsionem aut ebullitionem faciendam stimulat. Nam causa efficiens variolarum & morbillorum propriè est natura seu facultas expultrix stimulata, ut per ebullitionem sanguinis, non aliter ferè, quàm in musto effervescente, id quod noxium est, ab utili secernat.

Ebullitio duplex.

Ebullitio ista est secundum modum quendam putredinis, calore nativo accenso, unde febris excitatur. Qualis ebullitio

juxta

juxta Avicennam duplex est: una depurativa sive perfectiva, quando sanguis ab impuritatibus expurgatur, aut quando, dum totum ilud, quod aggregatum est ex succis alimentariis, effervescit, partes solùm impuriores putrescentes à puris utilibusque ita segregantur, ut sanguis purus relinquatur: Alia ebullitio corruptiva dicitur, quando in effervescentia illa partes etiam sanguinis purioris labem acquirunt & computrescunt. Quæ impuritates ab utilibus in totum non segregantur, nisi levis sit illa corruptio, sed portio aliqua tantum; unde variolæ plerumque virides, lividæ, nigræ oriuntur, quæ perniciem minantur. Quocunque modo fiat ebullitio, variolæ & morbilli erumpunt per modum quendam crisis perfectæ aut imperfectæ, dum natura per cutem profunda corporis expurgare nititur.

Febris variolarum & morbillorum. Febres illæ, quibus variolæ & morbilli ut plurimum superveniunt, ex ebullitione sive effervescentia sanguinis oriuntur, dum impuritates crassiores aut tenuiores cum sanguine effervescentes à natura segregantur. Hæ febres plerumque sunt synochæ impetuosæ, non semper putridæ, quia uniformes sunt, & multū potius quam acrem calorem præ se ferunt. Verùm febres, quibus morbilli superveniunt, quia ex tenui-

bus magisq; biliosis succis effervescentibus oriuntur, magis ardentes sunt, & in progressu interdum typum tertianæ acquirunt. Superveniunt quidem variolæ & morbilli plerumque febribus synochis impetuosis: Verum aliquando unà cum levi febre adveniunt, statimque erumpere incipiunt, sine magna ebullitione aut febre. Et quia ebullitioné comitatur febris, quæ eò vehementior est, quò major ebullitio; Deindè propter ebullitionem oriuntur variolæ & morbilli, ideo probabile non videtur, sine aut ante omnem febrem erumpere, licet interdū apparentibus nonnullis variolis aut morbillis febris ita augeatur, ut tum primùm oriri aut consequi videatur, quod ex inæqualitate materiæ peccantis evenit & naturæ debilitate. Semper autem eò citiùs erumpunt, & minori conatu ac cum leviori febre, quò natura robustior fuerit, & materia peccans magis obediens, nimirum minùs maligna, crassa aut copiosa, & cutis ad eam suscipiendam meliùs disposita, non dura & adstricta.

Causæ remotæ. Causæ remotæ, quæ ad ebullitionem istam humorum naturam stimulant, & impuritates commovent, vel internæ sunt, quæ corpora potissimū disponunt; ut constitutio corporis nimis calida humida, ætas puerilis, plenitudo, cacochymia, calidæ expirationis retentio ex constipatione aut obstructi-

CAP. VIII.

ſtructione: Vel externæ ſunt, quæ internas ad agendum propriè excitant, præcipuè aër vitiatus, & prava alimenta, Item ſuppreſſio conſuetarum evacuationum, timor, exercitia intempeſtiva &c. Vbi autem morbus iſte Epidemicus eſt, & variolę aut morbilli contagio ſerpunt, cauſa erit ab aëre vitiato. Nam calida humida aëris conſtitutio humores fundit, & ad putredinem diſponit. Proindè verno tempore, flante auſtro, & in regionibus calidis humidis ſæpius variolæ contingunt: Non raro à maligna aëris qualitate variolæ & morbilli concitantur, publiceq́; graſſantur, aut cōtagio ſerpunt. Nam ab aëre venenato, non ſolum humores vitioſi inquinantur & concitantur, ut natura ad eorum expulſionem inſurgat, ſed etiam interdum corrumpuntur, unde ebullitio corruptiva excitatur, & variolæ multæ & pernicioſæ. Ob hanc cauſam variolæ & morbilli ſæpè peſtem antecedunt: quare à Rhaze *Peſtis nuncij* dicuntur, ac ob eandem etiam cauſam interdum peſtem ſequuntur, remiſſa nonnihil peſtilentis aëris qualitate, quia peſtis à magis venenata & maligna aëris qualitate concitatur. Deinde vitioſa alimenta variolas & morbillos excitant, non ſemper, quia naturam ad ebullitionem & expulſionem ſtimulant, ſed etiam interdum, quia ſan-

guinem vitiant & corruptionem humorum augent, qualia ſunt, primùm alimenta calida humida, dulcia aut calida obſtruendi prædita, quæ facile putreſcunt. Item cibi non conſueti, qui feculentum, aquoſum, corruptum ſanguinem gignunt, qualis, teſte Avicenna, eſt lac camelinum, equinum, &c: ſi poſt cibos exhibeatur vinum aliaque calida. Huc referuntur fructus horarij, uvæ recentes, muſtum, dactyli, ficus recentes, lac, & piſces in eadem menſa, potiſſimũ haleces & ſalmones recentes, anguillæ, &c.

Differentia variolarum & morbillorum.

Differentiæ variolarum & morbillorum *præcipuè* ſumuntur à materia, quæ ex ſupra dictis intelliguntur. *Secundò* à forma, unde papulæ aliæ duræ, craſſæ; aliæ molles &c. dicuntur. *Tertio* à colore, nam papulæ aut albæ, rubræ, virides, lividæ aut nigræ ſunt. *Quartò* à quantitate, unde aliæ magnæ, aliæ parvæ; Item aliæ paucæ, aliæ copioſæ, conjunctæ aut duplices vocantur. *Quintò* à loco ubi erumpunt, qui ut plurimum in cute eſt, aliquando in gutture, oculis, viſceribus &c: *Sextò* à tempore modoque eruptionis; nam aliæ ſtatim erumpunt, aliæ tarde, & aliæ poſt eruptionem augentur, aliæ evaneſcunt. *Poſtremò* ab eventu morbi, variolæ aliæ in abſceſſum deſinunt, aliæ diſcutiuntur &c.

Variolæ

Signa variolarũ & morbillorum.

Variolæ & morbilli, cùm jam perfectè in cute eruperunt, per se facile dignoscuntur. Antequam verò erumpant, imminentes præsagire oportet ex symptomatibus, quæ consequuntur ebullitionem sanguinis, & vehementem naturæ conatum, dum ad expellendum insurgit. Nam ob ebullitionem sanguinis & perturbationem naturæ præcedere plerumque solet febris continens, quæ ut plurimum impetuosa est, cum calore magno potiùs quàm acri. Deinde totius corporis ardor, gravitas & punctiones, frequens pandiculatio & palpitatio, capitis gravitas & dolor, delirium, totius faciei rubor, lachrymæ copiosæ, narium auriumque pruritus, sternutatio, terrores per somnum, & phantasmata rerum rubrarum & coruscantium, oris exsiccatio, sputum crassum, raucedo, difficultas spirandi, aut angustia in pectore & gutture, dorsi dolor, magna anxietas & inquietudo, tremor manuum pedumque, aliquando cordis palpitationes, epilepsia, aliaque symptomata, pro dispositione corporis, & impetu humoris in partes ruentis. Vrina in hoc affectu nullum certum præbet indicium, verùm plerumq; sanorum similis aut subpallida, subtilis, interdum paululum turbata, alvus ut plurimum suppressa, quòd natura aliò hu-

humores propellat. Verùm morbilli citius plerumque erumpunt quam variolæ, & cum minore dolore dorsi, majore siti, ardore, inquietudine, & febre acriore magisque ardente. Adjungenda sunt his signis contagium vagans, si tum temporis variolæ aut morbilli grassentur, aut æger cum illis conversatus fuerit, qui tali morbo laborarunt. Communiter verò variolæ magis veris & æstatis initio fiunt, morbilli æstate & autumno. Vbi vero jam erumpere incipiunt, facies, item pectus & dorsum maculas quasdam ostendunt, quæ postea vel in sublime extolluntur, unde variolæ: vel in latum extenduntur; unde morbilli: sed variolæ cum majori pruritu & dolore emergunt, ac primum instar capitis acuum aut grani milij apparent; deindè augentur & multiplicantur; pòst in abscessum plerumque terminantur, cum ichore purulento & crusta; tandemque exsiccantur & decidunt. At morbilli citius incipiunt & augentur; post resolvuntur & evanescunt.

Signa causarum.

Vbi malum à sanguine bilioso adest, minor dorsi dolor & gravitas corporis, sed sitis ardor & inquietudo major. Vbi à crasso humore aut sanguine corrupto, major tensio, gravitas corporis, dorsique dolor sentitur: Verum variolæ à sanguine rubent cum

cum pruritu & dolore: A pituitoso sanguine magis albescunt, squammasque emittunt. A melancholia colorem lucidum aut nigrum præ se ferunt cum dolore pungente. Variolæ ubi non solum cutem, sed internas corporis partes occuparunt, ex partium actionibus læsis dijudicantur: Veluti si dyssenteria dolorque intestinorum oriatur, indicium erit, variolas intestina occupare: si magna respirationis angustia cum tussi, pectus &c. Ebullitionem autem perfectivam designant, si erumpant exanthemata boni coloris & consistentiæ, cum robore virium & tolerantia ægri, sine magnis symptomatibus, quæ post eruptionem paulatim cessant. Contraria corruptivam ebullitionem arguunt, qualis plerumque in venenato aëris statu corporibus cacochymicis accidere consuevit.

Prognostica. Numerantur variolæ & morbilli inter morbos acutos. Nam ut plurimum intra dies 14. terminantur: & plerumq; quò exitus difficilior, eò morbus ipse longior graviorque. An verò terminetur ad salutem vel mortem, ex collatione virium cum magnitudine morbi præsagire oportet. Magnitudo morbi colligitur ex febris & symptomatum magnitudine, ac ex ipsis pustulis. Virium robur colligitur ex tolerantiâ

omni-

omnibusque actionibus ægri. Ac primum pustulæ periculo carent, quæ citò apparent, confestim maturantur, cum levi febre sine magnis symptomatibus, peculiariter variolæ primum rubræ & albæ, molles, distinctæ, non multæ, facilis exitus: his deteriores multæ, magnæ, in facie &c: hinc duræ, continuatæ, & duplices, sive ubi aliæ aliis supernascuntur. Pessimæ ubi egressæ evanescunt: Item, virides, lividæ & nigræ, ac quæ interioribus partibus erumpunt, ut in pectore, intestinis &c: Deinde magis salutares judicantur, quæ cum febre minus valida, nec ita magnis symptomatibus erumpunt, & quando supervenientibus papulis sensim febris sese remittit, omniaque symptomata. Melius enim semper est febris vehementiam antecedere papulas, quàm consequi. Verum ut exactiùs salutem & mortem prævidere queamus, observandæ sunt actiones ægri, imprimis respiratio & vox. Nam si duo hæc ritè se habuerint, bene sperare convenit; potissimum si ægri morbum facile ferant, nullaque dyssenteria aut fluxus alvi superveniat. Nam in hoc morbo difficultas anhelitus pessimum signum est, quia denotat aut apostema sive pustulas in pectore, aut anginam, aut virium lapsum. Quod si verò cum ingenti siti aut anxietate angustia respirationis augeatur, & exteriora

riora refrigerentur, aut papulæ virides, lividæ, aut nigræ evadant, aut evanescant cum animi deliquio, mors in propinquo est. Fluxus alvi immodicus semper malus est, potissimum dyssenteria, quæ arguit malignitate humoris intestina abradi, aut à variolis affici. Pessimum, si excrementa viridia appareant, aut lotium viride, nigrum, aut cruentum, præcipuè si virtus debilis sit.

DE CVRATIONE VARIOLARVM & Morbillorum,

CAPVT IX.

STatuit Avenzoar, hunc morbum, perinde ut pestem, non solùm curatione, sed etiam præservatione opus habere: idque cumprimis, si aëris vitio grassetur, aut contagio serpat, ut accidere consuevit. Quare præservationis gratia, utile est ante omnia, pueros, & eos qui variolis & morbillis nunquam tentati fuerunt, ægros variolis aut morbillis laborantes, aut qui cum laborantibus conversantur, fugere; aërem vitiatum corrigere, ut in præservatione pestis. Deindè corpus à superfluis humoribus evacuare, viscera roborare, & fugere cibos, qui feculentum & corruptum sanguinem gignunt. Prohibere autem variolas & morbillos priusquam mor- *Præservatio.*

morbus incipiat, utile est. Verùm postquam inceperit, præstat motum naturæ sequi, & materiam vitiosam ad cutem propellere. In curatione autem primus scopus est naturæ laboranti in expulsione materiæ vitiosæ subvenire. Deinde accidentia tollere, & præcavere, ne in expulsione illa partes internæ aut externæ gravem noxam contrahant. Subvenit medicus naturæ, vel quia causam morbificam vires impedientem tollit, vel quia ipsas vires confortat, motumque naturæ adjuvat. Causa autem illa est, vehemens sanguivis fervor, aut putredo & corruptio humorum; aut nimia copia vel tenuitas, crassities, malignitas: Interdum obstructiones vasorum, aut cutis nimia adstrictio & densitas. Quare prima indicatio erit, humores ad mediocritatem reducere, ut natura iis facile dominari queat. Quod si peccent nimio fervore & tenuitate, oportet refrigerare, motum humorum refrænare, modicéque incrassare: si putredine, refrigerare, exiccare, eventilare, obstructiones aperire. Deinde quod jam putrefactum est, eradicare, & ad cutem, quò natura affectat, ducere. Si peccent nimia copia, statim initio evacuare: si crassitie, extenuare, incidere. Et si diminute aut tarde papulæ erumpant, exhibitis attenuantibus incidentibus,

Indicationes curativæ.

tibus, & admotis cuti relaxantibus & attrahentibus, provocare: ac interim cor visceraque confortare. Altera indicatio erit, pravos humores & vapores ad cor & cerebrum irruentes, revellere, & symptomatibus urgentibus occurrere: peculiariter vero oculos, fauces & intestina aliaque viscera, ne pravas superfluitates admittant, modicè adstringentibus roborare, tandemque variolas in cute sine noxa tollere. Verùm pugnant plerumque hæ indicationes. Nam refrigerantia, quæ febris fervorque humorum indicat, expulsioni materiæ ad exteriora adversantur. Deinde quæ humorum redundantiam extra corpus evacuant, non sinunt vitiosos humores ad cutem ferri. Quare in hac indicationum pugna, medici erit semper ei primò occurrere quod maximè urget, & reliquas actiones non impedit, & potissimum nihil aut quam minimum motum ad cutem prohibet. Verùm initio statim, si vehemens sit ebullitio, ad corruptionem tendens, sanguisque tenuis & biliosus, convenit potius humores refrigerare, motumque humorum contemperare refrigerantibus, refrænantibus sive incrassantibus, ac etiam redundantiam evacuare. Deinde sensim ad ea progredi, quæ attenuant, incidunt, & ad cutem propellunt.

Perfici-

Diæta.
Aër.

Perficiuntur hæ operationes diæta, Chirurgia aut Pharmacia. Ac primùm aër ambiens sit tepidus, ad calidum potiùs quàm frigidum inclinans; ſeduloque cavendum, ne aëris frigidioris occurſu materia puſtularum ad interiora recurrat. Quare ægri bene contecti in aëre lucido jaceant, ut aërem libere attrahere queant: ita tamen ne veſtibus plus nimio onerentur. Deindè in morbillis erumpentibus aut variolis, ubi à puſtulis oculi non afficiuntur, utile eſt in progreſſu res rubras intueri, aut pannis rubris tegi.

Alimenta.

Victus ratio tenuis eſſe debet refrigerandi vi prædita, ex cibis facilis concoctionis, boni ſucci, quales ſunt ptiſana hordei, panatella cum juſculo pulli decocti cum endivia, acetoſa, emulſione ſeminum frigidorum &c. Ebullitionis tempore à carne, ovis & vino in ſolidum temperandum, niſi ſyncopes metus ſit, & utendum alimentis refrigerantibus, modice incraſſantibus & exſiccantibus, quæ alvum non cohibent; ſed in morbillis quæ minus exſiccant, & magis ad humectationem aliquã vergunt. Abſtinendum ab omnibus cibis craſſi ſucci, difficilis concoctionis; item ab acribus, ſalſis, pinguibus, ac etiam dulcibus, niſi in progreſſu morbi, â paſſulis & ficubus, quæ ingenita facultate humores ad cutem movent. Condiantur cibi initio acidis,

dis, ut aceto, agresta, succo granatorum acidorum, limonum, acidi citri, aurantiorum, ribes, berberum & similibus: Detur cum his hordeatum, avenatum, amygdalatum, aut panatella: Item panatella ex jure pulli, decocti cum acetosa, endivia, portulaca &c: Laudatur ferculum ex lentibus excorticatis prius elixis in duabus aquis, pòst ad perfectionem coctis, exhibitis cum aceto aut aliquo prædictorum succorum. Circa tertium diem procedendum ad ea, quæ expulsionem adjuvant, & conatum naturæ ad exteriora promovent, ut jura pullorum decocta cum seminib. aut radicibus fæniculi, apij, anisi, passulis, ficubus, calendula &c: Initio aut dum febris & ebullitio viget, aut ante eruptionem papularum, ac etiam pòst, febre nondum cessante, Diæta sit tenuis: sub finem morbi cessante febre post eruptionem papularum, præcipue pustulis suppuratis, crustisque cadentibus, solidiores cibi requiruntur, ut carnes pullorum, gallinaceorum, capi, perdicis, vituli, ova sorbilia & similia.

Potus. Potus initiò sit aqua hordei, aut aqua panata, cum succis aut syrupis acidis, ut granatorum acidorum &c: Deinde ut exanthemata propellantur, decoquantur cum hordeo semina fæniculi, anisi, apij, passulæ, ficus, calendula & similia: loco aquæ hor-

dei uti poterunt cerevisia tenuiori bene co-
cta & defecata; Verum ante eruptionem à
vino & cerevisia potentiore abstinendum.
Erumpentibus exanthematibus concedi-
tur vinum album, tenue, dilutum aqua hor-
dei, sumendo plerumque tres partes aquæ
hordei, & unam vini. Probatur in hoc casu
aqua decoctionis limaturæ cornu cervi, ut
in pestis curatione. Pueris aliisque in ce-
revisia tenuiore vel aqua hordei suspendi
poterit in nodulo ex linteo raro pulvis ex
cornu cervi præparati, rasura eboris &c. In
progressu cum floribus calendulæ, semine
aquilegiæ, nasturtij &c.

Somnus. Somnus moderatus sit. Verum initio,
quando erumpunt, præstat potiùs vigilare
quàm dormire, & corpora in quiete con-
tinere. Pro exercitiis initio corpus tan-
tum fricandum. Perturbationes animi fu-
giendæ sunt, præcipuè quæ calorem nati-
vum cum sanguine ad interiora revocant,
ut timor & mæstitia. Excretiones consue-
tæ secundum naturæ modum procedant:
Et si alvus suppressa sit, leniente clystere aut
balano subducatur, aut levi tantum phar-
maco, ut mox dicetur, idque metu fluxionis
alvi, quæ in hoc affectu est pernitiosa.

Phlebotomia. Incipiente morbo, ubi adest sangui-
nis redundantia, si vires & ætas permittant,
nil melius putatur, quam à venæ sectione
ini-

initium facere, potiſſimum in variolis, præmiſſo clyſtere leniente, ſi opus videatur. Adminiſtratur autem commodiſſimè venæ ſectio ante eruptionem variolarum, quæ intra quartum diem plerumque fit; & quo citiùs, eò meliùs. Nam dum exeunt, conſultum non eſt venam aperire, ne conatus naturæ præpediatur, & materia ad cutem jam tranſmiſſa in venas retrahatur: niſi tanta ſit ſanguinis copia in venis, ut eam natura gubernare, & vitioſos humores ad cutem propellere nequeat, & propter copiam gravis ſit febris, & urgeat difficultas reſpirationis, quo tempore, ſi nil impediat, vena ſecatur; Attamen tutiſſimum eſt, initio ſanguinem detrahere, detrahitur autem vel ex vena communi, aut baſilica dextri lateris pro virium robore: ſed nunquam ad animi deliquium, ut in ſynochis fieri aſſolet, quia in hoc malo humores omni malignitate non carent. In progreſſu verò licet adſit plenitudo, ſanguis parciori menſura detrahatur, potiſſimum ubi papulæ conſpici cœperint. Deinde quando ſanguis in caput irruit, aut inſtat oculorum inflammatio, nonnulli præcipiunt venas nariũ aut frontis aperire, vel fluxum ſanguinis narium provocare, qui partes ſuperiores à malitia variolarum conſervat. In melancholicis &

mulieribus, quibus ſuppreſſa ſunt menſtrua, venam tali aut poplitis ſecare. Si ſuſpecta ſit venæ ſectio, ut in pueris & ſimilibus ad redundantiam ſanguinis evacuandam, admoveri poterunt hirudines dorſo, ſcapulis & cruribus, interdum naribus: vel cucurbitulæ cum ſcarificatione, brachiis, lumbis, natibus aut cruribus. Admoventur etiam utiliter in robuſtis, non ſolummodo initio poſt venæ ſectionem, ſed et jam in progreſſu, poſtquam exanthemata apparere inceperint, ut non ſolum redundantia evacuetur, ſed etiam materia ad exteriores partes extrahatur. Purgatio in hoc affectu ſuſpecta eſt, non quia vires debilitat, ſed quia operationem naturæ impedit, & humores virulentos ad interiora retrahit. Quare ab evacuatione cumprimis cavendum, ubi magna eſt ſanguinis ebullitio, & natura in expulſione laborat, aut exanthemata in cute apparent. Ante omnem eruptionem initio ſtatim, haud ita periculoſum eſt alvum movere; non vehementioribus, quæ à ſuperficie corporis & venis attrahunt, ſed levioribus, ut ſunt glandes aut clyſteres leves, veluti in pueris ſume

Hirudines. *Cucurbitula.* *Purgantia.*

decocti hordei vel veteris galli ℔ s.
ſacchari rubri ℥ j.
butyri recentis ℥ s.
vitellorum ovorum num. 1. f. Enema.

In ætate provectioribus robustioribusque
℞. *decocti hordei vel herbarum emollienti-um* ℥ xv.
cassiæ extr:
sacchari rubri ana ℥ j.
olei violarum ℥ j s.
butyri recentis ℥ j.
fiat Enema. Vel exhibeatur
bolus ex cassiæ extr:
pulpæ tamarindorum ana ℨ vj.

Vel haustus ex mannæ ℥ ij s. dissolutæ in decocto tamarindorum, jujubarum, sebesten, flor: cordialium &c: Vel si materia sit pituitosa, veteris galli. Vbi febris ardentior bilisque flava redundat, pro manna utatur syrupi rosati solutivi ℥ iij. Pro robustiorib.
infunde rhabarbari electi ℨ j. *aut* ℨ j s.
& scananthi gr. v.
in aqua endiviæ ℥ iiij. *Colaturæ expressæ admisce syr: rosati sol.* ℥ j s. *f. haustus.*

Vel detur *Diacatholici Nicolai* ℥ j. Vel
℞. *Cassiæ extr:*
pulpæ tamarind: ana ℥ s.
pul: rhabarbari ℨ j. vel ℈ iiij. *f. bolus.*

Vtendum potissimum, quæ adstrictionem aliquam post se relinquunt, metu fluxionis alvi, ac proinde à validioribus in hoc affectu inprimis cavendum. Præterea quando erumpunt exanthemata, si alvus nimis suppressa non sit, consultum est, ab his ali-

iſque alvum moventibus abſtinere. Quare ut in aliis febribus poſt concoquentia, purgantia exhibenda non erunt, ne materia ad cutem propulſa in venas & viſcera recurrat: unde præter alia mala fluxus alvi oriri ſolet, qui in hoc affectu pernicioſus eſt. Proinde Avicenna in progreſſu præcipit conſervare alvum, ne fluat, modicè adſtringentibus. In uſu alterantium obſervandum primùm, an cum vehementi febre & fervore ſanguinis morbus ſtatim incipiat, an erumpentibus exanthematibus fervor febriſque magna ſit: ac poſtquam eruperunt, febris & ſymptomata nihil ſe remittant. Si cum vehementi febre & fervore morbus incipiat, illicò laborandum eſt, ut fervor ille ſanguinis extinguatur, & putredo prohibeatur. Fervor reſtinguitur refrigerantibus, modicè adſtringentibus & refrænantibus, cujus generis ſunt ſyrupi granatorum, limonum, acetoſitatis citri, jujubinus, de Agreſta, oxyſacchara, rob ribes, berberum &c: cum decocto hordei excorticati, jujubarum, lentium excorticatarum aut ſecundò elixarum, acetoſæ, tragacanthi, cydoniorum &c: Præſcribuntur etiam varia condita ex conſervis violarum, roſarum rubr: nymphææ, bugloſſæ, acetoſæ, acetoſellæ &c: cum ſpeciebus diamargariti frigidi, diarrhodon Abbatis. Diatragacan-

Alterantia.

gacanthi frigidi &c. Interdum additis trochiſcis de camphora, de ſpodio &c: ſi adſit malignitas, cum ſpeciebus liberantis, cornu cervi, ſolutione margaritarum & corallorum in ſucco limonum aliiſque, ut in peſte. Exhibenda ſunt refrigerantia primo & ſecundo die potiſſimum, aut priuſquam natura ad cutem expellere incipiat. Deinde ubi exanthemata erumpere incipiunt, ſi natura robuſta, aut ſufficienter ad cutem expellat, nullis medicamentis indigemus: Sin diminutè propellat, conatus naturæ adjuvabimus medicamentis, quæ ad ſuperficiem corporis propellunt, urinas & ſudores movent. Verùm ſi adſit febris vehemens, magis temperata: ſi levis, validiora magiſq; aperientia conveniunt. Nam apparentibus exanthematibus, ubi febris magna, ſatius eſt refrigerare quam calefacere; quia contemperato calore virtus plerumque ad expellendum robuſtior evadit. Verùm in hoc caſu refrigerantia aut vim quandã aperiendi habere debent, ut cichoracea, acetoſa, ſemina quatuor frigida, ſyr: acidi citri, oxyſacchara: aut miſcenda ſunt frigida aperientibus. Ad cutem humores evocant et exanthemata promovent, decoctũ hordei, ficuum aridarum, paſſularum, ſeminis & radicis fæniculi, apij, ſeminis aniſi, aquilegiæ, napi, naſturtij, radicis glycirricæ,

Evocantia & propellentia ad cutem.

acetosæ, tormentillæ, helenii, cicerum rubrorum, laccæ ablutæ, florum calendulæ, camomillin: folior: capillor: veneris, croci. Si adsit malignitas, foliorum scordij, foliorum & seminum carduibenedicti, corticis citri, radicis angelicæ, myrrhæ: his adduntur Theriaca, Mithridatium, Diascordium, Decoctum ligni sancti & sarsæ parillæ, aliaque hydrotica, ferè ut in peste. Quare post tertium diem si non ita magna sit ebullitio, fervorque sanguinis & natura diminutè tantum expellat, calidioribus validioribusque diaphoreticis utendum, ut decocto Avicennæ ex ficubus, lentibus &c; aliisque similibus. Aut

℞. *ficuum pinguium num.* v.
sem: fœniculi ℥ s.
aquilegij ʒ ij.
lentium excorticatarum ℥ s.
laccæ ablutæ ʒ ij.
gummi tragacanthi ʒ j s.
flor: calendulæ P. j.
fol: scordij P. s.

Coquantur in aqua pura fontana, aut aqua fœniculi & carduibenedicti ana q. s. ad tertiæ consumptionem. Colatura tepide bibatur mane & vesperi, miscendo interdum nonnihil syrupi corticum citri, Addi poterit pro robustis in decoctione aliquid myrrhæ aut croci, aut colaturæ misceri parum croci, vel

aliquid

aliquid Theriacæ aut Diaſcordij Fracaſtorij. Vel

℞. *caricarum pinguium num.* vj.
ſem: fœniculi,
apij ana ℥ ij.
lentium excorticatarum aut prius elutarum ℥ v.
gummi tragacanthi ℥ j.
laccæ ℥ j s.
croci ℥ s.
aut myrrhæ ℥ ij.

coquantur in aqua q. ſ. ad tertias. Colatura detur mane & ſero. In robuſtis ætate provectis febre non urgente datur Theriacæ ℥ j. aut diaſcordij ℥ j s. cum conſerva calendulæ. Exanthemata feliciter expellunt, decoctum radicum helenij, aut florum calendulæ ex vino, vel aqua fœniculi & carduibenedicti. In decoctis ponuntur lentes & tragacantha, ſed lentium primum jus, quia alvum laxat ut plurimum abijcitur, tertium præcipue inteſtina confortat & ſanguinem incraſſat, ſicut & tragacanthum, quod pectus tuetur. Quare ſi humor peccans fuerit craſſus & lentus, tragacanthum & lentes minus conveniunt, aut in minori quantitate decoctis adduntur. In morbillis pro lentibus ſubſtituunt aliqui ciceres rubros, qui urinas validius movent. Vt

℞. ficuum pinguium concisarum num: iiij.
cicerum rubeorum,
rad: glycirrizæ ana ℥ iij.
sem: 4. frigid: major:
aquilegiæ ana ℥ j.
flor: violarum,
buglossæ,
calendulæ ana P. s.

coquantur in aqua hordei s. q. colatura manè & vesperi bibatur. Exhibetur interdum emulsio seminis napi, carduibenedicti, melonum, citri, cum aqua fæniculi aut carduibenedicti &c. Si apparentibus exanthematibus febris intensa adhuc maneat, minus calida exhibenda erunt, semperque eò parciùs calidis diaphoreticis utendum, quò erumpentibus papulis febris magis intensa persistat, linguaque ad nigredinem magis vergat &c. Nam hæc magnam pravorum humorum copiam arguunt, cujus portio aliqua licet exierit, magna tamen intus remanet assidue ebulliens, quæ refrigerationem postulat. Talibus ejusmodi decoctum præscribi poterit

℞. ficuum pinguium concisarum num: iij.
lentium excorticatarum,
sem: melonum ana ℥ s.
jujubarum num: IX.
fol: acetosæ P. j.
laccæ ablutæ,

gummi

gummi tragacanthi ana ʒ j s.
spodij ex ebore ʒ j.

fiat decoctio in aqua hordei q. s. ad tertias. Colaturæ addi poterit aliquid oxysacchara vel syr: acidi citri &c: Exhibeantur hæc aliaque actu tepida. Vbi infantes hoc morbo corripiuntur, tota ferè curatio ad nutricem dirigitur, ei enim Diæta conveniens præscribatur primùm, deindè corpus à superfluitatibus expurgetur, & lac corrigatur, ac ut vires medicamentorum suscipiat, potiones præscriptæ in satis magna quantitate frequenter exhibeantur. Pueris non lactentibus potiones prædictæ in minori quantitate conferunt. Exhiberi poterunt ipsis pulveres bezoartici, suprà in Pestis curatione descripti, Vel:

℞. *cornu cervi præp: succo scordij ʒ j.*
rasuræ eboris,
corallor: rubr: præp: ana ℈ j.
margarit: præp: ℈ s.
sem: carduiben: excorticati ℈ j.
spec: liberantis ℈ ij.
fol: auri num: ij.

misce, fiat pulvis subtilis: detur ℈ j. in aqua fœniculi vel carduibenedict: vel flor: lini, vel decocto flor: calendulæ dulcorata sacchare, aut suspendatur in nodulo ex linteo raro in potu. Laudantur grana tria lapidis bezoartici aut unicornu veri, cum solutionis margarita-

garitarum ℈ s. ex aqua appropriata. Vel utantur tali emulsione

℞. *sem: napi*
aquilegiæ ana ʒ ij.
melonum,
carduiben: excort: ana ʒ j s.
cum aquæ fœniculi & carduibenedict: ana ℥ iij.

fiat Emulsio, dulcoretur manibus Christi perlat. Si alvus nimis fluat, detur lac amygdalarum dulcium cum dictis seminibus, ex aqua tormentillæ, vel hordei excorticati tostique. His aut similibus utendum post secundum diem, quo materia vitiosa ad cutem propellatur, quod ut fiat, sudores etiam promoveantur in robustis, & ætate provectioribus, cum Theriaca, Diascordio, decocto sarsæ parillæ, aliisque ut in peste. Dum his aut similibus utimur, utile est confortantibus uti, quæ malignitati resistunt & viscera corroborant, cujusmodi sunt: Manus Christi perlatæ, Tabulæ Diamargariti frigidi, Elect: de gemmis, Conf. liberantis &c: aut eorum species cum Conf: buglos: acetosellæ, calendulæ, corticum citri &c: Antequam verò erumpant, & dum exanthemata erumpere incipiunt, vitanda est non solum aëris frigiditas, sed etiam omnia topica refrigerantia adstringentia, ac etiam unctuosa, quæ poros cutis

Confortantia.

Topica.

cutis claudunt. Admovenda sunt præcipuè, quæ poros cutis aperiunt, cutem relaxant, & materiam vitiosam evocant, qualia sunt fomenta ex decocto flor: camomillin. meliloti, sum: anethi, rad: altheæ, malvæ, scabiosæ, helenij &c: aut sedeant contecti in vapore hujus decocti, ac dum ægri in spe eruptionis sunt, ungantur linimento Aetij, aliisq;, ut suprà in curatione petechiarum, cum molli frictione, præcipue dorsum & artus, vel cum oleō amygdalarum amararum, in quo ebullierint scordium, rad: scrofulariæ, & parum nitri: Vel cum olei amygdalarum amararum, succi rutæ, vini albi aromatici & Theriacæ ana partibus æqualibus. Ab adstringentibus sedulò cavendum. Nam licet cum variolis vomitus aut alvi fluxus advenerit, consultum non est, teste Avicenna, Vnguenta aut Emplastra adstringentia ventriculo admovere: appositis enim adstringentibus subito respirandi difficultas, aut pravus alvi fluxus, aut mictus sanguinis, aut aliud grave symptoma subsequi solet. Similiter nec cordi Epithemata refrigerantia, aut ullum aliud admovere convenit, cujus vi materia ad interiora repelli possit, sed quæ cor confortant, & conatum naturæ ad exteriora propellentis juvant, ferè ut in pestis curatione.

Morbil-

Præservantia partes à variolis. Morbilli post perfectam eruptionem in cute sine noxa discutiuntur: at variolæ post eruptionem non solū in internis partibus, sed etiā externis gravem noxam inferunt, ita ut non solum propria curatione indigeant, sed etiam initio aliquando præservatione. *Præservatio internarum partium* Pro præservandis internis partibus à variolis, commendatur decoctum Avicennæ.

℞. *laccæ ablutæ,*
lentium excorticatarum ana ℥ vj.
gummi tragacanthi ℥ iij

coquantur in aqua, colaturæ adde sacchari albi parum, bibat mane & vesperi. Lacca jecur & *intestinorum.* lienem tuetur & defendit, lentes intestina, tragacanthum pectus. Si superveniat fluxus alvi aut dyssenteria, detur lac amygdalatū, ut suprà monuimus; Item syr: cydoniorū, de rosis siccis, myrtinus; Conserva rosarum rubrarum vetus; Troch: de Spodio, de terra sigillata; cornu cervi usti; semen plantaginis, acetosæ, coriandri præp: aliaque, ut in cura dyssenteriæ. Laudantur grana granatorum medij saporis deglutita, Diacydonium simplex, tosta panis intincta succo berberum, ribes, agrestę &c: *Pulmones præservantia* Pulmones præservant linctus ex speciebus diatragacanthi frigidi; diapenidij sine speciebus; Diacodio ex pulvere aut succo lentium coctarum &c: cum syr: jujubino, violarum, myrtino, de papavere, de rosis siccis. Vt

℞. *Dia-*

℞. *Diacodij aut loch de papavere* ℥ s.
spec: diatragacanthi frigidi ℈ iiij.
sacchari penidij ʒ vj.
pul: lentium excorticatarum ʒ iij.
amyli ℈ j.
cum syr: jujubini & myrtini ana q.s. fiat loch. Vel

℞. *Conservæ ros: rubr:* ℥ j s.
succi expressi ex lentibus tertio elixis ʒ vj.
sem: papaveris albi ℥ s.
gummi tragacanthi ℈ j.
cum syr: de rosis siccis vel myrtini q.s. fiat linctus.

Pro conserva rosarum substitui poterit tantundem farinæ fabarum. Ad renes tuendos & sanguinis mictum curandum, prodest pulvis succini albi, aut troch: alkekengi, de carabe &c: cum emulsione seminum frigidorum. *Renes.*

Pro faucibus & gutture defendendo initio ante eruptionem potissimũ, conferunt gargarismata refrigerantia adstringentia, ex aquis aut decocto rosarum, balaustiorum, corticum granatorum, sumach, plantaginis, hordei &c: cum Diamoro, syr: granatorum, syr: myrtino &c: ut *Fauces præservantia & curantia.*

℞. *aquæ ros:*
plantaginis ana ℥ iiij.
diamori ℥ j s.
succi sive vini granatorum ℥ j.
amyli ʒ j s.

misce,

misce, fiat gargarismus. Vel

℞. *aquæ plantaginis* ℔ j.
aquæ hordei excorticati ℔ s.
rosarum rubr: P. j.
balaustiorum ʒ j s.
sem: sumach. ʒ iij.

bulliant ad tertiæ partis consumptionem, Colaturæ admisce Diamori ℥ ij. *syr: granatorum* ℥ j. *misce, eoq́ sæpe os colluat.* Si adsit insignis acrimonia dolorq́ue, colluat sæpe os lacte caprino, cum aqua plantaginis vel rosarum: sed cavendum ne lac æger deglutiat, vel utatur decocto hordei cum passulis, sem: cydoniorum, psillij, rosis &c. Si adsit exulceratio, colluat primùm cum decocto hordei & melle rosato, deinde cum aliquo gargarismate adstringente, tandem imponatur folium plantaginis &c. Ad nares præservandas olfaciat æger initio acetum rosaceum, aut in nodulo pulverem santalorum, flor: violarum, rosarum, cum granis aliquot camphoræ, sæpeque per nares attrahat poscam sive aquam rosarum mixtam aceto rosaceo: si nares sint exulceratæ, crusta detrahatur butyro loto cum aqua rosarum, vel oleo amygdalarum dulcium, & frequenter attrahat lac muliebre, deinde ungantur tali linimento

Nares.

℞. *olei rosarum* ℥ j.
mucilaginis gummi tragacanthi ex aqua rosarum ℥ s.

cerussæ

cerussa lota ʒ j.

cera lota parum, fiat linimentum. Præ cæteris partibus externis diligentissimè laborandũ est, ut oculos à variolis præservemus, & affectos rite curemus: Ad præservationem

Oculos præservantia & curantia.

℞ *aqua rosarum* ℥ ij.
plantaginis ℥ j.
pul: sem: sumach: ʒ ij.
misce, ad ignem lentum calefiant, Colentur cum multa expressione, Colatura admisce
camphora ℈ s.
croci gr: v.

fiat collyrium, quo cum tenui linteo oculi sæpe illinantur; Si intra oculum erumpant variolæ

℞ *aqua rosarum* ℥ ij.
euphrasia ℥ s.
sieff albi ʒ j.
tutia præp: ℈ j.
camphora gr: v.
croci gr: iij.

fiat collyrium. Si ulcus oriatur, *misce sarcocolla* ʒ j. *nutrita in lactis muliebris* ℥ j. vel utatur collyrio *de Thure cum aqua ros: & euphrasia.* Oculi ubi clauduntur, fomententur decocto malvæ, sem: fænugræci, lini, cydoniorum, in aqua rosarum & euphrasiæ. Ad ulceris detersionem, exsiccationem, & consolidationem, dolorisque lenitionem, servit Collyrium ab Hollerio descriptum

℞ *cerussa lota* ʒ v.

sarcocollæ ℥j s.
tragacanthi ℥ s.
opij gr: iiij.

cum mucilagine tragacanthi extracta in aqua plantaginis, fiat Collyrium, quod postea dissolve in lacte muliebri vel aqua rosarum. In cæteris procedendum ut in curatione ophthalmiæ, & exulcerationis oculorum.

Faciem præservantia. Ad faciem præservandam utile est initio fluxum sanguinis narium provocare, aut cucurbitulas cum scarificatione scapulis & cruribus admovere, deinde priusquã erumpunt, faciem sæpè abluere aqua rosarum, in qua parum croci dissolutum est. *Curatio variolarum in cute.* Vbi variolæ jam perfecte eruperunt in cute, si crudæ duræque sint, ad maturitatem perducantur vapore decocti radicum altheæ, liliorũ alborum, caricarum, sem: fænugræci, lini &c. vel foveantur tepide cum linteo expresso in tali decocto; interdum illinantur oleo amygdalarum dulcium. Deindè maturæ albæ, molles exsiccentur: Aut si exsiccatio sufficere non videatur, pustulæque magnæ sint, plenæ ichore purulento, unde metus, ne pus subjectam carnem corrumpat, primùm aperiantur acu argentea aut aurea, deinde molli linteo sanies abstergatur. Ad exsiccationem in pustulis non apertis, aut apertis in quibus multa residet humiditas, utuntur Arabes salitione ex aqua salsa tepida, vel

da, vel decoctione ex salis ℥ j. & croci ℈ s. in aquæ rosꝫ ℔ j. in hac exprime linteum, & variolis maturis tantum appone, non immaturis. Laudatur & hoc Avicennæ

℞ *fol: tamarisci,*
rosꝫ rubr:
lentium, ana m j.
salis ℥ j.
santali rubr: ʒ iij.
camphoræ ʒ s.

bulliant in aquæ rosꝫ ℔ j s. *ad tertiæ consumptionem*, utere, ut suprà, exsiccat & variolas cito sanat. Vtuntur aliqui suffumigatione cum pulvere thuris & corticis ejusdem, sandaracæ, tamarisci, myrti &c. Vt

℞ *Cort: thuris,*
sandaracæ Arab: ana ʒ ij.
myrtillorum,
nucum cupressi,
rosꝫ rubr:
balaustiorum ana ʒ j.
mastichis ʒ s.

misce, fiat pulvis; de quo nonnihil injice super prunas, & suffumigentur lintea variolis admovenda. Vt autem eò velocius exsiccentur cadantque, præcipiunt nonnulli in lecto inspergere farinam milij, oryzæ, fabarum, hordei, aut ex farinis & modico croci cum oleo rosꝫ linimentum parare. Ad crustam detrahendam illinantur oleo

amygdalarum dulcium, aut butyro loto aqua rosarum, vel Vng: Pomadæ, vel hoc linimento Guainerij

℞ *olei rof:* ℥ j.
pinguedinis anguillæ ℥ s.
laventur cum aqua rosar: adde ceræ liquefactæ parum,
lythargyrij ʒ j.
cerussæ ʒ s.
fiat linimentum. Si variolæ exulcerentur, illinantur Vng: albo, vel rubro camphorato præparato sine aceto; Vel Vng: de Cerussa Mesue loto cum aqua rosar: adjecto pulvere corticis radicis salicis & modico camphoræ. Vel quod plurimum laudatur Vng: de plumbo Montagnanæ aut simili aliquo.

Curatio faciei à cicatricibus, maculis &c.

Sanato ulcere & variolis, requiritur sæpè, ut in facie & manibus vestigia relicta tollantur; sub vestigijs continentur cicatrices & maculæ, deinde foveæ relictæ. Ad maculas & cicatrices in facie relictas sanandas: facies vesperi illinatur Vnguento citrino; mane abluatur colatura furfuris, vel aqua florum fabarum, vel decocto hordei cum lupinis sem: melonum &c. Pro tenellis adde Vng: citrino dimidiam partem Vng: pomadæ. Tollunt autem maculas & cicatrices, radix arundinis & cannarum, semen melonum, farina orizæ, lupinorum, fabarum, cicerum; Rad: bryoniæ, sigilli salomonis, ari, serpen-

ſerpentariæ ejuſque gerſa, ariſtolochiæ: Ex his & ſimilibus cum ceruſſa, lythargyrio, amilo, ſarcocolla, camphora, addito oleo aliiſq;, parantur varia Vnguenta, ut illud Guainerij, quod mirabiliter delere dicit variolarum veſtigia, aut Foreſti, item Rhaſis 18. continentis, *capite de variolis &c.* Commendatur aqua deſtillata radicum cannæ, ſigilli ſalomonis, ſerpentariæ, florum fabarum, item aqua deſtillationis limonum ac limacū, aut liquor exiens ex limacibus vulneratis. Ad colorem nativum reſtituendum celebrat Mercurialis aquam deſtillatam ex duobus pedibus vituli, totidem limonibus, & ſerpentariæ P. ij. Ad foveas replendas, primùm jubet partes deturpatas, quæ pilis carent, aſpero linteo fricare, & ubi rubeſcere cæperint, picem ter aut quater adhibere, & iterum detrahere, tandem hoc linimento inungere

℞ *olei olivarum dulciſſ.* ℥ j s
ſucci limonum ℥ iij.
lythargyri loti,
cineris teſtudinum combuſtarum ana ℥ js.
pul: rad: cannæ ℥ ij.
axungiæ gallinæ ℥ s.

miſce, & veſperi illinantur, mane facies abluatur aqua decoctionis lupinorum. Ad fovearum quoq; repletionem probatur linimentum ex axungia humana, urſi, leporis, aut aſini,

cum cinere testudinum & radicum cannæ ustarum; item inunctio faciei cum sanguine calido leporis recens jugulati. Maculas faciei & foveas delent oleum ovorum, aut de fisticis, pinguedo asini cum oleo rosarũ liquefacta. Validè maculas detergit lac virginis, sive aqua ab Hollerio descripta in calce capitis *de Variolis*, Item oleum sive liquor tartari calcinati

℞ *olei amygdalarum dulcium,*
liquoris sive olei tartari calcinati ana ℥ s.
gersæ serpentariæ, cerusse ana ʒ ij.
tragacanthi, mastichis,
vitrioli albi ana ℈ j.

ceræ lotæ parum, fiat Unguentum. Hujus generis plurima è practicis colligere licet, præcipue ex libris medicorum de Decoratione.

DE CURATIONE SYMPTOMATUM febres sequentium.

CAPUT ULTIMUM.

Symptomatũ febres sequentium differentia.

SYmptomata, quæ febres comitantur aut sequuntur, alia levia mitiaque sunt, quæ in signis commemorantur, & curationem non variant; alia gravia, vehementia, aut sæva sunt, quæ ægrotantem non minus quàm ipsa febris, exercent, & quia vires debilitant causæq; lædentis rationem obtinent, ideo febrium curationem

tionem mutant,& ad se nō parvam ejus partem trahunt. Vtraque vicissim trium generum sunt, vel functionum læsiones, vel excretorum & retentorum vitia, vel simplices affectus sive qualitates corporis mutatæ. Functionum autem læsiones, quæ febricitantes gravissimè exercere solent, sunt, dolores capitis, vigiliæ, deliria, sopores, dyspnœa, deliquia animi, syncope, sitis, inappetentia, interdum fames insatiabilis, singultus, rigor, lassitudo spontanea, anxietas, & inquietudo. Excretorum & retentorum vitia sunt, vomitus, alvi profluvium & suppressio, hæmorrhagia, sudores &c. Qualitates corporis mutatæ sunt linguæ ariditas, nigredo, scabricies, lentor circa dentes, linguam, palatum & fauces molestissimus, deglutiendi difficultatem inducens, icterus, exanthemata &c. Quæ omnia gignuntur vel à calore febrili adurente, exsiccante aut liquante; vel ab humoris peccantis qualitate, copia & motu, qui diversas partes tentat afficitque, vel ab utroque. Tolluntur quidē omnia febris symptomata sublato morbo morbique causa à quibus proficiscuntur; sed quia per se non rarò ita gravia & molesta sunt, ut vires dejiciant, vitæque periculum afferant, ideo non permittunt expectare, dum morbus causaque ejusdem tollatur sed interea

Causa symptomatum.

Curatio symptomatum.

levationem & mitigationem aliquam requirunt, præcipuè si violentissimè urgeant, quo tempore majore solicitudine, quàm ipsis febribus, consulere cogimur. Verùm in mitigandis his symptomatibus observandũ ante omnia est, in febribus putridis symptomata alia critica esse, orta in ea pugna & perturbatione, in qua natura subitam morbi & materiæ morbificæ expulsionem molitur: alia non critica, proritatione morbi & morbificarum causarum. Deindè accidentia critica duplicia esse, quædam tantùm symptomata, scilicet actionum læsiones, ut instante crisi per hæmorrhagiam & vomitum sunt dolores capitis, deliria &c. alia symptomata simul & causæ crisis, ut sunt ipsæ expulsiones, scilicet hæmorrhagia, vomitus, sudores &c. Accidentia autem critica, quæ tantùm symptomata sunt, quia brevi tempore, id est, durante pugna fiunt, leniendo symptomata, motum naturæ impedire non expedit: ideò remedia nulla postulat. Evacuationes sive expulsiones materiæ morbificæ, quæ causæ & symptomata critica sunt, si sufficientes sint, nihil requirunt: si minus parcæ, & non totius materiæ morbificæ, promovendæ & augendæ erunt: sin immodicæ, coërcendæ & moderandæ. Symptomata vero, quæ critica non sunt, si molesta fuerint, mitiganda erunt operibus & remedijs

Modus observandus in curatione symptomatum.

dijs cuique contrarijs & accommodatis, de quibus alibi in curatione membratim, Deo favente, copiosius multoque uberius, hoc loco paucis tantum agemus, Initio facto à dolore capitis.

De dolore capitis.

Compluribus febribus Cephalalgia sive dolor capitis accidit, præcipuè priori capitis parti, ut fronti & temporibus. Nam, ut admonet Fernelius, qui in alijs partibus ut in occipitio, vertice, aut circa aures sentitur, symptoma febris plerumq; non est, sed propriam causam habet in capite, aut vetus dolor est quasi sopitus, qui cum febre exacerbatur. Causa doloris capitis est interdum vehemens æstus calorvè febrilis, plerumq; humor aut vapor ex præcordijs sursum delatus, aut per arterias & venas sursum impulsus, meninges & pericranium vel copia sua distendens, vel acrimonia feriens mordensque, unde variæ doloris capitis differentiæ. Præterea sæpè in febribus ventriculus corruptis aut biliosis humoribus refertus, vel alvus adstrictior transmissis multis tetris vaporibus dolorem capitis inducit. In omni capitis dolore curando vitanda sunt, multa capitis agitatio, & ob id oris frequens collutio & potatio, item clamor omnisque strepitus, colloquium, ira, ploratus, vinum & quæcunq; cerebrum tentant; Iaceant in loco modicè frigido, in obscura luce, extra ra-

Causa.

Curatio doloris capitis.

dios solis & lunæ, alvum laxam habeant &c. Si dolor sit à sola intemperie sive febrili ardore, sine materiæ affluxu, quod rarissimè accidit, refrigerantibus lenitur, ut oxyrrhodono alijsque ut infrà. Si cum materia, utendum statim initio, quæ à capite materiam affluentem revellunt & repellunt, deinde quæ impactam discutiunt, & dissolvunt. Revellunt à capite clysteres, purgationes, phlebotomiæ, hirudines, cucurbitulæ sine aut cum scarificatione, frictiones &c. sed non in omnibus eodem modo. Nam si dolor sit ex ventris tetris vaporibus, ob alvum adstrictam, aut humores corruptos vel biliosos in ventriculo, phlebotomia necessaria non est, sed sufficit acriore clystere aut blanda purgatione alvum subducere, & vitiosos humores evacuare, deinde capiti consulere. Quod si dolor initio febris cœperit ab humore calido caput obsidente, præmisso clystere leniente, vena secetur: secatur autem initio vena brachij interna, ubi adest plethora, alioqui externa sive cephalica deinde in progressu vena frontis, aut sub lingua: quidam venam in occipite. Vtendum etiam per intervalla clysteribus acrioribus aut purgationibus: quod si non cedat dolor, affigantur cucurbitulæ occipitio vel cervici, sine scarificatione, ubi

causa

causa est vapor; cum scarificatione, ubi humor. Applicantur etiam utiliter cucurbitulæ siccæ, incipiendo à scapulis, procedendo ad nates & coxas. Similiter instituuntur frictiones mane & vesperi, incipiendo à cervice, procedendo ad pedes; & cruribus adhibeantur ligaturæ dolorificæ. Hæmorrhoides suppressæ aperiantur scalpello aut hirudine, applicantur etiam hirudines naribus & post aures. Aliqui post aures in cervice & alibi admovent vesicatorium. Laudantur lotiones extremorum ante cibum ex decocto flor: camomillin. sum: anethi, verbenæ, stæchados, betonicæ, rosarum &c. Item in magnis ardoribus ad revulsionem dolorisque mitigationem, radix raphani contusa aspersa modico aceti plantis pedum adhibita: similiter fermentum cum sapone, sale, & caulibus inductum. Medicamenta topica capiti admota, eo humore aut vapore iam repleto, non conveniunt, nulla præmissa revulsione aut evacuatione. Verum dum ab humore aut vapore impletur, evacuato corpore præmissisque revellentibus repellentia adhibentur, quæ humores & vapores modice repellunt, sed non impingunt & detinent, simulque intemperiem alterant & dolorem sedant, cujus generis ubi febris est ardentior, est oxyrrho-

donum

donum ex oleo & aqua rosarum cum modico aceti & similia Anacollemata fronti & temporibus admovenda

℞ *aquæ rosar:* ℥ iiij.
olei rosar: ℥ j.
aceti rosacei ℥ s.
albuminum ovorum num: ij.

misce, conquassentur, fiat Epithema. Vel si in signis ardor sit circa caput

℞ *aquæ rosar:*
plantag:
violarum,
nymphææ ana ℥ ij.
olei rosar: loti succo lactucæ ℥ j.
aceti rosacei ʒ vj.
santalor: rubr: ʒ j s.

misce, fiat Epithema Vel

℞ *olei rosarum loti,*
olei nymphææ,
violarum ana ℥ j.
succi lactucæ & solatri ana ʒ vj.

cum cera alba, fiat linimentum, vel citra ceram cũ lactis muliebris, quæ puellam peperit ℥ ij. *fiat irrigatio*, sive in prædictis pannus lineus madefiat & quadruplicatus expressusque frontem temporaque cingat, siccescensq; removeatur. Adhibentur etiam interdum ista reprimentia cervici, qua grandiores venæ transeunt. Perseverante dolore & ardore, parantur cataplasmata ex violis, rosis, sem-

pervi-

pervivo, lactuca, & similibus contusis cum modico aceti, vel ex horum succis cum farina hordei, ac oleo rosarum, vel nymphææ. Aliqui cum pane & mucilagine psillij, aut succo lactucæ, aut simili Cataplasma parant, vel panem cum folijs hyoscyami aut papaveris recentis conterunt & oxyrrhodono miscent. Verùm, ut monet Avicenna, à multis stipticis refrigerantibus abstinendum est, ne materia compingatur, nimiumque crassescat aut exprimatur, catarrhumque calidum gignat: sed parcè, urgente tantum dolore cum ardore, quo remisso, utile est statim anodyna propriè dicta adhibere, quod modice digerunt & rarefaciunt, ut fomentum ex flor: camomillin: meliloti, violarum, rosarum, anethi &c. Sedat dolores capitis frontale ex nucleis persicis contusis cum lacte muliebri, Vel

℞ *nucleorum persicorum,*
sem: papaveris albi ana ℥ s.
aquæ rosarum,
violarum,
sambuci ana ℥ iij.

fiat Emulsio, addi poterit aliquid aceti & olei rosarum fiatq; Epithema. Si dolor non mitigetur sed vehementer sæviat, cum vigilijs, interdum cum delirijs &c. cogimur ad opiata confugere, & his alijsve topicis nonnihil opij soluti vino addere, ut mox dicemus in

cura-

curatione vigiliarum & delirij. Hyeme, & in febribus lentis, ac corporis constitutione frigidiore anacollemata fiant ex oleo rosaceo cum oleo camomillino aut anethino, addita quarta aut quinta parte aceti. Nam ubi caput afficitur à vapore crasso copioso, sed minus calido, ut in febribus quotidianis & quartanis, spurijsque interdum tertianis, convenit initio miscere digerentia repellentibus, tandem, cessante affluxu, solis digerentibus uti, qualia sunt Vng: Dialthææ, Martiati, aut irrigatio ex oleo camomillino, anethino, sambucino aut irino, cum aquis vel decocto betonicæ, salviæ, majoranæ, aut summ: anethi, camomillin. thymi, stæchados &c. Aut sacculus ex his & similibus paratus parti dolenti admotus. In omnibus doloribus capitis commendatur plurimum Vng: Alabastrinum, ut à Benedicto Faventino describitur, si adsit calor addito aceto rosaceo, interdum unguento populeonis &c.

De vigiliis. Secundo febres & somnolentæ & pervigiles periculosæ sunt. Nam somnus & vigilia, utraque si modum excedant, malum. Dormiendum autem est, quantum vires requirunt, & quo tempore somnus juvat naturalisque est. Iuvat in fine accessionum, & qui delirium aliaque symptomata sedet: nocet in principijs accessionum, aut ubi in

cerebro

cerebro multus humor vitiosus coacervatus est, vel qui delirium aliaque prava symptomata excitat aut auget. Vigiliæ vero immodicæ quia vires debilitant, concoctiones impediunt, deliria aliaque mala accersere solent, negligi non debent. Excitant autem vigilias, authore Galeno *lib. 3. de Causis pulsuum*, tria præcipuè, calor, siccitas & dolor, quibus totidem sunt opponenda remedia nimirum refrigerantia, humectantia & Anodyna sive quæ dolorem sedant; sub dolore comprehendimus quamvis molestiam, sitim, iram &c. Dolor autem si sit capitis, curatur, ut modo diximus; sitis, ut mox dicetur. Propriè somnus conciliatur ijs, quæ refrigerant & humectant, item tenebris, quiete, silentio, suavi cantu, lectione jucunda, murmure aquæ leniter fluentis, aëris refrigeratione, levibus extremorum frictionibus, & ligaturis articulorum, manuum & pedum sub horam somni, si æger ex articulis non laboret; Verùm ligaturæ illæ, ut præcipit Paulus, parvo tempore sunt retinendæ, & subinde mutandæ. Ὑπνωτικὰ refrigerandi & humectandi vi prædita & assumuntur, & extrinsecus admoventur, incipiendo semper à debilioribus, sensim procedendo ad validiora ut virtus assuescat, & fortioribus

Causa vigiliarum & curatio.

ribus

ribus minus offendatur, qualis est, horâ somni, ejusmodi emulsio

℞ *amygdalarum dulcium mundatarum* ℥ j.
sem: papaveris albi ℥ s.
melonum,
cucumeris ana ʒ j s.
aquæ hordei ℥ xv.

vel tantundem aquæ lactucæ & violarum, fiat emulsio, dulcoretur manibus christi perlat. q. s. addi poterit nonnihil syr: papaveris vel nymphææ, interdum aromatizetur spec: diamargariti frigidi, Si ventriculus debilior sit, addatur nonnihil aquæ cinnamomi. Admoventur fronti & temporibus epithemata & inunctiones

℞ *olei nymphææ,*
violarum ana ʒ vj.
lactis mulieris, quæ puellam peperit ℥ ij.
albuminum ovorum num: j.

conquassentur, fiat Epithema. Vel illinantur tempora & nares linimento ex unguento populeonis, oleo nymphææ &c. Probantur lotiones brachiorum & crurum ex ejusmodi decocto

℞ *fol: lactucæ,*
salicis
portulacæ ana m j s.
summ: anethi,
flor: camomillin.
flor: violarum,
nymphææ ana m j.

capitum

capitum papaveris num: x.
si vis fortius, adde cort: mandragoræ ℥ j.
sem: hyoscyami ℥ s.
concisa coquantur in aqua, & vesperi potissimum laventur extrema. Si levioribus nihil proficiamus, ad validiora sensim procedere licet
℞ *syr: papaveris* ℥ j.
nymphææ ℥ s.
aquæ aut decocti lactucæ ℥ iij.
spec: diamargariti frigidi ℈ s.
misce, fiat haustus, vel utatur Diacodio. Verùm quibus ventriculus debilior, satius est, diacodium aut syrupum papaveris & similia in ore detinere quam deglutire. Vel
℞ *sem: papaveris albi* ℥ iij.
pulverizentur & distemperentur albumine ovi & aqua rosarum, addendo aliquantulũ aceti, & olei papaveris vel nymphææ, f. frontale Vel
℞ *flor: violarum,*
nymphææ ana m s.
sem: anethi ʒ j.
papaveris albi.
cort: mandragoræ ana ʒ ij.
fol: melissæ P s.
misce, & cũ opij ʒ s. *ligentur in syndone rubra & continuo olfaciat:* Vel in horum decocto dissolve opij ʒ j. deinde in eo maceratam spongiam bis aut ter in umbra siccato. & cum uti voles rursus madefacito, & tepidam naribus admoveto, vel olfaciat ladanum opiatum.

Si nec iſta ſomnum conciliaverint, & neceſſitas exigat, cogimur ad Theriacam recentem, Requiem Nicolai, Philonium Romanum aut Ladanum opiatum aſcendere, exhibeatur autem iſtius ladani opiati à gr: ij. ad gr: v. cũ conſer: violarũ aut nymphææ ℥ ij.

Ladanum opiatum.

℞ *cinnamomi,*
macis,
garyophyllorum,
nucis moſchatæ,
tormentillæ,
zedoariæ ana ℥ ij.
galangæ,
zinziberis,
rad: angelicæ ana ℥ j s.
flor: cordialium ana P j.
croci ℥ vj.

pulverizentur & cum ſpiritus vini q. ſ. extrahatur tinctura. Similiter

℞ *opij Thebaici,* ℥ iiij.

extrahatur tinctura omnis cũ aqua cinnamomi, deinde miſceantur tincturæ, & in vitro bene obturato circulentur aut digerantur in loco calido per aliquot ſeptimanas, poſt ſeparetur menſtruum, & extracto admiſce extracti ligni aloes,
ſantali citrini,
& ſuccini albi ana ℈ j.
ſolutionis margaritarum,
& corallorum,
lapidis bezoartici ana ℥ s.

auri di-

auri diaphoretici ℈ s.
olei cinnamomi,
olei nucis moschatæ destillatæ ana gut: vij.
olei anisi ℈ j.
olei cort: citri gut: v.
pro maribus moschi ℈ s.
ambræ ℈ j.
pro fœminis hystericis *extracti castorei* ℈ s.

deducantur ad perfectam consistentiam, fiat opiatum, Servetur diligenter pro secreto ad somnum conciliandum, dolores quosvis sedandos, fluxiones sistendas, vapores malignos condensandos & discutiẽdos, cor confortandum &c. Extrinsecus vero ad somnum conciliandum singulis uncijs linimẽtorum addi poterit opij soluti vino ℈ j. aut ʒ s. & tantundem olei nucis moschatæ expressæ, Veluti

℞ *olei nymphææ,*
vnguentum populeonis recentis ana ℥ s.
opij Thebaici soluti vino,
olei nucis moschatæ per expressionem ana ℈ j.

misce fiat linimentum, eoque tempora, frons & nares inungantur. Verùm instante crisi, nõ solum ab his opiatis, sed etiam ab alijs somniferis abstinere cõvenit, ne motus naturę impediatur. Si somnus arte conciliatus diuturnior videatur, naribus prætendatur spongia macerata decoctione rutę, majoranę, serpilli

&c ſimilium in aceto, Deindè ventriculi noxa contracta uſu ſomniferorum corrigatur aſſumpto Elect: aromatico roſato &c.

Somni profundi cauſa & curatio.

Coma ſive ſomnus profundus vigilijs contrarius, febricitantibus nonnullis interdum accidit, à multis & frigidis vaporibus in cerebrum ſublatis, ibique condenſatis, præcipuè in febribus quotidianis, tertianis ſpurijs & ſemitertianis : oritur etiam aliquando ab inepta doloris capitis, vigiliarū, aut delirij curatione unde primum ſopor ſtuporque, pòſt vaporibus in frigidiorem humorem converſis carus, aut lethargus, tandem, niſi maturè ſubveniatur, caloris nativi oppreſſio & extinctio. Curatur ſopor & excitantur ægri irritatione ſenſuum, & revulſione humorum & vaporum à capite, illis præſidijs, quæ curationi vigiliarum oppoſita ſunt, nimirum conſtituto ægro in aëre lucido calidoque, adhibita corporis multa agitatione, pilorum evulſione, multo clamore, clangore & ſtrepitu, ingratis odoribus, item clyſteribus acribus, ſternutatorijs, cucurbitulis, veſicatorijs, alijſque revellentibus.

℞ *Summ: centaurij min:* m j.
mercurialis,
origani,
pulegij,
majoranæ,

rutæ

rutæ ana m s.
flor: camomillin:
stæchados Arab: ana P j.
sem anisi,
carui ana ʒ ij.
fiat decoctio in aqua, in cujus colaturæ ℥ xv.
dissolve Elect: benedictæ laxat.
hieræ picræ.
hieræ logadij,
aut diacolocinthidos ana ℥ s.
olei rutæ ℥ ij.
camomillini ℥ j.
salis ʒ j.
fiat Enema. Si renuat æger, subjiciatur glans acris, vel dentur pilulæ cochicæ, aureæ, fœtidæ &c. pòst naribus adhibeatur spongia macerata in aceto acerrimo decoctionis rutæ, pulegij, thymi, nigellæ, aut castorei: palatum valentibus acribus remedijs inungatur, ut Theriaca veteri aut Aurea Alexan: aut, quod valentissimum est, confectione Anacardina mixta aceto scyllitico. Sternutationes excitantur insufflatione pulveris piperis, zinziberis, nigellæ, hellebori albi, aliquando Euphorbij &c. Cucurbitulæ admoveantur, cervici & scapulis, interdum cum scarificatione. Capiti raso sinapismus imponatur aut vesicatorium, item post aures cervici & extremis partibus. Initio ipsi capiti oxyrrho-

donum imponatur, pòst misceatur aliquid castorei aliaque resolventia. Quidam non infelici successu pilos ægri urunt, & in forti aceto extingvunt, & abrasis pilis suturæ coronali applicant, singulisque tribus horis mutant. His aut similibus præsidijs si ægri non expergiscantur, spes omnis vitæ sublata videtur.

Delirii causa & curatio.

Acutis aut malignis febribus in vigore, ex multis acribus fervidisque vaporibus, in cerebrum sublatis, simplex delirium sive paraphrenitis non rarò accidit, cui nisi citò subveniatur, phrenitis subsequi solet. Inducunt etiam delirium vigiliæ diuturnæ interdum, nimiaque sensuum irritatio. Imminentis autem delirij signa sunt, insolita garrulitas, immodestia in voce & gestibus, & similia. Curatur ijsdem ferè remedijs, quibus dolor capitis, & immodicæ vigiliæ, nimirùm, quæ vapores & humores acres à capite revellunt & repellunt, ac irritationem sensuum sedant. Revellunt clysteres acres, frictiones cum asperis linteis, cucurbitulæ interdum cum scarificatione, incipiendo à spatulis, descendendo ad pulpam crurum, vesicatoria extremis partibus adhibita &c. Reprimunt sive repellunt vapores à capite oxyrrhodonum admotum, aliaque ut in dolore capitis

curan-

curando, deliria ſedant ſenſuumque irritationes, quæ ſomnum conciliant &c. Tandemque declinante delirio, vapores adhuc in cerebro oberrantes diſcutiuntur, ut ſuprà in dolore capitis.

Sitis cauſa & curatio.

Acutis febribus alijſq́; nonnullis communis eſt ſitis, appetentia nimirum humidi frigidi excitata in orificio ventriculi, ex defectu nativi humidi, ab intemperie calida ſicca, ſæpe cum vapore aut humore ſalſo, acri, amaro. Excitatur primum illa intemperies vel in ventriculo ſolum, à materia acri, ſalſa, amara, ibidem collecta aut impacta: item ex uſu vini meracioris, aut ſalſorum acrium alimentorum aut pharmacorum. Deindè vel conſiſtit in toto corpore ex vehementi æſtu febrili, humidum depaſcente; vel in una parte, ut in ore, faucibus, lingua, pulmonibus, renibus, nimirum in Diabete, aut alio viſcere; Item ex immodica aliqua evacuatione humidum conſumente, ita tamē ut ſenſus alterationis ſive indigentiæ humidi ad os ventriculi pertingat, unde potus immodica appetentia, quæ ſemper accidit, niſi quando vis ſentiendi in ventriculo extincta eſt, ut in febribus nōnullis lethalibus. Vt autem febricitantes diutius ſitiant, permittendum non eſt, ſed ſitis aut fallatur ſive leniatur, aut potu refrigerante humectante reſtinguatur. A quacunque

causa sitis ortum habeat, utile est ægros frigidum aerem inspirare, tacere, os continere & clauso ore per nares expirare, somno indulgere, potissimùm in declinationibus accessionum. Sitis ex oris, linguæ & fauciũ ariditate, curatur crebris lotionibus ex aqua hordei tepida, aut aqua, in qua decoctæ sunt jujubæ, sebesten, pruna, glycirriza, lactuca, portulaca & similia: teneat in ore æger frustum radicis glycirrizæ prius à cortice mundatæ, maceratæ in oxycrato, aut aqua hordei: si dulcia non placeant, colluat oxycrato aut aqua hordei cum modico aceti, aut cum succo granatorum, limonum &c. ac teneat in ore acinos granatorum, aut laminam vel pulpam mali aurantij aut citri maceratam in aqua rosarum cum saccharo, vel masticet acetosam. Ad refrigerationem teneat in ore stolones lactucæ, endiviæ aut portulacæ, maceratas prius in aqua frigida, item taleolas anguriæ, cucumeris &c. aut cerasa acida, rob ribes, aut berberum; Item aliquid cristalli, aut prunorum acidorum nucleos quibus nonnihil pulpæ adhæret & similia. Sitis, quæ oritur ex pulmonis incendio & ardore, cordis fuligines excitante, quæ os, fauces & laryngem torrefaciunt & exasperant, lenitur non tam potu frigido (quia id quod ad pulmones descendit, citò absumitur & parum juvat)

juvat) quam frigidissimi aëris inspiratione, frequenti aëris collutione cum aqua frigida vel aqua rosarum & similibus. Si adsit faucium ardor siccitasque

℞ mucilag. sem: cydonior: ℥ j.
mucilag sem: malvæ ℥ s.
specier. diatragacanthi frigidi,
sacchari candi ana ʒ j.
sacchari albi q. s. fiat linctus. Si ingens sit ardor, orisque inflammatio cum asperitate faucium

℞ succorum lactucæ,
sempervivi,
limonum ana ℥ j.
mucilag. sem: cydoniorum,
sacchari candi ana ℥ s.
sacchari albi q. s. fiat loch: Vel
℞ mucilag: sem: psillij sem: cydoniorum cum aqua lactucæ ℥ s.
syr: de ribes ℥ j s.
misce, ejusque parum sumat, teneatq; in ore. Item

℞ pulveris sem: cucumeris ℥ s.
sem: cydoniorum ʒ ij.
gummi tragacanthi ʒ j s.
solvatur tragacanthum in albumine ovi, cæteraq; misceantur, fiant trochisci in ore tenendi. Si sitis his falli nequeat, & æstuante ventriculo vehementer urgeat, permittendus est potus, non initijs accessionum particulari-

um, nec etiam in augmento, nisi quam paucissimus, sed in vigore, & potissimum, ubi ad declinationem inclinat, sive quo tempore instat sudoris eruptio. Nam maturior potus paroxismum producit & novam sitim excitat, prius ergo fallenda est sitis, sed instante declinatione, largiter & confertim bibendum, quantum haurire possint, ita enim subito motu & contrarietate potus, calor celerius foras dissipatur. Potus pro siti sedanda sit aqua hordei multæ decoctionis, aqua panata cum modico aceti, aut cum succo vel syrupo granatorum acidorum, limonum, acidi citri, de succo acetosæ, de succo portulacæ, de ribes, de agresta, oxysacchara simplex, syr: acetosus simplex, Item syr: violarum, julep violarum aut rosarum &c. Dantur etiam hi syrupi cum duplo aquæ lactucæ, acetosæ, portulacæ aut endiviæ. Vtiliter additur spiritus vitrioli rectificati ad gratam usque aciditatem. Aqua frigida tempestive exhibita, ut suprà *in Curatione putridarum & Synochi non putris* tàm sitim quàm febrem restinguit: si à frigida noxa metuitur, addatur parum vini aquosi aut julepi violarum &c. Laudatur aqua, in qua macerantur tamarindi, berberes aut pruna. In febribus ardentioribus

℞ *succi limonum* ℥ j.

grana-

granatorum acidorum aut acidi citri vel acetosæ ℥ ij.
aquæ rosarum ℥ ij.
sacchari albi ℥ iij.
coque, despumando fiat julep. Vel
℞ *sem: 4. frigidor: major: ana* ʒ j.
lactucæ,
endiviæ,
acetosæ,
cydoniorum ana ℥ ij.
cōtusa coque in aqua hordei ℔ j. *ad dimidias. Colaturæ expressæ adde succi granatorū acidorū* ℥ j.
acetositatis citri ℥ i s.
sacchari candi ℥ ij.
leviter bulliant, despumando fiat julep. In minus ardentibus febribus, aut ubi sitis ab humore salso in ventriculo, minus frigida conveniunt, quæ nonnihil detergunt, ut aqua hordei decocti cum passulis, glycirriza &c. addito oxymelite, vel melle rosato, vel saccharo candi. His & similibus sitis ardorque in ventriculo & præcordijs restinguitur aut mitigatur. Verùm si humor causa sitis hæreat in ventriculo, initio statim aut vomitu rejici, aut per alvum expurgari debet. Veluti si humor sit biliosus sursumque vergat, vomitus provocetur syr: acetos: simpl: ℥ j s. cum aquæ hordei aut decocti raphani ℥ v. alioqui per alvum purgetur cum cassiæ extractæ ℥ j.

& pul-

& pulpæ tamarindor: ℥ iij. vel mannæ ℥ iij. solutæ in decocto prunorum tamarind: &c. vel diluto rhabarbari. Laudatur istud in febribus ardentibus

℞ *cassiæ extr:* ℥ vj.
mucilag: sem: psillij ℥ s.
aquæ hordei aut decoctionis prunorum & tamarindorum ℥ iij.
syr: rosati sol: ℥ j s.

fiat haustus. Si sitis sit à pituita salsa in ventriculo, evacuetur appropriatis, ut in tertianæ spuriæ curatione diximus. Evacuato humore peccante intemperies contracta alteretur, sitisq; ut suprà restinguatur. Commendatur in magno ardore & siccitate ad sitim sedandam, guttur ab extra illinire oleo rosarum & violarum, addito succo lactucæ, sempervivi, mucilagine sem: psillij &c. vel linteolum in his madefactum gutturi frequenter apponere. Probatur quoque lotio brachiorum & crurum in aqua dulci, aut balneum aquæ dulcis, quod universum corpus refrigerat & humectat, simulque sitim extinguit. Huc referuntur omnia, quæ contra æstum capite *de Causo* & alibi dicta sunt. Sitis ab immodica evacuatione, curatur sedata evacuatione, ut mox dicetur, & humectantibus reficientibus.

De lingua orisq; nigredi-

In consideratione symptomatum febrium putridarum, ostensum est linguæ colorem,

rem, constitutionem viscerum & venosi generis demonstrare; quod lingua ea tunica vestiatur, quæ communis est ori, laryngi, faucibus, ventriculo & angustissimis venis, per quas visceribus communicat. Item docet Gal: *Comm: 14. sect: 5. lib: 9. Epid.* linguam colores mutare ratione humorum prædominantium, fere ut urinæ. In febribus præcipuè putridis afficitur lingua, palatum, fauces, vicinæque partes, ariditate, scabricie, nigredine, interdum simul fissuris aut ulceribus, aliquando lentore molestissimo, quorum omnium causa ferè sunt vapores sursum sublati, qui ubi non habent, quo progrediantur, in lingua parte molli & laxa primum consistunt, deinde in alijs oris partibus, ac proinde sua qualitate primum linguam afficiunt, deinde palatum, fauces, interdum laryngem & gulam. Nam fumi sive vapores calidi sicci si minus copiosi, minusque acres fuerint, sola ariditas excitatur; si copiosi valdeque calidi & sicci, asperitas & nigredo, nota febrium ardentium, aliquando vehemens ardor sive inflammatio: sin acrimonia & ariditas augeatur, fissuræ aut ulcera fiunt. Quare ab his fumis in cerebrum elatis non mirum est in ijsdem febribus delirium oriri aliaque symptomata. Vapores verò ex crudis, crassis, lentisq; humoribus elati, circa dentes, linguam, palatum,

ne, ariditate scabricie &c. eorumq; causa & curatione.

fauces,

fauces, lentores relinqvunt, Vnde Hipp: 4. *Aphor: 53. Quibus lentores circa dentes nascuntur, febres vehementiores fiunt.* Oriuntur etiam lentores in febribus lentis ex crasso vapore, aut pituita à ventriculo in os redundante, vel à cerebro defluente, quando vi caloris nonnihil concrescit faucibusque adhærescit, ita copiose interdum, ut respirationis difficultatem inducat & fauces ferè præcludat. Pessimum in febribus signum est, ubi lentores nigri sunt, deinde ubi cum palato & faucibus lingua nigra valdeque aspera est, nam summam adustionem arguit. In his curandis decet ægrum in alterum latus decumbere, & os clausum servare, paucaque loqui &c. Nam supinis & ore hiantibus, celerius lingua exarescit; quod per supinos decubitus vena cava & arteria magna vehementius incalescat, & ob oris hiatum mador sive salivosus humor citius absumatur: In quibus enim febribus tenuis humiditas in os & linguam defluit, aut levi tussi ex vicinis glandulis excutitur, in ijs lingua minus exardescit, sitisque minus molesta est. Exhibenda autem sunt initio quæ ascensum vaporum prohibent

℞ *sem: coriandri præp:* ℨ iij.
corallor: rubr: præp: ℨ j.
sacchari rosati tabellati aut manus christi perlata ℥ j.

fiat

fiat pulvis, detur nonnihil potissimum à cibo & ante somnum. Deindè linguæ siccitas humectantia requirit, Ardor, refrigerantia humectantia; Asperitas, nigredo, ac etiam lentor, abstergentia; sive quæ humorem inhærentem detergunt, interdum abradunt: si firmius adhæreant, quæ priùs leniunt & emolliunt. Eligenda semper materia est grati saporis & odoris, cum ore diu contineri debeat: Veluti in linguæ ariditate & cæteris affectibus oris ubi humectandi consilium vincit, syr: violarum, Jujubinus, portulacæ, granatorum, cremor hordei, saccharum candi, succus glycirrizæ, decoctum hordei, prunorum, sebesten, jujubarum, fol: lactucæ, portulacæ, flor: violarum, sem: cydoniorum, psillij, malvæ, altheæ, lini &c. Ex horum decocto aut mucilagine seminum parantur collutiones, aliaque, ut suprà in siti curanda ex ariditate linguæ fauciumque. In ejusmodi liquoribus linteum molle madefiat, eoque lingua frequenter humectetur, Vel paretur tale eclegma *Curatio ariditatis linguæ*

℞ *sacchari candi* ℥ s.
sacchari penidij ʒ ij.
succi glycirrizæ soluti aqua hordei ℈ ij.
cum syr: violarum aut portulacæ, fiat loch. Ut autem in asperitate & nigredine linguæ fuligo obducta, & humor inhærens facilius edu- *Curatio asperitatis & nigredinis linguæ.*

lius educatur, utantur initio lenientibus emollientibus. Quare ore primùm abluto decocto hordei, lingua aſpera ſtatim hydræleo tepido ſæpius foveatur, ſed oleum dulce ſit, ſæpius lotum aqua frigida, aut oleum amygdalarum dulcium recens expreſſum, illinatur lingua & palatum eodem oleo mixto ſaccharo, aut butyro ſæpius loto aqua roſarum addito ſaccharo: Si oleum ingratum ſit, utatur lacte amygdalino, vel colluat decocto aut mucilagine ſem: cydoniorum, malvæ & altheæ in aqua hordei; aut ſpongia decocto imbuta linguam foveat, & abſtergatur humor linguæ pertinacius inhærens idoneo inſtrumento; aut linteo ſatis aſpero intincto melle roſato, vel aqua hordei detergatur & abradatur. Hordeum leviter coctum addito butyro linteo includatur, eoq; lingua ſæpè fricetur & abſtergatur; quidam penicillo ex linteo carpto conſtructo, intincto aqua hordei, linguam detergunt, pòſt melle roſato cum oleo roſaceo inungunt. Si profundius aſperitas inhæſerit, utatur gargariſmis ex decocto hordei addito melle roſato, vel ſaccharo candi, vel oxymelite ſimpl: & ſimilibus. Si unà adſit ardor, colluat decocto aut mucilagine ſem: cydoniorũ, pſillij, portulacæ, malvæ, ex aqua hordei vel prunellæ. Vel

℞ *mucilag: ſem: pſillij,*

cydoni-

cydoniorum,
malvæ ex aqua violarũ aut lactucæ ana ℥ s.
mellis rosati aut violarum,
sacchari candi ana ℥ s.
sacchari penidij ʒ iij.
sacchari albi q. s. fiat linctus. Vel
℞ *sem: psilij,*
cydoniorum ana ʒ j s.
gummi tragacanthi ʒ s.
sacchari candi ʒ iij.
pulverizentur, & cum mucilagine gummi tragacanthi fiant trochisci sublinguales: Vel linteo raro includantur, fiat nodulus, qui maceretur in aqua rosarum & in ore teneatur. Si ingens sit ardor linguæ, faucium, cum nigredine &c.

Curatio ardoris linguæ & faucium.

℞ *sempervivi recentis* m j.
aceti rosacei ℥ iij.
aquæ prunellæ aut hordei ℔ j.
coquantur ad tertiæ partis consumptionem, In Colatura dissolve nitri præparati ʒ j s.
aluminis ℈ j.
syr: violarum,
Diamori ana ℥ j.
fiat Gargarismus. Vel
℞ *succi sempervivi* ℔ s.
nitri præp: ʒ ij.
vel salis Armoniaci ʒ j s.
misce, repone in loco tepido ut dissolvatur sal. Quidam in alembico destillant, aqua enim refrige-

frigerat & abstergit. Detergatur sæpe lingua linteis asperis intinctis succo cancrorum fluvialium, addita aqua prunellæ vel succo sempervivi. Vel

℞ *cancros fluviales tres aut quatuor,*
sempervivi recentis m j.

una contundantur succusq; exprimatur, quo sæpe os colluat aut linguam detergat. Ad oris, fauciũ & ventriculi ardores probatur nitri præp: ʒ s. cum conser: rosarum. Fissuræ linguæ & labiorum sanantur ijs quæ humectando agglutinant, ut mucilagine sem: psilij aut cydoniorum cum mucilagine gummi tragacanthi, & Arabici ex aqua rosarum aut plantaginis &c. In his omnibus affectibus guttur & collum qua parte perreptant venæ & arteriæ, illinantur linimento ex oleo violarum cum butyro sæpius loto aqua violarum & rosarum, alijsque humectantibus refrigerantibus. Tandem lentor circa dentes, linguam & fauces abstersionem requirit, cum linteo aspero, cochleari, aut instrumento appropriato, ut suprà, crebrisq; collutionibus & gargarismis cum aqua hordei, addito pauco aceto & melle rosato, vel syr: acetoso aut oxymelite simplici. Si materia viscida sit febrisq; lenta, *cũ hordeo integro coquatur hyssopus*

Curatio fissurarum linguæ & labiorum.

Curatio lentoris circa linguam &c.

betonica,
rad: glycirrizæ,
iridis,
ficus pingues,

aliaq;

aliaq; detergentia, & in Colaturæ ℥ ix. dissolve oxymelitis simplicis vel syr: acetosi simplicis ℥ ij. fiat gargarismus.

Syncope & animi defectio quæ per febres nonnullas proficisci solet, curatur ut in ultimo capite præcedentis libri *de febribus syncopalibus* demonstratum est. *Syncopes curatio.*

Accidit febribus nonnullis interdũ inquietudo ægrotantem huc illuc impellens, sive jactatio assidua, nulla servata decubitus forma, orta aliquando à vehementi æstu aut dolore plerumque; vel à materia morbifica urgente, sive huc illuc se cõmovente, vel à maligno aut acri crasso humore, ut bile prasina aut æruginosa præcordia feriente & ventriculũ afficiente, ut plurimum tunicis ventriculi imbibito. Ex hac causa non solum inquietudo excitatur, sed etiam gravis anxietas, & oppressio ægrotantẽ pene suffocans, fastidium, hypochondriorum tensio, vigiliæ, delirium &c. febres quibus ista inquietudo accidit, ἀσώδεις, id est, graviter molestantes & fastidiosæ ab Hipp: *lib: 4. de Ratione Vict.* appellantur; quæ ex genere quoq; ardentiũ sunt, valde perniciosæ; quòd in ijs pulsus viresq; citò cõcidant, & occasio majoribus remediis eripiatur. Curãtur victu tenuissimo refrigerãte, modicè incidẽte attenuãte. Hipp: ante mali remissionẽ urinęq; cõcoctionẽ sorbitiones nõ concedit, ægros jacere

De inquietudine febricitantiũ eiusq; causis & curatione.

Febres assodes earumque curatio.

jubet in loco obſcuro & in molli ſtrato, ac corpus in quiete continere, & quantum fieri queat, minime ſe jactare; quod quies vires conſervet & concoctiones juvet. Humor vitioſus impactus præparatur ſyr: acetoſo ſimpl: oxyſacchara & ſimilibus cum aqua hordei. Hipp: oxymelite ſimplici utitur, quod craſſos humores incidat, ſine magno calore. Evacuetur humor, quò natura ducit, vomitorio aut levi purgatione ex diluto rhabarbari &c. Si vires ſint debiles, clyſteribus: hinc detur dilutum abſinthij vel decoctum cicerum in aqua hordei, & os ventriculi omnibus modis corroboretur. Hypochondria tenſa Hipp: decocto lini in hydrelæo fovere jubet: Alij decocto malvæ, altheæ, ſem: lini, fænugræci &c. in hydrelęo, aut ex his cum farina hordei paretur Cataplaſma hypochondrijs admovendum. Si adſit dolor lumborum cum ardore, inungantur Vng: refrigerante Galeni aut ſimili. Inquietudo à materia morbifica turgente, ſtatim initio purgationē requirit medicamento appropriato, ut in Curatione putridarum dictum eſt. Poſt purgationem ſufficientem, corpus manibus leviter fricetur, & ſi non ceſſaverit inquietudo, totum corpus, à ſcapulis ad plantas pedum, fricetur, ac cucurbitulæ cum ſcarificatione admoveantur, incipiendo à coxarū pulpa &c. Immodici totius

Curatio inquietudinis ab humore turgente.

corporis

corporis æſtus & ardores febriles contemperantur, ut in Cauſi curatione demonſtratum eſt: dolor anodynis ſedatur pro natura partis affectæ.

Ex genere febrium ſymptomaticarum quæ ad tertianas continuas ardẽtes referendæ veniunt, ſunt præter ἀσσώδεις, febres cardiacæ, lipyriæ & ſyntecticæ, quæ non minus periculoſæ ſunt & graves quàm aſſodes. *Cardiacæ* autem *febres dicuntur quæ vehementi æſtu aut malignitate cor graviter afficiunt, aut quæ æſtuante ventriculo cor in conſenſum trahunt, quorum cauſa eſt pravus humor tranſmiſſus in partes aut vaſa cordi vicina, aut qui in ventriculo terminatur.* Symptomata cordis affecti ſunt, magnus cordis ſaltus, dolor in regione cordis, vehemens æſtus, exigua frequenſq; ſpiratio, ægriq; reſidere volunt, ut in pulmonarijs, facies rubet. Declinante morbo ſudor tenuis exit, aliquando extincta virtute vitali frigidus, unde ſyncope; deinde exeunte per os frigido ſpiritu, mors. Si os ventriculi aut ventriculus ſit affectus, aderunt ingens morſus, & dolor circa os vẽtriculi, anxietas, nauſea, vomitus bilioſorum corruptorumq; humorum, interdum bilis praſinę; in progreſſu pulſus exſolutio, frigidus ſudor circa tempora, ſyncope &c. Curantur ferè, ut febris ſyncopalis minuta. Victus ſit refrigerans humectans, jaceant ægri in lolo lucido, ſua-

Febris cardiaca eiusq; curatio.

vi aura perflato, aër calidior alterandus & frigidior tantum inspirandus, ac flabellis æger ventilandus est, decubitus sit altior, ut melius respiret. Hollerius initio ad revulsionem, inflammationis subtrahendæ ergo, phlebotomiam admittit, si vires ferant præmisso leniente clystere si opus fuerit, sed ea parca esse debet. Alterantia, confortantia, item Epithemata, cæteraque cordialia hic locum habent, quæ in curatione febris syncopalis minutæ præscripta sunt. Si ventriculus patiatur, ante paroxismum aliquot horis clystere utatur, aut vomitus excitetur aqua hordei cum syr: acetoso: humoris acrimonia contemperetur syr: granatorum, violarum, portulacæ &c. ventriculus illinatur Vng: ex oleo rosato cũ santalis, rosis rubris, corallis &c.

Febris lipyria causa. Lipyria Arabum quid sit, dictum est in præcedente libro capite *de Quotidiana.* λειπυρία vero Græcorum est febrium ardentium perniciosum genus, quo interna uruntur cute refrigerata. Hujus duæ species à Galeno describuntur, una lib *:de inæquali intemperie cap: 8.* orta à bilioso humore intus accenso: Altera *com: 4. Aphor: 48. & 2. Sect: 1. Epid:* ab erysipelate sive magna inflammatione internæ partis, aut maligno humore intus putrescente, cucurbitulæ ritu calorem cum

cum ſanguine attrahente. Quare in illa ſpecie extrema poſitivè refrigerantur, ſive à cauſa frigida, & mox ab initio calor & frigus ſentitur: In hac privativè recurſu caloris nativi ad interiora, unde in progreſſu tantum frigus extremorum excitatur. Deindè quæ ſine inflammatione ex humoribus putreſcentibus oritur, morbus ſive febris proprie eſt; quæ inflammationem partis internæ conſequitur, ſymptoma tantum illius inflammationis judicatur. Inflammationem autem illam Aëtius putat eſſe eryſipelas ventriculi, nonnulli aliarum partium. In lipyria orta ab inflammatione aut humore maligno interiora deurente, non ſolum extremis refrigeratis interiora uruntur, caloreque intus retracto pulſus parvi & obſcuri fiunt, excretiones retinentur, ſed etiam lingua arida ſiccaque redditur, aliæque notæ adſunt febrium ardentium. Curatur iſta febris ut ardentes habita ratione partis affectæ. Victus ſit refrigerans humectans, ex cremore hordei, lactuca aut portulaca abluta aceto &c. Potus aqua hordei, &, urgente neceſſitate in morbi vigore, largior aquæ frigidæ potus, ſi æger ſit aſſuetus &c. Ad revellendam fluxionem ſanguinis à parte affecta & interiora; phlebotomia initio utilis eſt, deinde frictiones extremorum, ligaturæ dolorificæ, cucurbitulę &c. Si *Curatio lipyriæ febris.*

ventriculus afficiatur, à Catharticis abſtinendum eſt, ne ad partem læſam vitioſus humor trahatur, & clyſteribus tantum utendum. Dentur per os alterantia vireſq; confortantia, qualia in Cauſo. Extrinſecus hypochondrijs aut parti affectæ, ut orificio ventriculi, admoveatur Cataplaſma ex pane ſicco trito vel farina hordei cum ſucco lactucæ, portulacæ, aut ſempervivi & endiviæ addito modico aceto roſaceo; Altera ſpecies lipyriæ ex duplici humore curatur ut tertiana ſpuria continua.

De febribus colliquantibus.

In febribus nonnullis ex vehementi calore deurente, colliquante univerſum corpus & primum humores, pòſt partes carnoſas, tandem ſolidas, oritur conſumptio ſive colliquatio: Diſſolvitur autem ſive conſumitur ſubſtantia corporis, vel ſenſim ſive in progreſſu morbi longo tempore, ut in maraſmo & febre hectica maraſmode: Vel brevi tempore & ſtatim ab initio morbi. Præterea colliquatur corpus ab evidentibus nõnullis cauſis, ut immodica evacuatione, vigilijs, inedia, mœrore & mæſtitia &c. Febres ardentes aut malignæ aut peſtilentes in quibus brevi tempore à calore igneo corpus conſumitur ſive ſubſtantia corporis difflatur, συντηκτικαὶ, id eſt, *colliquantes* dicuntur. Diffluit autem ſubſtantia corporis in talibus febribus, ab ardente calore, vel per inſenſilem

sensilem transspirationem per poros cutis, vel manifestam evacuationem, nimirum, per dejectiones, urinas & sudores, vel utroq; modo. Proprijssimè illæ febres acutæ colliquantes appellantur, in quibus à deurente calore non modò per insensibilem transspirationem, sed etiam per manifestam evacuationem, substantia corporis dissolvitur. Nam in dissolutione corporis, quod in fumos permutatur, per poros cutis insensibili transspiratione exit; quod halitus sive vaporis specie provenit, per sudores expellitur; quod in materiam serosam solvitur, renes si sani sunt ad se trahunt, & ad vesicam demittunt, unde Diabetes notha sive mictus colliquativus; Si renes attrahere non valeant, venæ in ventrem mittunt, aut in habitum corporis, unde subitò hydrops. Si id quòd colliquatur crassum sit, totum in ventrem confluit, unde Diarrhæa syntectica. Dum cum humoribus colliquatur carnosa substantia, alvi dejectiones ruffæ, crassæ, fœtidæ, in biliosis spumosæ apparent; dum partes solidiores; pingues, viscosæ aut quasi adipe perfusæ: Vrinæ similiter ruffæ, fœtidæ, oleosæ cum multis squammis. In omni colliquatione cum habitu corporis facies mutatur, & Hippocratica sive cadaverosa redditur, scilicet nares acutæ, collapsa tempora, oculi concavi &c. ut *1. Prognost.*

 quæ

quæ omnia in febre ſynte&ctica proprijſſimè dicta ſtatim initio fere apparent, deinde deficiente virtute, ſudores diaphoretici & ſyncope oritur; tandem corpore exſoluto mors. De Maraſmi & febris Maraſmodis curatione in primo libro dictum eſt. Colliquatio ab inedia, copioſa evacuatione aut vigilijs, brevi tempore reficientibus curatur; à mærore & triſtitia, tardius. Febres acutæ colliquantes difficilimè curantur, & ut plurimum lethales ſunt, præcipuè quibus ſtatim, initio febris, facies cadaveroſa apparet: In his, quia vires debiles validiora remedia non admittunt, ſed præmiſſo prognoſtico ſufficit medico effluxum prohibere & evacuationes ſiſtere, cauſaſq; ſyncopes avertere. Conſtituantur ergo ægri in loco frigido ſuavi aura perflato, & flabello ventilentur. Diæta & alimenta, ut in Cauſo, refrigerantia humectantia ſint, ut cremor hordei ex decocto lactucæ, portulacæ, ſem: 4. frigidor: &c. Hipp: *lib: 3. de Victus ratione in Acutis* ptiſanæ cremorem & aquam frigidam commendat, ſed aqua frigida nõ datur niſi apparentibus ſignis concoctionis, urgente ſiti modò æger frigidæ ſit aſſuetus. Si ab aqua frigida metus ſit, diluatur decima parte vini tenuis, vel ſaccharo violarum aut roſarum, aut manib. Chriſti perlatis, aut ſyr: papaveris vel violarum, aut

Curatio febris colliquantis

ejus

ejus loco detur aqua endiviæ, aut acetosæ & lactucæ, cum syr: de ribes, de Agresta, granator: acidor: citri, nymphææ, portulacæ &c. Si vires sint debiles & excrementa ruffa, graveolentia, spumosa, à mellitis abstinendum, ac etiam à syrupis, nisi frigidis, multa aqua valde refrigerante dilutis, ut aquæ lactucæ, portulacæ, endiviæ triplo aut quadruplo. Exhibenda sunt in hac febre qualia in syncopali minuta ad vires cordis reficiendas, admovenda eadem epithemata aliaque refrigerantia, quæ nimiam evacuationem per poros cutis prohibent. Admovenda quoque sunt refrigerantia, humectantia, modicè adstringentia, ventriculo, hepati, hypochondrijs, renibus, dorso & thoraci, quæ præscripta sunt in Curatione febris Hecticæ, Marasmodis & Causi. In fluxu colliquativo alvi, utantur Rob aut syr: ribes, syr: de portulaca, de succo cydoniorũ acidorũ, myrtillorũ, granatorum acidorum &c. Dentur sæpe manus christi perlatæ, Conf: rosarum vetus cũ corallis, spodio, trochiscis de spodio, diacodio & similibus. Si metus sit dyssenteriæ, quod in excretionibus magna sit acrimonia, quæ intestina exulcerare solet, clysteres refrigerantes, lenientes, intestina munientes injiciantur, quales in dyssenteria præscribuntur.

De inappetentia. Dissolvitur appetentia, cibiq; fastidium in fe-

in febribus compluribus accidit, vel à calida ventriculi intemperie; quibus enim æstuat ventriculus, cibi appetentia minuitur & potus augetur. Deindè à vitiosis humoribus collectis in ventriculo, aut tunicis ejus imbibitis, qui vel satiant, vel relaxant, vel appetentiam dissolvunt, ut humores amari, acres, maligni; item salsi, insipidi, dulces. Tertio à corruptis aut malignis vaporibus collectis in ventriculo, pro sua qualitate ejus virtutem debilitantibus.

Curatio. Cum autem vires cibi fastidio necessariò deficiant, ideo appetentiæ consulere oportet. Verùm initio si inappetentia sit ex redundantia vitiosi humoris in ventriculo, evacuetur vomitu aut alvi dejectione cum diluto rhabarbari & similibus: si tunicis sit impactus, febrisque lenta aut in declinatione, cum hiera picra, & decocto detergente absinthij, hordei, cicerum &c. Injiciuntur detergentes clysteres, qui consequutione quadam ventriculum à vitiosis excrementis evacuant. Laudatur à Iouberto alijsq; nonnullis clyster ex urina pueri impuberis, in declinatione morbi multò ante cibum

℞ *vini albi* ℥ vj.
urinæ pueri ℥ v.
mellis despumati aut rosati ℥ ij.

fiat Enema, mucosa evacuat & à ventriculo pituitosa

pituitosa ducit, sed ut efficacius reddatur, vino infundatur prius aliquid phlegmagogi, ut agarici &c. Post evacuationem intemperies contracta in vētriculo alteretur, ipsáque appetentia confortetur modicè adstringentibus, os ventriculi corrugantibus. Alterant intemperiem calidam & appetentiam excitant acida, ut syr: granator: acidor: de Agresta, acidi citri & similia, nam acida ut sitim minuunt, ita appetentiam ciborum excitant. Os ventriculi corroborat succus aut syr: cydoniorum, Iulep rosarum cum quarta parte succi granator: acidor: Diacydonium simplex &c. Commendatur ad appetentiam excitandam syr: ex malis persicis: In declinatione febris & post febrem vinum absinthires aut absinthij dilutum. Corroborato ventriculo ne vires inappetentia dissolvantur, laborandum, ut æger aliquid assumat, sponteq́ue appetat. Quare offerantur semper, quæ ægro non displicent, & plerumque quod maxime appetit. Nam ut monet Hipp: *2. Aphor: 38.* cibus suavior, meliori quidem sed minus suavi præferendus est. Excitat quoque appetentiam mundicies eorum, quæ offeruntur, gratusq́ue odor & sapor, amica familiarium cohortatio. Vtendum cibis boni succi, facilis digestionis, ut hordeato, jure pulli vitellis ovorum, gelatina ex capone &

pedi-

pedibus vituli &c. Condiantur cibi aceto rosacco, alijsq; acidis, ut succo limonum, aurantiorum, granatorum acidorum, acetosæ, agrestæ, cum modico sacchari, & interdum paulo cinnamomi. A calidioribus aromatibus abstinendū, item ab alimentis pinguibus, oleosis, prædulcibus, quæ citò satietatem excitant. Assumant sæpe cibos, sed singulis vicibus parum, idque boni succi, facilis digestionis; & si fastidio vires debilitari cœperint, apponantur varij cibi, ut paululum de singulis degustent. Si nihil assumere queant, aut cuncta vomitu rejiciant, ne vires exsolvantur, Clysteribus nutrientibus uti coguntur, ex decocto pulli gallinæ, capi, vituli aut alterius carnis, aut cremore hordei, vel lacte vaccino aut amygdalino, cum saccharo & vitellis ovorum.

℞ *cremoris hordei aut juris caponis* ℥ ix. *aut* ℥ x.
sacchari albi ℥ ij.
vitellorum ovorum num: ij. *fiat Enema.* Si febris ardens sit, sumatur tantundem juris carnis alterati lactuca, portulaca, acetosa &c. injiciatur tale Enema bis in die aut ter, præcipuè ante somnum, sed repurgatis prius excrementis alvi per clysterem leviter detergentem, nimirum ex jure veteris galli vel decocto hordei, furfuris &c. cum saccharo rubro aut melle rosato. Post solutam

tam febrem, si inappetentia perduret, exercitationes variæ instituantur, locumque æger mutet, & ad colles aut montes sese conferat, à calido ad locum frigidiorem, cum cibis utatur olivis aut capparibus conditis, salsamentis, mace, cinnamomo &c. Ad humores tunicis impactos evacuandos assumat frequenter pilulas de hiera, deinde manè vinum absinthites, aut dilutum absinthij, aut syr: absinthij, aut menthæ &c.

Singultus motus convulsivus ventriculi ab expultrice irritata febribus nonnullis supervenit, ob repletionem aut inanitionem, fibras tendentem: repletio autem ista vel est ab humore aut flatibus tunicis imbibito; & humore vel frigido crasso, vel acri maligno &c. Singultus à repletione sedatur ut plurimum vomitu, pro natura humoris; si post vomitum perdurarit, dentur pilulæ ex hiera picra ad ʒ ij. vel cassiæ ʒ vj. cum pul: hieræ ʒj. aut ℈ iiij. In febribus acutis & malignis dilutum rhabarbari &c. humor autem vitiosus impactus alterandus est, ut frigidus, crassus, lentus, attenuantibus, incidentibus, ut oxymelite, syr. capill. ven. de hyssopo &c. deinde evacuandus: hinc ventriculus confortandus, & flatus discutiendi. Nam in causa frigida, post evacuationes, sistit singultum

De singultu.

Curatio singultus.

& ven-

& ventriculum roborat ſyr: de abſinthio aut mentha, vinum abſinthites: ſi à flatibus aut humoribus frigidis, Diagalanga, Diacuminum, Dianiſum, Decoctum galangæ, & ſem: anethi ex vino albo, ſimiliter abſinthij & flor: camomillin. Singultus ab acri maligno humore temperatur ijs, quæ acrimoniam obtundunt, ut cremore hordei, emulſione perlarum aut amygdalarum, aut 4. ſem: frigidorum, ex aqua aut decocto lactucæ, portulacæ, acetoſæ & ſimilibus quæ in ſingultu ab inanitione ex ſiccitate locum habent, ut alia humectantia reficientia, qualia in hecticæ curatione præſcribuntur. Si ſingultus his & ſimilibus non ceſſaverit, aut cum dolore conjunctus fuerit, dentur ladani opiati gr: iij. aut iiij. cum appropriatis, ut in cauſa frigida aut flatibus, cum diagalanga aut guttis duabus olei aniſi aut anethi: in cauſa calida ex humore maligno, cum conſerva roſarum, ſolutione corallorum, margaritarum &c. In omni ſingultu convenit ægrum erecto corpore jacere, artubus vincula dolorifica injicere, frictionibus uti, frigida bibere: ſi malum ſit ab humoribus tunicis impactis, poſt evacuationem ſternutationes movere, quæ, teſte Hipp: *6. Aphor: 38.* ſingultum ſiſtunt. Commendatur cucurbita magna cum multa flamma orificio ventriculi admota,

mota, præcipuè dorſo è regione orificij ventriculi.

Vomitus cauſa. Vomitus ut alvi fluxus in febribus nonnullis interdum utilis eſt, interdum ita noxius, ut virium extremum periculum afferat. Criticus vomitus alvíque fluxus ſiſtendus non eſt, quoad virtus tolerare queat, nec ſymptomaticus initio ſtatim, ſi nihil periculi inſtare videatur. Oritur autem vomitus à materia vitioſa in ventriculo collecta & ſupernatante, expultricem ita irritante, ut eam per ſuperiora à ſe expellat. Irritat materia potiſsimum, vel nimia ſua copia vel qualitate aliena, ſcilicet acri, maligna, ſalſa, mordaci, vel utraque. Materia autem iſta ſi altius impacta fuerit, aut firmius adhæſerit, quàm ſtatim excuti queat, nauſea, id eſt, inanis vomendi conatus excitatur, qui vomitum præcedere ſolet, nam poſt nauſeam excuſſa materia facultatem irritante vomitus plerumque oritur. Nauſea omnis ſtatim tolli debet. Vomitus nec omnis ſemper, nec ſtatim ſiſtendus, ſed interdum provocandus aut adjuvandus, ut, quæ ventriculo & univerſo corpori infeſta ſunt, evacuentur; præcipuè in criſibus, ac initiis paroxiſmorum febrium intermittentium, ac iis qui facile & ſine moleſtia vomunt, niſi diuturnitate cibationi nullum locum relinquat, vires debilitet, ac nimia

ventriculi irritatione metus sit, ne ex venis aliisque partibus ad ventriculum vitiosa excrementa assiduè confluant, quæ ad alvum potius descendere debent. In omni superfluo vomitu abstinendum est à multa corporis agitatione & exercitiis omnibus; à multis jusculis, alimentis liquidis. Vtendū cibis solidioribus grati saporis & odoris, ut carnibus boni succi, facilis digestionis, assis: gelatina ex his, vitellis ovorum &c: condiantur cibi in causa calida aceto rosaceo, agresta, succo granatorum acidorum & similibus: In causa frigida cinnamomo, croco, mace, nuce moschata, garyophyllis &c: In hoc casu convenit panis biscoctus conditus sem: anisi & sacharo, olivæ & cappares cōditi, vinum subadstringens bibatur, & à cibo sumatur aliquid medicamenti adstringentis, os ventriculi corrugantis ut Diacydonium, confectio sem: coriandri, vel cochlear hujus pulveris, quod in laxitate ventriculi probatur.

Curatio vomitus.

℞. *sem: coriandri præp:* ℥ j.
sem: anisi,
carnis cydoniorum exiccatorum ana ʒ ij.
cort: citri sicci,
cinnamomi electi ana ʒ j.
coralli rubri ℈ ij.
margarit: præp:
macis,
menthæ siccæ ana ℈ s.

tuni-

tunicarũ ventriculorum gallinarũ præp: ℈ j.
panis biscocti cum aniso & saccharo ʒ j.
sacchari rosati tabellati ad pondus omnium, fiat pulvis, assumat cochlear post cibos semper & ante cibos hora una interdum; somnus provocetur, nam vomitus sistere solet. Pro exercitiis utatur multis frictionibus extremorũ. Alvus, si adstricta sit, clystere leniente subducatur. In nausea & vomitu sistendo consideranda initio causa est; Si humor crassus, lentus, adhærens, aut imbibitus tunicis ventriculi, attenuantibus & incidentibus præparetur, ut faciliùs vomitu rejici & nausea omnis tolli queat.

℞. *oxymelitis simpl:* ℥ j.
oxymelitis scyllitici ℥ s.
cum aqua hordei vel decocti raphani, sem: attriplicis & anethi ℥ v.
misce, fiat haustus, Si humor calidus, utatur syr: acetoso cũ aqua tepida aut aqua hordei, deinde ad reliquias materiæ in ventriculo evacuandas, in lentis febribus dentur pilulæ de hiera, vel de aloe lota, & alephanginæ. In magis acutis à bilioso humore, pilulæ factæ ex rhabarbaro cum syr: rosato sol: aliisque, quæ post se adstrictionem relinquunt. Laudatur in hoc casu Diacydonium laxativum, item clysteres detergentes, qui à ventriculo revellunt. Evacuato ventriculo, ne à vicinis partibus confluant humores, confortetur,

vomitusque sistatur adstringentibus, ut Diacydonio, Miva, & syrupo cydoniorum, syr: de mentha, de absinthio, vino absinthite, aut cum guttis aliquot spiritus vitrioli, Elect: aromatici rosati aut garyophillaati &c: In calida causa, syr: granatorum acidorum, syr: cydoniorum cum tertia parte succi granatorum, Julep rosarum, & syr: de rosis siccis, de agresta, rob ribes & berberum, conserva rosarum, cum spodio, corallis, sem: coriandri præp: acetosæ &c: Si talibus non cessaverit & cum vigiliis aut dolore vires vehementer dejiciat, confugere licet ad opiata, ut ladani opiati gr. iij. aut iiij. in conserva rosarum &c: Extrinsecus immoderato vomitui conferunt frictiones & ligaturæ extremorum, ac statim à cibo cucurbitula magna admota regioni ventriculi prope umbilicum, ibique horis aliquot relicta. Aêtius jubet manus & pedes in aqua calida tenere. Ventriculo admoveantur adstringentia. In causa frigida

℞. *olei cydoniorum* ℥ vj.
menthæ,
masticis ana ℥ s.
olei nucis moschatæ expressi ʒ j.
pul: masticis,
menthæ ana ʒ s.
macis ℈ j.
garyophyllorum ℈ s.

ladani

 CAP. VLT.

ladani ℨ j.
ceræ q. s. fiat unguentum, quo illinatur frequenter regio ventriculi, deinde imponatur emplaſtrum aut cataplaſma
℞. *pulpæ cydoniorum ſub cineribus coctorum* ℥ iij.
pul: maſticis,
menthæ,
abſinthij ana ℨ j s.
nucis moſchatæ,
macis ana ℨ s.
garyophyllorum ℈ j. *cum ſucco cydoniorum aut menthæ fiat Cataplaſma*, vel toſta panis macerata vino & conſperſa prædictis pulveribus ventriculo imponatur. vel
℞. *menthæ*,
nucis moſchatæ,
abſinthij ana ℨ iij.
fermenti acris ℥ ij.
cum ſucco menthæ, fiat cataplaſma. In cauſa calida
℞. *olei roſarum*,
myrtini,
cydoniorum ana ℥ s.
pul: ſubſcripti ℨ j s.
ceræ q. ſ. fiat Unguentum.
℞. *roſar: rubr:*
balauſtiorum,
ſem: coriandri præp: ana ℨ j s.
maſtichis,

coralli rubri,
sem: acetosæ,
spodij ana ʒ s.
santali citr: ℈ j. *misce, fiat pulvis.*

Tosta panis macerata aceto rosaceo aut succo granatorum acidorum, & hoc pulvere conspersa imponatur ventriculo. Vel

℞. *pulpæ cydoniorum* ℥ ij.
pulveris præscripti ℥ s.
cum oleo rosarum incorporentur, fiat Cataplasma.

In omni vomitu probatur Emplastrum de crusta panis Montagnanæ, Empl: Diaphœnicon. Item de Mastice &c: Olfaciat tantùm, quæ jucundi gratique sunt odoris, ut tostam panis aceto rosaceo aut vino aromatico maceratam, conspersam interdum pul: nucis moschatæ, garyophyllorum &c: In febrib. ardentibus olfaciat santala, rosas, camphoram. Vomitum non raro sistit, guttur ab extra illinire albumine ovi. Si vomitus sit ob confluxum pravorum humorum ex jecore & venis ad ventriculum, initio ad exteriora & opposita revellere convenit, si vires ferant, venæ sectione aut cucurbitulis cum scarificatione, frictionibus & ligaturis dolorificis extremorũ, item clysterib. acrioribus &c. Deinde humorẽ affluentem à ventriculo repellere, & influxum reprimere, admota ipsi ventriculo spongia aceto rosaceo & succo cydoniorũ imbuta, & similib.

Sin

Sin vomitus sit ob malignos humores aut vapores, os ventriculi infestantes, utile est alexipharmaca exhibere, quæ simul malignitati resistunt, & os ventriculi cõfortant, ut Conf: rof:rubr: acetosæ, scordij, Diacydoniũ cum spec: liberantis, solutione perlarũ & corallorum, bolo Arm: cornu cervi, vel detur Conf: rosarũ aut Diacydonij ℥ ij. cum Theriacæ, aut Mithridatij, aut diascordij ʒj.

Fluxionum alvi variæ sunt species, præcipuè diarrhœa, frequens dejectio humorũ excrementitiorũ, sub qua continetur fluxus alvi colliquativus: deinde dyssenteria, fluxio alvi sanguinolenta: tertio lienteria, celer ciborum non transmutatorum per alvum exitus. Oritur autem in febribus fluxio alvi à materia in intestina illapsa, copia aut acrimonia expultricem irritante, aliquando tamen natura deficiente, ut in malignis febribus, virtus ita debilitatur, ut excrementi retinendi impotens sit. Fluxio alvi, quæ ægro præter rationem febris accidit, propriis remediis curatur; quæ vero febrem consequitur, si critica sit, sisti non debet, nec symptomatica statim initio, si nil periculi instare videatur, & fluxio sit materiæ inutilis, nec humor vitiosus ad partes principes recurrat, aut visceribus impingatur. Quare si fluxus sit ex humorum copia aut acrimonia expultricem irritante, ut *De fluxionibus alvi.* *Curatio.*

ſiſtatur, requiritur, initio catharticum adſtringendi ut præditum exhibere, à quo humor commotus expellatur facilius, relicta poſt ſe adſtrictione, quale eſt rhabarbarum pulverizatum cum conſerva roſarum, aut diſſolutum in decocto roſarum rubr: plantaginis, cydoniorum, cort: myrobalanorum &c: Deinde humores ad ventrem confluentes avertantur ad alias partes, ut ad vias urinæ diureticis; ad cutem ſudoriferis; ad ſuperiora vomitu, ſi nihil diſſuadeat. Siſtitur fluxio alvi propriè adſtringentibus aſſumptis, per clyſterem in alvum injectis, & extrinſecus admotis. Aſſumatur autem præcipuè ante cibos aliquid Diacydonij, vel confectionis ex cornis, meſpilis, roſis, aliiſque adſtringentibus. Probantur pro cibo vitella ovorum, quæ in aceto jacuerint, ex quo fuerunt decocta; fercula ex hordeo excorticato torrefacto, oriza torrefacta &c: In potu ſyrupus de roſis ſiccis, ſyr: de cornis, myrtinus, Miva cydoniorum cum aqua hordei torrefacti chalybeata, aut aquis plantaginis, roſarum &c: ſi acrior ſit fluxus, ſyr: de ribes, de agreſta, granatorum, aliaque ut in febre fluxuque colliquante propoſita ſunt. A levioribus adſtringentibus ſemper incipiendum eſt, procedendo, ſi opus ſit, ad validiora, ut trochiſcos de ſpodio, de terra ſigillata, de carabe, crocū Martis &

tis & similia. Si ob fluxus acrimoniam oriantur tormina, morsusque ventris, lenientia conveniunt, quæ acrimoniam obtundunt, ut lac amygdalarum dulcium & sem: 4: frigidor: papaveris, acetosæ, Mucilago sem: cydonior: & psillij. Somno & quieti potissimum indulgendum. Nam somnus omnes fluxiones sistit præter sudores: proinde ubi cum fluxione conjuncta sunt tormina & vigiliæ, ad opiata confugere cogimur, ut philonium persicum aut ladanum opiatum, dentur ladani gr. iij. aut iiij. cum conservæ rosar: rubr: ℥ ij. hora somni: si adsit malignitas, addatur Elect: Diascordij ʒ j. aliaque, ut in Pestis curatione. Ad sistendum fluxum, per clysteres quoque injiciuntur, quæ adstringunt & intestina roborant, ut decoctum rosar: rubr: plantaginis, balaustiorum, consolidæ majoris, orizæ torrefactæ &c: cum oleo rosar: myrtillorum, mastichino, vitellis ovorum, aliisque similibus. Si adsit acrimonia humorum, metusque dyssenteriæ, injiciantur quæ dolorem leniunt, & vim acrium humorum contemperant, ut lac recens mulctum, aut decoctū sem. cydoniorum, psillij, lini, fœnugræci &c: sed lenientibus clysteribus addenda sunt in decoctione corroborantia, ut rosæ rubræ, balaustia &c. In dyssenteria injiciantur initio, quæ dolorem leniunt, deinde

quæ ulcus detergunt, tandem carnem regenerant & consolidant, ut in dyssenteriæ curatione alibi latiùs, Deo favente, dicetur. Extrinsecus universo abdomini admoveantur Emplastra & Vnguenta adstringentia, qualia suprà in vomitus curatione. In lienteria, quæ ex laxitate & lubricitate ventriculi potissimum oritur, maxima ventriculi cura habenda est, dandaq; opera, ut exsiccatus cõstringatur ijs remediis, quæ ad vomitum in simili causa paulò ante præscripta sunt. De alvi adstrictioris solutione in singularum ferè febrium curatione dictum est.

De hæmorrhagia.

Quemadmodum cæteræ evacuationes, ita in febribus hæmorrhagia, id est, fluxio sanguinis è naribus, nunc criticè nunc symptomaticè oritur, deinde aliquando major est, quàm expedit, ipsa natura nimiũ proritata copia aut acrimonia materiæ; sæpè minor est, natura, quæ irritatur, plurimùm debilitata, unde stillicidium sanguinis è naribus, quod inter prava signa numeratur. In crisib. si hæmorrhagia viribus molesta non sit, decet naturæ totũ negotium committere; sed si minor sit, juvare, irritatis naribus setis porcinis aliisq; similibus, ut in curatione febrium continuarum dictum est. Sin cœperint vires immodico fluxu critico aut symptomatico deficere, naturâ ita proritatâ, ut sese recolligere nequeat, præsentissimum

mum consiliũ erit, impetum sanguinis ruentis ad nares statim revellere, ligaturis extremorũ doloriferis, frictionibus, cucurbitulis admotis dextro hypochondrio, si sanguis è dextra nare fluat; sinistro, si è sinistra: aliquando parca venæ sectione quæ valide motum sanguinis in contrarium retrahit. Admoveantur naribus, quę venas claudunt, sanguinemq́; sistunt, quale est illud Galeni ex duabus partib. thuris, & una aloes, exceptis albumine ovi & pilis mollib. leporinis: additur interdum aliquid lapidis hæmatitis, boli Armeni, vitrioli combusti &c: Dantur etiam per os, quæ fluxum sanguinis cohibent, ex troch: de spodio, de terra sigillata, de Carabe, lapide hæmatite; cum cons: rosar: rub: veteri &c.

De sudoribus. Sudoris eadem materia est, quæ urinarũ, nimirum humor serosus, sed causa efficiens sudoris præcipua est calor, qui humorem in vapores resolvit, & in superficiem corporis ducit, ubi à cute in humorem iterum convertitur, & per poros cutis expellitur: Adjuvant externus calor humores fundens attrahensq́ue, & medicamenta sudorifera assumpta, quæ humores liquefactos per habitum corporis ad cutem celeriter rapiunt. Disponunt ad sudores, corporis raritas, & alimentorum aut humorum copia aut tenuitas. Vnde Hipp: 4. *Aphor: 4. sudor multus à somno factus sine manifesta causa corpus multo*

cibo uti significat; si non assumenti cibum id accidat, necessariam esse evacuationem ostendit. Ita ob copiam humorum in febribus, quas typhodes aut helodes vocant, perpetuus fere sudor erumpit; si febris pestilens, sudor fœtidus, ex quo genere fuit sudor ille Anglicus, qui Anno 1486. puplicè grassari cœpit. Præterea sudor colliquans à febrili calore, humores & substantiam corporis colliquante, oritur, potissimum in naturis biliosis, raræ texturæ, de quo suprà dictum est. Tandem generatur sudor, toto genere præter naturam, ex propria solidarum partium humiditate ob imbecillitatem aut defectum caloris nativi, qui partes amplius non regit, nec earum substantialem humiditatem continet, sed foràs effluere sinit, præcipue in magnis animi deliquiis, qui ob id syncopticus & diaphoreticus appellatur. Maximè ergo naturales sudores in febribus sunt tepidi, tenues, nullo gravi odore præditi, qui ex toto corpore citra laborem aut molestiam, in crisi universali aut particulari potissimum erumpunt, cum pulsu molli, undoso, præcedentibus signis concoctionis, à quibus febris mitigatur, ægerque levatur: his contrarii pessimi sunt. Itaque omnium pessimi sunt sudores syncoptici, deinde frigidi: nam cum acuta febre, mortem; cum minus acuta, morbi longitudinem

nem denotant. Mali ſunt craſſi aut fœtidi, qui magnam corruptionem arguunt: item, qui ex ſupernis partibus tantum erumpunt, aut una parte. Nam ſi natura debilis ſit, ſyncopen minantur; ſi non infirma, partem unde erumpunt copia gravatam aut affectam demonſtrant: quia ubi ſudor, ibi morbus. Mali quoque ſunt exigui, ſive ex toto corpore, ſive ex ſuperioribus partibus; nam naturam debilem aut copia gravatam deſignant: ſimiliter qui ante criſin præcipue initio febris ſive ante concoctionem fiunt; quia ſymptomaticè exprimuntur, aut naturæ imbecillitate gravatæ copia aut irritatæ acrimonia & malignitate crudorum humorum. Sudores boni, quoad virtus permittit, tolerandi ſunt, atque ſi parciùs erumpant, ob materiæ craſſitiem aut pororum denſitatem, natura adjuvanda eſt, modicè calefacientibus, aperientibus, cutem relaxantibus: veluti ægro primum ſtragulis bene contecto, admoveantur pedibus lateres calentes, aut utres aqua calida repleti, emunctoriis veſicæ plenæ aqua calente, aut excipiant ægri initio vaporem decocti anethi, florum camomillin. & ſimilium. Juvantur ſudores potionibus ſudoriferis, pro natura febris, de quibus in ſpecie in ſingularum curatione dictum eſt, nimirum in febribus acutis, decocto hordei condito ſac-

Sudores moventia.

charo aut cum ſyr: acetoſo &c: In lentis febribus ex materia craſſa, decocto capill: ven: flor: camomillin: carduibenedicti, hyſſopi &c: aſcendendo ad decoctum ligni ſancti, ſarſeparillæ &c: dentur potiones calidæ, ut citiùs in corpus penetrent: ut verò magis reſerentur pori, ſudoreſq; meliùs procedat, convenit ſæpe linteis calidis ſudores abſtergere, cutemq; fricare. Paulus calidum clyſterem infundere jubet; & externo fotu quiete & ſomno uti. Attamen nullus ſudor vi exprimendus eſt, ſed ubi natura eam excretionem utiliter molitur, tum adjuvanda eſt. Moliri ſalutarem ſudorem demonſtrant pulſus magnus, undoſus, poſt materiæ morbificæ concoctionem præcipue in criſi univerſali aut particulari. Modum autem excretionis, pulſus quoque oſtendunt: nam quamdiu validi vehementeſq; permanent, ſudor ſiſti non debet; ſi langueſcere cœperint, ſiſtendi ſtatim erunt, ne corporis habitus diſſolvatur: ſiſtitur autem aëris corporiſq; refrigeratione non ſubitò, ſed ſenſim, nimirùm per eventilationem, ſub leviſsimo integumento, detracta molli culcitra &c: Item facie ſæpe conſperſa poſca ex aqua & aceto roſaceo; ac uſu medicamentorũ frigidorum adſtringentiũ; quorum à veteribus alia διαπάσματα appellantur, quia ad ſudores cohibendos inſperguntur, ut pulveres ex roſis

Siſtentia ſudores.

ſis, balauſtiis, malicorio, myrtillis, maſtiche, creta, terra Samia, gypſo, plumbo uſto, alumine &c: alia ἐμπάσματα, quæ illinuntur & applicantur, ut unguento ex oleo roſarum, myrtino, cũ dictis pulveribus, additur mucilago gummi tragacanthi, ſem: pſillij &c: vel Epithemata & Cataplaſmata ex dictis pulveribus cũ oxycrato aut ſucco plantaginis, portulacæ &c: Admoventur Epithemata aliaq; refrigerantia cordis regioni & jecoris, ac toti ventri, quæ ſubinde mutãda ſunt. Totũ corpus, præcipuè ſpina dorſi, unguento adſtringente illinatur; collũ, thorax, alæ & inguina pulveribus conſpergantur, vel æger involvatur linteo irrorato poſca cũ dictis pulveribus. Vbi in hypochondrijs eſt inflammatio, aut tumor alius præternaturalis, valida adſtringentia vitare oportet, ſufficitque hypochondriis imponere Cataplaſma ex pane, cum farina volatili, vel farina hordei ſubacta roſaceo, aut ſimile. Sudor abſtergendus non eſt, ſed ſinendus, ut ad poros cutis concreſcens, alium effluere prohibeat. Ad cohibendos ſudores vireſque confortandas, aſſumant, quæ adſtringendo viſcera corroborant, ut

℞ Conſ: roſ: rubr: veter: ℥ s.
ſpec: diamargariti frigidi ʒ j.
corallorum rubr: præp:
troch: de terra ſigillata ana ʒ s.
margaritarum præp:

pul-

pul: trium santal: ana ℈ s.

Cum syr: de rosis siccis aut myrtino, fiat Conditum, addi poterit nonnihil Conf: Alkermes, detur una vice dimidium, vel dissolvatur in Julepo rosarum, aut in aquis rosarum, buglossæ, cum syr: granatorum &c: prosunt Manus Christi perlatæ, Tabulæ Diamargariti frigidi &c: reficiantur jusculis reficientibus, admixto succo granatorum, agrestæ, aut inspersis pulveribus corallorum, margaritarum, balaustiorum, santalorum, &c: Sudor ante concoctionem initio febris aut paroxismi juvandus non est, præcipue sudor malus, qui corpus viresque non levat, sed resolvit cum gravi molestia, dolore malisque symptomatibus; talis cohibendus est, & exhibenda sunt, quæ vires reficiunt, humorum crudorum concoctionem juvant, acrimoniam & malignitatem contemperant, superfluos humores per alvum aliasque vias prius evacuant.

De Ictero. Præterea inter excretiones, quæ nunc criticè, nunc symptomaticè in febribus putridis accidunt, numeratur Icterus sive morbus regius, ortus ex effusione flavæ bilis per summa cutis. Effunditur autem criticè propriè & perfectè non ante septimum diem, Unde Hipp: 62. *Aphor: quibus in febribus regius morbus ante diem septimum accidit, malum:* nisi (ut idem scribit *sent: 67. Sect:*

Sect.2. lib. 1. Epidem.) alia copiosa excretio consequatur, per alvum, urinas, sudores, hæmorrhagiam &c. Nam sola depulsio bilis in cutem ante diem septimum ad crisin non sufficit. Verum icterus die septimo aut post, præcipuè nono, undecimo, aut alio critico, salutaris est; nisi dextrum hypochondrium obduruerit. *64. Aphor. 4.* sive adsit gravis obstructio, inflammatio aut scirrhus jecoris; tum enim calamitosus est. Itaque post septimum diem si contingat, citra affectum jecoris aut vesiculæ fellis, salus speranda erit, præcipuè si qua excretio sit conjuncta, unde minuitur febris ægerque levatur. Per hunc dejectiones alvi non retinentur, nec candidiores apparent, sed potius croceæ. Icterus à visceris affectu propriis remediis curatur. In febribus, quod cutem inficit impactumque est, à quacunque fuerit causa, iisdem remediis tollitur: nimirum potionibus, quæ vias aperiunt, sudoresque movent ac urinas, præcipuè si febris jam extincta sit, qualia suprà de sudoribus, & passim alibi, *in curatione putridarum*, descripta sunt. Extrinsecus pro fœdo corporis colore tollendo & sudoribus movendis, conveniunt balnea cutem rarefacientia & abstergentia, ex decocto radicum lapatij acuti, helenij, liliorum, lentium, cicerum, fabarum contusa- *Curatio.*

rum, fol: rorifmarini, fcabiofæ, fumariæ, parietariæ, centaurei minoris, agrimoniæ, fumm: anethi, flor: camomillin. &c: Balneum mane jejuno ftomacho ingrediatur, in eoque diu moram trahens, corpus totum linteis afperis aut herbis fricandum curet. Deinde inungat oleo anethino, camomillino, irino & fimilibus rarefacientibus, particulatim facies abluatur aceto albo tepido, aut aqua decoctionis hordei, fem: melonum, lentium &c: vel colatura furfuris, aliifque ut in calce fuperioris capitis, fi necefsitas exigat. Oculi foveantur aqua decoctionis fæniculi, rorifmarini, flor: camomillin. euphrafiæ &c. Commendatur fotus decocti flor: camomillin. cum pauco croci ex aceto: inunctio cum fucco granatorum & modico melle vel faccharo; item fternutationes frequentes, ac errhinorum ufus, potifsimum in balneo ex fucco betæ & majoranæ, vel aceto fcillitico & fimilibus.

De horrore & rigore.

Tandem de caufis rigoris, horroris & frigoris initio accefsionum febrium intermittentium, & rigoris, qui febres ardentes finit, in præcedente libro peculiari capite dictum eft. Rigor qui ardentes finit, quantumvis moleftus fit, boni confulendus eft, raroque fedandus, cum non recurrat. Rigor aut horror initio accefsionum febrium inter-


intermittentium: si vehementiùs ægrum afficiat, minuendus aut sedandus est, calefactione corporis & revocatione caloris nativi ad exteriora, iis remediis quæ in tertianæ & quartanæ curatione præscripta sunt, nimirum instante paroxismo extrema dorsumque linteis asperis benè fricetur, ægerque in lecto benè stragulis cooperiatur, ac in decocto flor: camomillin. meliloti, Sum: anethi, origani, calamenthæ &c: spongia madefacta & expressa dorso calidè sæpius admoveatur: similiter extremis partibus lateres calentes, aqua calida perfusi, linteis involuti. Vngatur tota spina & interdum artus oleo camomillino, anethino, irino, rutaceo, costino & similibus, additis aliquando Theriaca, aut pul: pyrethri, piperis, aqua vitæ, aliisque præscriptis in curatione quartanæ, & tertianæ. Si initio paroxismi æger nauseare cœperit, vomat: aut excitetur vomitus syrupo acetoso, vel oxymelite ex aqua hordei aut aqua tepida, vel decocto raphani &c: Sin nausea non molestetur nec vomere queat, aliqui Diatrionpipereon cum aqua præbent, aut pilulas factas ex Aristolochiæ rotundæ ℈ ij. myrrhæ & piperis ana ℈ s. cum syr: absinthij. Avicenna exhibet pilulas suas ex aromatibus: Aliqui theriacam una hora ante paroxismum, similiter aquam vitæ infusi-

onis garyophyllorum, & similia. Verùm his utendum non est initio, sed apparentibus signis concoctionis præcipuè in febre quartana, aliisque à frigido humore: In febribus à calido humore extrinsecus magis conveniunt Vnguenta aut fomenta calida, quàm intrinsecus calefacientia.

Atque hæc de febrium præcipuis symptomatibus dixisse nunc sufficiat: si quæ alia febricitantibus superveniant, propriis remediis tollantur (de quibus in Curatione membratim, Deo favente, latius dicemus) ita tamen, ut parum aut nihil curandæ febri obsint, & hanc quoad fieri queat leniant; qua in re præcipua medici solertia conspicitur.


FINIS LIBRI TERTII.





Errata candidus Lector sic corrigere poterit.

Pag. 21. lin. 19. leg. putridæ. p. 24. l. penult. leg.
non constituunt. p. 33. l. antepen. lege colem. p. 39. l.
27. dele non, prius. p. 60. l. 27. leg. signa. p. 69. l. 4. leg.
frigida. p. 73. l. 20. leg. febricitantes. p. 78. l. 25. le. fer-
veris. p. 101. l. antepen. dele in. p. 125. l. 11. leg. ℥xv.
p. 136. lin. 10. leg. addunt. p. 145. l. 14. leg. modico.
p. 177. l. 12. leg. non vocentur. p. 180. l. 1. leg. distin-
guuntur p. 184. l. 13. leg. aliquos. p. 189. l. 4. leg. distin-
guunt. p. 202. l. antep. dele putrescentes. p. 222. l. 3.
leg. obscurus. p. 228. l. 5. leg. aliqua. p. 233. lin. 15. leg.
mitius. p. 235. l. 10. leg. bonæ crisis. p. eâdem l. 25. leg.
perniciosum. p. 279. l. 3. leg. ferantur. p. 313. l. 5. leg.
judicatur. p. 316. l. 1. leg humeros. p. 317. l. 9. leg. fol.
p. 342. l. 2. supple per. p. 345. l. 26. de citro præpone
theria. p. 348. l. 2. leg. ℥j. p. 361. l. 18. supple infirmo.
p. eâd. l. 28. leg. ejus. p. 379. l. 9. dele ℞. p. 383. l. 1. leg.
℥iij. p. 397. l. 9. leg. ob. p. 406. l. 5. dele ana. p. 497. l.
3. leg. simp. p. 409. l. 2. l. Indi. p. 505. l. 7. supple ana.
p. 531. l. 8. leg. ℥ij. p. 576. l. 10. leg spiritibus. p. 577.
l. 4. infere, corall. rub. præp. p. 653. l. 14. leg ℥ij. pag.
665. l. 7. leg. ℥js. p. 688. l. 5. leg ℥j. p. 693. l. antep.
supple ℥. p. 705. l. penul. supp. guttis. p. 730. & seq.
leg. De curatione. p. 720. l. 2. leg. ℥s. p. 736. l. 2. leg.
progressu p. 738. l. 3. supple vj. p. 741. l. 3. leg. lividũ.
p. 748. l. ult. leg venæ. p. 751. l. 20. leg. ℥s. p. 776.
l. 11. leg. solis. p. 818. l. 2. leg. vj.



HAMBVRGI,
Excudebat PAVLVS
LANGIVS,
Sumptibus FROBENIANIS.



ANNO cIɔ. Iɔ. cx.

